IHS

M 6
10-f

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 B
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-10-f-51
22-6-57

22
6
13

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI
SVADA ATTICA,
SIVE
ORATIONVM SELECTARVM SYNTAGMA.

Item PALÆSTRA Bonæ Mentis, prorſus innovata.

Operum omnium TOMVS I.

Colleg. Rom. Soc. Jesu
Catalog. Inscript.
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LOVANI,
Typis IO. CHRISTOPH. FLAVI.
Francofurti apud LVD. ELZEVIRIVM.

M. DCXV.

Cum Privilegio Cæſaris, & aliorum Principum.

SERIES TOMORVM, IN QVOS

Hanc Editionem Auctor diſtinxit.

TOMVS I. *Suadam habet Atticam, ſive Orationes ſelectas, & Palæſtram Bonæ Mentis : atque hic præmittitur.*

II. *Amœnitatum Humanarum Diatribas.*

III. *Epiſtolarum Centurias.*

IV. *Hiſtoriarum, & doctrinæ Politicæ Libros.*

Digitized by Google

TRIBVS

ORDINIBVS

BRABANTIÆ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INSVLA
VIRIS STEMMATE INCLYTIS
TOGA

ERYCIVS PVTEANVS

D. C. Q.

MENTIS lumen atq; Rationis Oratio eſt; quam non eâdem omnes ingenii face accendunt. Sed ſi examen inſtituimus, tantum unuſquiſque ſapere videtur, quantum ſive

loqui poteſt, ſive eloqui: alterum naturæ beneficio, alterum diſciplinæ. Loquitur, qui linguę uſum habet, animíque ſenſum vocis miniſterio velut animat & aperit: eloquitur, qui colore hoc agit, verbis nitidior, ſententiis gravior, numeris inſtructior, majeſtate animoſior. Hunc cultum niſi adhibet, qui ingenium polit, rudis & indoctus eſt, nulliúſque rei magnæ capax. Vt ſciamus ſine facundia ſapientiam prudentiámque nullam eſſe, ſacro & neceſſario nexu in unum velut numen coaleſcere, Mercurium Minervámque

Anti-

Antiquitas voluit: eadem religione oris facundi prudens ubertas Herculem Gallicum conſecravit. Sed alia aliis tamen forma dicendi placuit. Ab ipſis Eloquentiæ incunabulis quoſdam brevitatis ſtudium, & caſta frugalitas; quoſdam luxus, & denſo verborum acervo exſtructa copia nobilitavit. Sic póſtquam virtus eſſe cœpit bene loqui, ſectæ enatæ ſunt; rejecerúntq; nonnulli quicquid ſuperfluum eſſet, ut Attico Genio limati & emuncti haberentur: aliqui circumducere generoſo ſpiritu ſenſum cœperunt, ut

Suadæ filii ex Aſia prodirent. Sed quid eſt? Liquidus ille Eloquentiæ torrens, poſtquam intumuit, tanquam alveo egreſſus, modum ſervare non potuit: neque fluxit, ſed ſtagnavit, ignavus ipſa copia. Attici quoque tam ſeveris alibi anguſtiis fregerunt impetum, ut exareſcerent; cúmque toroſi eſſe nollent, non ſuccum, non ſanguinem reliquerunt; eloquentiſſimi ſcilicet, ſi jam verba deeſſent, omnémque copiam ſterili paupertate proſcriberent, vix dicentibus ſimiles. Vtrique cùm naturam ſequerentur, vitio decepti ſunt.

ſunt. placuitque hiſce macies, cùm brevitati ſtuderent: illis tumor, cùm copia laſcivirent. Omnino ut populi hominéſque ſunt, vultum Suada capit; rebus, locis, temporibus ſervit, & florem ſervat; alibi liberior, & quamdiu non inflatur, pulchra; alibi preſſior, & quamdiu vigorem ſervat, amplectenda. Ita enim exiſtimo, Atticum dicendi genus & optimum eſſe, & nunc quoque in Schola, Curiáque decorè uſurpari. OPTIMUM ſanè Quinctilianus ipſe cenſuit, leniſſimi magiſter ſtili, imò ATTICE DICERE, ESSE OPTIME

ã 4 Di-

Dicere. Hinc & in Republica olim Scipio, Lælius, Cato velut Attici Romanorum fuêre; Lyſiæ potiſſimū exemplo fortes, cùm breves eſſent; & facundi, quia non diffluebant. Hos deinde excepit Cicero, & floridam fuſámq; eloquentiæ vim complexus, oſtendit nihil Romano ingenio difficile fuiſſe. Atque hic igitur, quia Aſiatico ſapore imbuit Roſtrá, ſuo exempló plures traxit. Nemo orator viſus eſt, niſi qui ſermonem inflaret. Tot ubiq; flammæ & fulmina: tot fluctus & tempeſtates erant, ſimileſq; verborum minæ,

ut vel incendium, vel naufragium timeres. Ac ſanè jam exulare Atticiſmus poterat, ſi ſemper Tullius loqueretur. Sed poſtquam ille Triūvirali furore obticuit, ſimul jam remittere majeſtatem oratio cœpit. Poſt Ciceronem facilius erat, brevitate, quàm copia tueri diſerti nomen: à mole ad pondus, à robore ad acumen ventum eſt, in eóque deinceps ſudavit Eloquentia, ut aptis viviſque ſententiis exſurgeret, ſermonem ipſum acri ſenſu ſuperaret. Temporum quoque neceſſitas exegit hanc formam: & poſtquam libertas Po-

ã 5 puli

puli Romani ſublata eſt, conſtringi ipſa Suada amavit. Nimirum, dignam Imperatore orationem imitari quiſque, & ſuam facere conatus eſt, neque in brevitate tamen numeros omiſit. Ad me nunc quod attinet, quid præſtiterim neſcio: ſed tanquam Atticus, titulum uſurpavi; & ut magis deſignarem conatum meum, SVADAM inſcripſi. Viginti Orationes ſunt, ſic è pluribus collectæ, quarum aliquæ Mediolani, cæteræ Lovanii habitæ, legi nunc à vobis ſimul audent, veſtróque beneficio vitam ſperare. Ac ſanè ſi rectè calcu-

calculum pono, Primus hic meorum operum Tomus, vobis potiſſimùm debebatur; partim quia primus, partim verò quia Oratorius. Reliqui enim, qui ſequuntur ordine quodam ſuo, ſic conſcripti & digeſti ſunt, ut è Muſéo & umbra; hic verò, ut è Schola & luce prodire videatur, velut teſtis muneris, quod & Sereniſſimi PRINCIPIS mei, & veſtro non ſolùm beneficio adeptus ſum, ſed patrocinio ſuſtineo. Voluiſtis enim lingua mea etiam loqui LIPSIUM, mea induſtria velut vivere mortuum; aut certè ſupereſſe artes, quæ tantum

virum

vitum intermori non ſinũt. Ipſum referre ac repræſentare, arduum inprimis omnis eruditorum curia cenſuit: imitari facilius fuit. Et tamen tantum ingenio indulſi meo; ut, quia Succeſſorem eſſe voluiſtis, non ceſſaret æmulatio. Igitur poſtquam ſequi conatus ſum, quæ præſtitit; intendi induſtriæ vires, & præſtare quoque auſus ſum, quæ omiſit. Nam etſi Oratoris laudem quocumque charactere & argumento ſuſtinere os illud illibatum potuit: non ego mihi tamen videbar eloquens eſſe, niſi Orationes darem; nec illu-

ſtrare

ſtrare ſatis Suadæ cathedram, niſi dicendi majeſtatem eruditioni jungerem. Ut ingenuè exprimam: ſic ferè quotidie docui, ut toties colore adhibito dixiſſe videar. Lectio quæcumque, ſive illa Hiſtorica, ſive Ethica, ſive Politica, nunc in Declamationem, nunc in Diſſertationem, nunc in Orationem ſurrexit: quaſi cibus non eſſet, niſi condimentum accederet; omnéque doctrinæ epulum lautiori facundiæ apparatu indigeret. Ac poſtquam Palæſtram Bonæ Mentis inſtitui, frequenti exemplo oſtẽdere conatus ſum, quid

eſſet

eſſet extempore dicere. Ergo quemadmodum aliquæ Orationum mearum ſcriptæ fuêre & præparatæ, priuſquam haberentur: ita nonnullæ ſola cogitatione adumbratæ, & rerum duntaxat imaginibus diviſæ, repentino verborum imbre effloruerunt: aliæ ſubitæ prorſus, & in ipſo pulpito natæ, univerſam à dicente formam acceperunt. Triplici hac quidem induſtria conſecutus ſum, ut quibus gradibus ad Eloquentiam iretur, intelligere potuerim. Scribere quod dicas, plus curæ habet; cogitare, plus fiduciæ; effundere

tere denique, & ingenii fortunam experiri, plus temeritatis. Atque hic tamen jucundiſſimus ſtudiorum fructus eſt, præclarum ſtili laboriſque præmium, poſſe extempore dicere: non ut malit hoc ſemper, qui verba facturus, ſed ut poſſit. Quid tamen eſt? totum illud ex tempore fuſum genus, & ſola cogitatione ordinatum promptúmque, quia ad ſtilum non revocavi, fruſtra jam conor repræſentare. Arbitrii mei non eſt, quicquid ſic dixi; & evanuit, poſtquam dixi: eò etiam faciliùs, qua naſci quotidie poterat. Itaque ex ora-

ex orationibus ſcriptis, & velut domo allatis, habitisq;, conſtabit hoc munus. E ſcriptis, ſed Selectis: quæ, ut mea eſt opinio, rerum curioſa varietate ad omne porrò dicendi argumentum juventutem provocent. Etenim ſi Panegyrica quæritis; ſic Senatui Mediolanenſi, pro Munere Profeſſorio, gratias dixi, Oratione I. Si Rhetorica; ſic Apologiſmum biennii concinnavi, II. Si Hiſtorica; ſic Rhetores Mediolanenſes recenſui, Scholáſque celebravi, III. Si Paraloga; ſic pro libertate litterarum ſcripſi, IV. Si litteraria;

ria;ſic Librorum uſum fru-
ctúmque propoſui, & Bi-
bliothecam Ambroſianam
promovi, v. Si Grammati-
ca; ſic facilitatem linguæ
Græcæ commendavi, v i.
Si Curialia; ſic M o n t o r-
e a n i Amici mei cauſſam
egi, v i i. Si Honoraria; ſic
Hiſtoriographi munus ex-
plicui, v i i i. Si Moralia; ſic
Iuventutem Belgicam lau-
davi, i.x. Si Funebria, ſic
L i p s i memoriam die An-
niverſario colui, x. Si uti-
lia; ſic Libros & libellos diſ-
tinxi, xi. Si Parænetica; ſic
Iuventutem ad Litterarum
ſtudia excitavi, xii. Si Aca-
demica, ſic de Palæſtra Bo-
c næ

næ Mentis verba feci, xiii. Si Bellica; ſic in Sclopum declamavi, xiv. Si Myſtica; ſic in Griphum Auſonianum præfatus ſum, xv. Si Læta; ſic Riſum extuli, xvi. Si Forenſia; ſic de Puteali Libonis egi, xvii. Si Pia & Theologica; ſic Purificationem Virginis-Matris veneratus ſum, xviii. Si Politica; ſic ad Curtium acceſſi, xix. Denique ſi curioſa; ſic Ovum celebravi, xx. Ad ſummam, quæ ubique locum habere poſſunt, dixi: & ut munus ſuſtinerem meum, oſtendere anniſus ſum, non poſtremam litterarum partem Eloquentiam

tiam

tiam eſſe, non poſtremam Reipublicæ. Omitto Litteras: de Republicâ dico. Vos enim ipſi, quia facũdi eſtis, feliciùs gubernatis; quia prudentes, Suadam colitis. An plura? oſtenditis quid docere debeam; & cùm vos juventus intuetur, tam neceſſarium putat, Eloquentiam diſcere, quàm pulchrum, in Republica eminere; tam utile diſertos eſſe, quàm glorioſum, bene mereri de omnibus. Id agitis, & tanquam magna ſolidáque Provinciæ membra, ſub uno capite, id eſt Principe Optimo & Clementiſſimo, in ſalutem pu-

blicam conſpiratis. Video pedes & tibias (liceat ſic loqui,) video manus & lacertos, denique video & viſcera. VOS ANTISTITES, velut inconcuſſa fulcra atque tibicines fertis hanc molem. & inſigni conſtantiæ exemplo commonſtratis, ſtare poſſe, quicquid pietate nititur. VOS NOBILES, velut robora huic corpori dati, agendo fortes, conſulendo prudentes, natalium ſplendorem Patriæ impeditis, digni Majorum ſtirpe & indole, quia avitam gloriam novis virtutum ſubſidiis ſuſtinetis. Vos tandem, qui MAGI-

STRA-

STRATUM GERITIS, cara & ſelecta urbium pignora, legum vincula, Patres populi, vos, inquam, admirabili concordiæ ſtudio hoc etiam conſecuti eſtis, ut quantum ipſe PRINCEPS amat ſubditos, tantum perſolvere civibus poſſitis: placetis civibus, & ſic cari etiam PRINCIPI eſtis. Salvete igitur ò pia fulcra, ò firma robora, ò benigna præſidia; cùm optimi, fortiſſimi, prudentiſſimi eſtis, divinas PRINCIPIS virtutes exprimitis; & cùm omnia ſingulari cura, animo, conſilio agitis, perfectiſſimæ eloquentię inſtrumenta re-

bus adjungitis ; confeſſi, verba regenti neceſſaria eſſe, ſed exſurgentia, apta ſerie extenſa, jugi nexu vincta, colore florida, ſenſu fœcunda, acrimonia valida. Vnde quàm magni, tam diſerti eſtis ; & quàm pulchrè facitis, tam venuſtè etiam loqui conſueviſtis. Concilium veſtrum Prudentiæ & Integritatis laude inclytum, omniúmque virtutum velut templum, etiam Doctrinæ & Facundiæ gloria illuſtratur. Quæ cùm ita ſint, admittetis SVADAM hanc meam in tam auguſtum ſacrarium: admittetis munus, quod beni-

benignitas veſtra dignum poſteritate faciet. In eo enim jam libri hujus fama conſiſtit & felicitas, ut vobis placeat: ac fruſtra equidem in orationibus iſtis Atticus fuerim; imò fruſtra Atticæ ipſæ, ſive bonæ ſint, niſi efficiam, ut bonas eſſe credatis. Hoc ipſum niſi perſuadeam, in vanum toties dixiſſe videar. Vehementiùs etiam cõmendari juventuti non poteſt eloquentiæ ſtudium, quàm ſi in ipſo eam Profeſſore ametis. Quod reliquum eſt, quemadmodum antea, ut inſinuarem cultum meum, præſtantiſſimi Viri IOAN-

nis Fannii, urbis Lovanienſis Syndici, amica opera uſus ſum: ita nunc ejuſdem manu donum fero. Placebo igitur: imò, ſi meo minùs ingenio, at certè Amici officio facundus, ne tum quidem loqui deſinam, cùm vivere. Orationes enim hæ, ſi annuitis, vivent, cùm ipſe fato conticeſcam; audientur, quamdiu apud Belgas in pretio Suada erit: erit autem, patrocinio veſtro ac tutela, æternùm. Lovanii, in Arce, Kalendis Martiis, ∞. I Ↄ C. XV.

QVINCTILIANVS
LIB. XII. CAP. X.
De differentia orationis.

ANTIQVA *quidem illa diviſio inter Aſianos, atque Atticos fuit; cùm hi preſſi & integri, contrà inflati illi & inanes haberentur: & in his nihil ſuperflueret, illis judicium maximè ac modus deeſſet. * Mihi autem orationis differentiam feciſſe & dicentium & audientium natura videntur; quòd Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant; Aſiana gens tumidior alioqui & jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata eſt.*

SVADÆ
IMAGO,
E
MARCIANO CAPELLA.

SVBTILISSIMI corporis, ac fiduciæ grandioris, vultus etiam de-

ẽ 5 core

core luculenta, femina inſignis ingreditur; cui galeatus vertex, ac regali caput majeſtate ſertatum: arma in manibus, quibus ſe vel communire ſolita, vel adverſarios vulnerare, fulminea quadam corruſcatione renitebant. Subarmalis autem veſtis illi, peplo quodam circa humeros involuto, latialiter tegebatur: quod omnium Figurarum lumine variatum, cunctorum Schemata præferebat. Pectus autem exquiſitiſſimis gemmarum coloribus baltheatum. Hæc cùm in progreſſu arma concuſſerat, velut fulgureæ nubis fragore colliſo, bombis diſſultantibus, fracta diceres crepitare tonitrua. Denique creditur, quòd inſtar Iovis eadem poſſet etiam fulmina jaculari. Nam, velut impotens rerum omnium Regina, & impellere quò vellet, & unde vellet deducere, & in lacrymas flectere, & in rabiem concitare, & in alios etiam vultus ſenſúſque convertere tam urbes quàm exercitus prœliantes, & quæcumque poterat agmina populorum. Hæc etiam Senatum, Roſtra,

Iudi-

Iudicia domuiſſe in gente Romulea; Athenis verò, Curiam, Gymnaſia, Theatráque pro arbitrio reflexiſſe, ac totam funditùs Græciam miſcuiſſe ferebatur. Hac verò loquente, qui Vultus Vocíſve ſonus! quanta excellentia celſitudóque Sermonis! Audire etiam operæpretium Superis fuit, tantæ Inventionis ingenium, tam facundæ ubertatis Eloquium, tam capacis memoriæ Recordationiſque theſaurum. Qualis Diſponendi ordo! quàm Pronunciandi congruens modulatio! qui Geſtus in motu! quæ profunditas in conceptu! Denique Exilis in Modicis, in Mediocribus Facilis, in Elatione Flammatrix. reddebátque cunctos in ambiguis Dociles, in Perſuaſione Cedentes, in Colliſione Diſcordes, in Laudibus Arrogantes. At verò cùm quid commotum publici nominis atteſtatione clamaverat, fluctuare, permiſceri, ardere omnia videbantur.

SYL.

SYLLABVS

ORATIONVM.

I. PRo *titulo Profeſſorio Gratiarum Actio, ad Senatum Mediolanenſem Pagina* 1

II. *Biennii Apologiſmus, quo Rhetoris officium adumbratur. Pag.* 22

III. *De Rhetoribus & Scholis Palatinis Mediolanenſium.* 42

IV. *Pro Libertate Litterarum.* 98

V. *De uſu fructúque Librorum* 109

VI. *De facilitate linguæ Græcæ* 122

VII. *Pro Raphaële Montorſano* 135

VIII. *De L. Iulio Floro; déque titulo ac munere meo Hiſtoriographico* 142

IX. *Iuventutis Belgicæ laudatio* 156

X. *Laudatio funebris* I. LIPSI 223

XI. *De Libris & Libellis* 248

XII. *Exhortatio ad Litterarũ ſtudia* 260

XIII. *De Palæſtra Bonæ Mentis* 278

XIV. *In Sclopum Declamatio* 336

XV. *De Sapientia Myſtica* 356

XVI. *De Riſu* 371

XVII. *De Puteali Libonis* 386

XVIII.

XVIII. *De Purificatione Virginis-Matris* 416
XIX. *In Q. Curtii Rufi Hiſtoriam Præfatio.* 452
XX. *Ovi Encomium* 499

Siquis hoc ſcire velit: Octo primæ Mediolani; cæteræ Lovanii habitæ. Illæ omnes in Schola Palatina, excepta ea quæ pro MONTORFANO. *Hæ pleræque in Auditorio Trilingui, ſive Palæſtra Bonæ Mentis : ſed* X. *in ſummo templo*, XIII. *in Schola Matheſeos*, XV. *&* XVI. *in Schola Artium*, XVIII. *in æde Sodalitatis.*

CHA-

CHARACTER
HARVM ORATIONVM.

ETsi quæ dicenda erant, Præfatione expreſſi; induci tamẽ potui, ut obiter hîc tibi, quiſquis ſcripta mea leges, eorum Genium & Characterem depingerem. Robuſtus malo, quàm ſolutus eſſe: rem, quàm verba loqui. Sed placet brevitas, diſplicet ſterilitas. Brevitas, quæ colore quodam ſuo ſana eſt, flore amœna, acumine ſeria; & quam ATTICAM poſſis appellare. Si qui erunt, qui Numerum religiosè exigent: & hunc mihi vindicabo. Pondere ipſo numeroſa eſſe oratio poteſt. Nam quid ludibrio inanium vocum diſtendas periodum, aut farcias? Non copia ῥυθμὸν, ſed copulatio vocum, ſive ſtructura gignit. Ecce concîſus, & acutus, ſive, ut cum Cicerone dicam, *egregiè ſubtilis ſcriptor atque elegans* Lyſias fuit: & tamen Orator, tamen numeroſus, tamen è decem unus, in Græcia maxi-

mè

mè celebratus. Ipſe apud Homerum Menelaus παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. De hac igitur brevitate præclarum illud Phavorini apud Noctium Atticarum Scriptorem judicium eſt : *Si ex Platonis oratione verbum aliquod demas, mutéſve, atque id commodiſſimè facias, de elegantia tantum detraxeris : ſi ex Lyſiæ, de ſententia.* Ego ſic exiſtimo, Potiorem elegantia ſententiam eſſe, ſed elegantem.

PLI-

PLINIVS
LIBRO I. EPISTOLA XX.
AD TACITVM.

OPTIMVS *modus eſt: quis negat? Sed non minùs non ſervat modum qui infra rem, quàm qui ſupra; qui aſtrictiùs, quàm qui effuſiùs dicit. Itaque quod audis frequenter, ut illud immodicè & redundanter, ita hoc jejunè & infirmè. Alius exceſſiſſe materiam, alius dicitur non impleſſe: æquè uterque, ſed ille imbecillitate, hic viribus peccat.*

ERY-

ERYCI PVTEANI.

ORATIONVM SELECTARVM SYNTAGMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO I.

PRO TITVLO PROFESSORIO GRATIARVM ACTIO

Ad Senatum Mediolanenſem.

DVo rei literariæ eſſe munimenta, Ampliſſimi SENATORES, uſu rerum, & lapſu temporum diſcimus: virorum doctorum induſtriam ac copiam: & fautorum auctoritatem ac potentiam. Doctores autem fautorum aurâ navigare; fautores ſine doctorum operâ non prodeſſe. Vtroſque bono litterarum poſt litteras natas, urbs magna Mediolanum habuit: poſt denatas retinuit aut reſtituit; ut cùm ubique terrarum ruina ac fatum ſtudiorum eſſet, hic vigor & honor, inter media arma, in tumultu ac rabie Barbaro-

rum. Poſtquam verò excuſſo illo jugo, reſpirare paſſim liberè Elegantiarum ſcena, & pallentes facies artuſque laborantes in vires caloremq; priſtinum reducere cœpit; dici non poteſt, quis fervor ingeniorum exarſit in urbe veſtra non conſervandæ, ſed ampliandæ libertatis. Inter curas Reipubl. fuit, litteras, in litteris autem ELOQVENTIAM quàm maximè florere. cui muneri admotos patrum ſeculo (ne noctem illam temporum repetam) præſtantes aliquot viros: noſtro, MERVLAM, MAIORAGIVM, & CICEREIVM meminimus, viros Eruditione & Induſtria magnos; majores autem poſtquàm meminimus; ſic homines æquiùs, aut benigniùs cenſemus, cùm homines reliquerunt. Tanti erat ultima illa lumina non extingui; ut Scholæ ipſæ luctum induentes, ſilentio ingemuerint; & PRIMAM ELOQVENTIÆ REGVLAM paullìſper conſiſtere atque obmuteſcere paſſæ ſint. Vos etjam Ampliſſ. Viri, fautorum nomen profeſſi, ardorem publicum quietis aliqua

aliqua patientia, velut cinere tectum, cohibuiſtis ; ut novam hanc ſcintillam excitando, ab intervallo alicuius caliginis commendaretis. Feciſtis: & quid niſi prudenter feciſtis? Equidem vellem hac imaginatione modeſtiam meam obumbrare, ruborem tegere, verecundiam probare: ſed res ipſa cogit ſine ullo verborum nubilo aut ſchemate loqui; ut frequentiſſima illa, nec minùs attenta à multis retro annis corona, quæ confluxit, audiendi velut fundamenta quædam accipiat. Iam Peregrinationis ætas & ingenium patiens videbatur; & doctorum virorum conſilio in Italiam veni: in Theatro hoc hominum, virtutúmque ſubſtiti: ore & ſtilo innotui, ac melioribus me probavi. Quid multis? eò multorum deſideria ac vota ibant, ut ſucceſſor CICERIO darer. Cùm interea Hygeiam inimicam experirer, Pataviúmque aëris, & Perilluſtris Io. VINC. PINELLI cauſa ſecedens, litterario otio recrearer, Decretum SENATVS acceſſit; & abſens ELOQVEN-

tiæ Professor creatus ſum. O ſpes! ô vota! Quid magnificentius, quid glorioſius ſperare, imò optare hoc Munere potui? cujus ſi magnitudinem ſpecto, fateri cogor pænè immerenti collatum eſſe: ſi promptitudinem eorum qui contulerunt, ſine moleſtia ulla obtentum: ut ſic beneficentia Senatus undequaque perfecta & abſoluta videatur, nec merito meo imminuta, nec petitione extorta. Merentem enim munerari, præmium, haut beneficium eſt: beneficii quoque gratiam petitio labefactat. Ego verò neque petivi hunc honorem (etſi cupivi) verecundia retardatus; neque merui, ætate deſtitutus: tu tamen, Ampliſſime Ordo, tanquam petenti confers, nequid negaſſe ei videare, quem meruiſſe exiſtimas: tanquam merenti exſolvis, ut debuiſſe te illi fateare, qui non petierat. Sic igitur agnoſco beneficium, ne ingratus videar; & glorior quoque, ut æſtimare me oſtendam: intelligere enim non poſſum, niſi palàm profitear; nec profiteri, niſi me-

fuiſſe videar. eſt enim demùm verum beneficium, beneficio dignum cenſeri. Iure quodam affirmare poſſum, etſi tot eruditos & claros viros, quorum in locum veni, & provectior ætas, & virtus maturior ad publicum hoc Munus evexit; me tamen felicitate quadam ſecretum ab illis videri. Si qui fuêre, quos ambitio exercuit, non prenſavi: qui aſſiduitate expreſſere, non coëgi: qui oblati occaſione, non adfui. Cogitatione tamen ſuſpendi hic ſermo meus à nonnemine poſſit, & Veritatis Modeſtiæque vadimonio ſiſti, ſive qui falſum, ſive qui ambitioſum exiſtimabit. Amici operam abſenti dederunt, cauſſam egerunt. Ego verò gaudeo, & ingenio meo gratulor, quòd nullo Patriæ, nullo ſanguinis jure commendatus, amicos, & amicos veros reppererim in alieno ſolo: qui quod amant, hoc tam ſedulam operam præſtiterunt; quòd verè amant, hoc opinioni alicujus virtutis adſcripſerunt. Qui tamen Amici illi ſunt, quorum ipſe opera ambiviſſe, ipſe extorſiſſe, ipſe

adfuiſſe videar? Quinam? num in hocipſo conſeſſu adſunt? adſunt, imò eminent: adſunt, & ipſo vultu beneficium ſuſtinent: adſunt, nec à Senatu remoti ſunt. Ego jam oculis notavi, aut mente concepi ſingulos; ac profectò vereor, ne ſi aliquos nominem, in idem omnes officium beneficiúmque includi debeant. Nomino tamen; ſed eos duntaxat, qui nomine meo petiiſſe videantur: ut non petiiſſe, aut propemodum à ſe ipſos petiiſſe dicas. Excellentiſſimum DIDACVM SALAZARIVM, Cancellarium Magnum: Perilluſtrem FREDERICVM QVINCTIVM, Regii Fiſci Advocatum: Clariſſimum IO. BAPT. SACCVM, Senatui à ſecretis. Viros, in ſuo quemque gradu, eximios. Honoris noſtri Petitores quidem: ſed tamen velut Datores. Petitores; ſed tua unius Doctiſſime LVD. SEPTALI, cauſſa: qui etſi ea omnia, quæ à patre filius ſperet, amore mei feciſti & facis; laudem tamen non admittis, quod merito te meo facere exiſtimas. Ego verò & debeo

debeo laudem, quia ſic exiſtimas: & dicterio, quia non admittis. Incitor enim, quia prohibes, & quemadmodum illi qui de clivo ruunt, pronus feror, ardens ipſo motu. Vtinam verò jus mihi poteſtáſque fervorem hunc & æſtum orationis quodam torrente reſtinguendi, ut æſtimare beneficium videar. Sed nec onerabo modeſtiam tuam; & quia Petitionis honorem tu recuſas, ne petiiſſe ipſe videar, transferam vela, patiárque ut nictu & nutu tuo, velut clavo quodam, dictionis meæ prora ad rectum curſum inclinet: etſi hic quoq; difficultatem ac remoram eſſe intelligam, periculúmque, ne ſi laudes SENATVS perſequar, impar conatui oratio evadat. Obſtrictus equidem ſum Ordini graviſſimo ob Auctoritatem, ſplendidiſſimo ob Dignitatem, prudentiſſimo ob Doctrinam rerúmque uſum. Vt Cyneas olim Pyrrhi Regis legatus Romam: ſic Mediolanum ego luſtrans, de Vrbe & SENATV Mediolanenſi, quod ille de Romano, pronuncio: *Illam Templum, hunc Regum quendam conſeſ-*

ſum videri. Priſcorum enim & à Romulo conſcriptorum Patrum gravitatem, ſapientiam, majeſtatem recognoſcere mihi videor, quoties illuſtres hoſce viros, an herôes dicam? contemplor: pauciores numero, ſed virtute meliores; poſteriores tempore, ſed famâ certiores. Hactenus quidem è numeroſa illa multitudine, quam Vrbis Conditor conſcripſerat, & ævum poſtea auxerat, paucorum admodum memoria vivit; reliquos oblivionis velut tenebris involutos, & quaſi ſepultos Anna Perenna ab ignoratione vindicare, nec ſcire Poſteritas potuit: horum autem omnium & Nomina, & Virtutes vitales, omnique ævò diuturniores auguror. Nomina non trabibus aut ſaxis tantùm, quibus ruina ſua eſt; ſed monumentis æternę laudis incidenda. hanc enim gratiam litteræ referent, nec intercidere eorum cognitionem ſinent, per quos ipſæ vivunt. Virtutes autem, tanquam *Lucida ſidera*, ſtricturas radióſque immortalitatis ſuæ ad poſteros mittent: & ſi per naturam liceat,
retrò

retrò flectent ad memoriam Majorum. QVI conduxerint, amplius non dico; quem conduxerint; ſed quo STIPENDIO, quà ÆTATE, paucis multorum cauſſa dico. Et ſanè quod ad Stipendium attinet, modeſta hæc quædam felicitas eſt, quæ nullius invidiam paſcere meritò debeat. Quòd de SENATVS liberalitate non queror, beatus ſum: beatior autem, quòd immodico lucro minimè afficior. Itaque jactet Eumenius Rhetor ſexcenta HS. ſua: alii quingena ſua: alii centena ſua: ego NOVENA mea vtens, non ſtipans, in lucro Honorem ponam. Epicuri vocem minimè Epicuréam veneror & imitor: *Cui pauca non ſufficiunt, ei nihil ſatis eſſe.* Scio etiam, *quemque non quanto plura poſſidet, ſed quanto pauciora optat, tanto locupletiorem.* plurimum enim habet, qui deſiderat minimum: habet autem quantum vult, qui vult minimum. Si rectè philoſophari volumus, *omnibus ad vitæ munia utendis* (ut Madaurenſis ille ſcribit) *quicquid aptam moderationem ſupragraditur, oneri potiùs, quàm uſui exuberat.*

rat. Igitur & immodicæ divitiæ, velut ingentia ac enormia gubernacula, faciliùs mergunt, quàm regunt, quòd habent irritam copiam, noxiam nimietatem. Illud verò ad Stipendium accedit, quòd eodem illo tempore, quo ad Remp. Excellentiſſimus PRINCEPS noſter PETRUS ENRIQUEZ ACEVEDIUS, Comes Fontanus acceſſit; ad publicum hoc Munus à SENATU promotus ſim. Ergo non alia me pagina Profeſſorem quàm PRINCIPEM Gubernatorem accipiet; & obſcurum humiléque noſtrum nomen addetur faſtis, quibus ille præſcribitur. O lumen, quod accipio; imò quod accipiam ab illo Sole! unus è paucis, quia pauci in conſpectum ejus famæ veniunt: unus è Belgis, & ab illo, qui Belgas unus victoriis ſuis maximè illuſtravit. O lumen, quod cum ipſo THALETE meo I. LIPSIO participo ac diffundo! Nam qualem tu, ô PRINCEPS, Doctorem meum, cùm Regii Hiſtoriographi titulum, à Rege datum, conferres, inveniſti: talem, te Principe, me Auditorem SENATUS

Regius

Regius fecit. Profeſſor ille erat, ego factus ſum: & ne Honoris intervallum periret, Hiſtoriographus ille factus, vt Profeſſor fierem. Gratulor itaque Doctori, qui Muneris ſui conſortem patitur, quem fecit: gratulor mihi, qui eodem cum Doctore nomine utor: gratulor utrique, quòd Honoris hos titulos ad eundem illum PRINCIPEM referamus. Ad ÆTATEM me vocas? Sequor; etſi invitus: os ſanguis, animum pudor occupat, cùm me ipſum & annos cogito: cùm hunc locum, quo conſpicior: cathedram, quam impleo: veſtigium, quod premo: vocem, quam ſequor, non dicam tot Clarorum ac Doctorum virorum; ſed, à quo uno majeſtas quædam, & æternitas huic Muneri, & Scholæ promanat, D. AVGVSTINI. ô Virum! ô Doctrinam! Quis nunc ingenii mei vires non culpet? ſed inprimis Ætatem non rejiciat? SENATVS tamen judicium ſuum interpoſuit, & Honorem hunc Ætati habuit; imò Ætatem prævertit. meritò an immeritò, invitus mehercules decerno: quia

nec fas eſt, Senatuſconſulto de me facto derogare: & oneroſum, admittere laudem, cui Ætas ſufficere non videatur. Magnam provinciam cepi; hoc tamen minorem, quòd accepi: in qua ſive annos animo Collatores donant, extra invidiam ſum; ſive ingenium promovent, extra reprehenſionem. Iniqui autem & ignari humanæ conditionis ſimus, ſi Annariarum Legum tenaces, indolem virtutémque omnem temporis limitibus concludamus. Quemadmodum fruticem interdum fructu lætum ac floridum, arborem contrà proceram, vetulámque, infelicem: ſic in puero virum vidimus, & puerum in viro. Erras, erras, ſi Virtutis, quàm Ætatis curſum tardiorem exiſtimas. *Veteres illi* (vt Marcus Tullius ait) *Leges Annales non habuerunt, quas multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſent petitionis inter æquales. quâ re factum fuit, ut magna ſæpe indoles virtutis, priuſquam Reip. prodeſſe poſſet, extincta fuerit.* Annos itaque, & ſimul eruditionem mihi deeſſe concedo: animum & temporis ſpatium

ſpatium ad perfectionem aliquam ſupereſſe contendo, illo Menandri utens:

Πολλοὺς ὁ καιρὸς ἄνδρας οὐκ ὄντας ποιεῖ.

Pleroſque tempus non viros, viros facit.

Tempus autem non præſumo, virum præſumo; perfectionem, non vitam: cujus tam breve incertúmque curriculum eſſe ſcimus, ut metam quiſque tangat, etiam ante metam. Metam inquam, ſed ab Æterno illo Finitore præſcriptam. Vt ille qui iter facit, milliaria jam ſibi lapidum diſtinctione præmenſa invenit, non diſtinguit; ſic qui vitæ hujus viam ingreſſus eſt, annos ſuos complet, non proterminat; accipit, non ſumit; finit, non definit. Motum itaque noſtrum habemus, ſed & modum; nullámque ætas ſecuritatem vitæ præſtat: virtutis tamen præſtat. Inſigne & argutum exſtat Platonis ſcomma, quo Agrigentinos, convivia pariter & ædificia ad ambitionem ſtruentes perculſit: *Agrigentini ædificant, tanquam ſemper victuri; & comedunt, tanquam ſemper morituri.* Ego verò ita litte-

rarum

rarum illud nectar hauriam, ita Auditores meos inſtruam, tanquam parùm victurus: ita vivam, tanquam ſemper docturus. Nam etſi diſcendo aliquantum profeci; ſupereſſe tamen non nego quod diſcam ad docendum: nec diſcentibus tantùm; ſed docentibus ſuum quoque tirocinium eſſe, incunabula, & rudimentum. Qui currum regit, & habenas moderatur, dum vectores ſuos transfert, ipſe etjam transfertur: ſic qui bonas Artes profitetur, dum alios inſtruit, ſeipſum inſtruit; & tanquam dux viæ, ſternit viam, quam non ſtratam ipſe inſtiterat. Ne verò ingenio meo diffidam, laborémque ſuſceptum refugiam, tu I. LIPSI, delicium generis humani: tu Io. VINC. PINELLE, Italiæ tuæ oraculum, facitis, qui ea inſtillaſtis, infudiſtis, quæ palàm promere, & in publico poſſim eliquare. Duo itaque hi viri, quorum alterius Schola pro Lare ac domicilio, alterius domicilium pro Schola fuit, delibatum honorem ſuum querantur, ſi modeſtia mea omnem omnino eruditionis confeſ-

confeſſionem excludat. In qua illud obſervandum mihi eſſe intelligo, ne tam quid ego didicerim; quàm quid ab illis acceperim, innoteſcat. Rectè à Thalete Mileſio id præſcriptum fuit, qui Mandraytum Prienenſem, cùm nova & ſubtilia quædam de cælo, & ſole docuiſſet, hanc unam à liberalitate offerentis mercedem doctrinæ admiſit, ut docuiſſe intelligeretur. O veram mercedem! O magnam mercedem! quam Doctoribus tuis tu quoque Iuventus dependes. Perit enim inſtructio, niſi inſtructorem agnoſcas: perit profectus, niſi per quem profeceris, fatearis: perit beneficium, ſi admittas, nec æſtimes. Meritum enim facientis quidem conatus affectat; ſed voluntas accipientis facit: ut etiam exigua beneficia maximorum gratiam induant, ſi in liberalem & confitentem contuleris: maxima autem apud ingratum minora fiant ac vileſcant. LIPSIO meo olim (lubet enim meminiſſe) in Apobaterio piè magis, quàm ornatè cecini:

Mercedem dabo quam recepit ille
Septem de numero THALES *Sophorum,*
Non bulgâ, aſt animo: nec ære, ſed ore:
Meæ LIPSIVS *Eruditionis,*
Si quidquam tamen Eruditionis:
Mei LIPSIVS *auctor eſt Honoris,*
Si quidquam tamen eſt, eritve Honoris.

Ego verò hac te neceſſitate, mi Auditor, libero: nihil tecum paciſcor, nihil mihi poſco dependi. Si quis mea opera profeciſſe ſe intelliget, me rivum eſſe, & ab ipſo fonte accepiſſe. Quod tibi & Doctrinæ debes exſolve: ne virtutem litteris poſteriorem habeas. In uliginoſo agro, qui molem ſtruit, ruinam ſtruit, qua ſepeliatur; vitiis qui doctrinam jungit, adfert vitium quo lædatur. Philetas Cous Monogrammus ille, cùm corpore tam macro eſſet, ut non tantùm impulſu ictus; ſed etiam vehementiori vento concuſſus in terram daretur, plumbeis uti ſoleis ſolebat, ut conſiſteret: ſic tu debes, quiſquis à chartis pallorem, ac maciem à ſtudio trahis, virtutem tibi ſubſternere, ne admiratione tui adflatus in perniciem Reip.

rapiaris

rapiatis ac concidas. Fallor? an ex ſupervacuo te vocis meæ remigio impello, meliori jam exemplo motum, velut ſpirante aura, quæ à ſubſelliis iſtis, à PATRIÆ inquam PATRIBVS proficiſcitur? Hi illi, qui cum in ampliſſimo Honoris gradu Doctiſſimi ſint; Doctrinæ tamen Prudentiæque fructum in Virtute ponunt, Docti per Virtutem, per Doctrinam Boni. Sunt autem in Studiis tanti; ut nobiliores ſint proprio Ingenio, quàm Laticlavo: in Virtutibus tanti; ut Ingenium ſuperent. Hi illi, qui cum Doctrinam ſine Virtute non agnoſcant, Virtutem Doctrina exerceant; malunt tamen rectè agere, quàm ſcire, Reipub. cauſſa: ſcire etiam, quàm ſciri, Modeſtiæ ſuæ cauſſa. Sic igitur in illo culmine Dignitatis omnibus magni ſunt, ſibi ipſi parvi: & verè magni, quòd dici recuſent. Celebrantur enim ab omnibus, qui omnium prœconia fugiunt: & locum honori faciunt, dum honore Modeſtiam exonerant. Honorem capiunt; nec ipſi tamen capiuntur. Tanta verò Virtu-

tis confidentia eſt, auræ popularis contemptus; ut vitam domeſticam produci in publicum patiantur: publicam velint in occulto eſſe. ſic laudem declinantes, quam in publico merentur: & Continentiæ exemplo in publicum conſulentes, quod formant in occulto. Tu itaque flos Vrbis, ſpes Patriæ Iuventus, per ſtratam aut monſtratam hanc viam Virtutis ad Doctrinam perge: & dum in ipſa Studiorum velut incude poſita es, formantis manum admitte, diſciplinæ illum ignem ſuſtine, & exercitationi te compone. Quid eſt? num prægustum aliquem laborum flagitas? dabo, quia flagitas: nec paſſis ſolutíſque verbis, ſed carmine priſci ſcriptoris; ut ipſa auctoritate, & numerorum vinculis capiaris. Quid dico, capiaris? inſidiis minimè opus eſt: animum, non laborem hæc ſtudia poſcunt. Siquis ergo magnis mentem applicat, & cultum ingenii amat:

-----Det primos verſibus annos,
Mæoniumq́; bibat felici pectore fontem.
Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas

Liber

Liber, & ingentus quatiat Demoſthenis arma.
Hunc Romana manus circunfluat, & modò Graio
Exonerata ſono mutet ſuffuſa ſaporem.
Interdum ſubducta foro det pagina curſum,
Et fortuna ſonet celeri diſtincta meatu:
Dent epulas, & bella truci memorata canore,
Grandiáque indomiti Ciceronis verba minentur.
His animum ſuccinge bonis: ſic flumine lar-
Plenus, Pierio defundes pectore verba. (go

Ecce tibi diſciplinæ exemplar, ecce ſtudiorum gradus; ut lectione ſevera te ipſum mitiges; ut ſapientiæ præceptis animum componas; ut atroci ſtilo verba effodias. Habes verò ubi id præſtes, publica & privata Gymnaſia: habes & PALATINAS has Scholas. Hîc, ut Sol omnibus, ſic eruditio lucet: ut in publico flumina, ſic ELOQVENTIA manat. Prodi igitur, & à privato ſudore publicè quoque diſce, ut Reipublicæ te cauſſa diſcere intelligas. Quemadmodum lactentes, qui ma-

ternis uberibus nutriuntur, nutricem non refugiunt: ſic in illa Doctorum copia, è me Collegíſque meis hauries, quod pro palato & profectu tuo ſit. Tu modò marceſcere ætatis tuæ florem otio aut torpore ne ſinas, ſed magno animo gradiare, ne citra annos ingenium conſiſtat. Cogita, quam ſpem alas, & quo viatico tibi utendum. Ad Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam tranſis? Litterarum hæc ſtudia dirigent: ad Rempublicam & latum clavum? ducent: ad Militiam & arma? hinc præcepta, hinc exempla ſuppetent. Sed quid ego iſta copioſiùs? Bonas litteras amare & tractare æquè neceſſum eſt, ac non neceſſum laudare apud amantes. Deinde hunc campum liberum tibi faciam, hanc viam ſternam, ut univerſa hæc Humanitatis ſcena à te explicetur, elogio ornetur, ſtùdio commendetur. Ita enim univerſæ Profeſſionis meæ rationem inſtituam, ut me ipſum (qualis qualis ſum) in Auditoribus quàm breviſſimè cernam. quam unam imaginem

maxi-

maximè opto, quam unam contueri deſidero; animi, non corporis; in homine, non in lapide. Sic, Latium, Græcúmque peragrare inſtitui; Ritus, Sacra, & Hiſtoriam priſcam inſpicere, ad Ciceronianæ Academiæ ſpatia, & Romana noſtra cuncta relaturus. Tu DEVS Æterne omnium Genitor, ipſe non genite, principio antiquior, fine diuturnior, infunde ab alto Sapientiæ Tuæ radium, & mentem meam illuſtra, ut cum honore tuo, cum fructu noſtro ego docere, juventus iſta à me doceri poſſit. Sic finio, & votum meum ad vos trãsfero, Ampliſſimi SENATORES, quos vivere & vigere jubeo; imò cùm vigere deſiiſtis, tamen vivere: ut ſi vigeatis, prudentiæ veſtræ fructum; ſi ultrà vivatis, præſentiæ felicitatem ſentiamus. Vivere, & feliciter Rémque Publicam, & Litterariam gerere: vivere, ut bonæ artes vivant, ut nos ipſos vivere delectet. DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO II.

BIENNII APOLOGISMVS, QVO RHETORIS OFFICIVM ADVMBRO,

Ad Populum Mediolanenſem.

IANVM Antiquitas, Auditores, Bicipitem, velut Prudentiæ quamdam Imaginem, typúmq; finxit; ut in rebus conſiliíſque non tantùm quid actum, ſed quid agendum quoque eſſet, pari lance expenſum haberemus; & in futurum præmittere feſtinantes cogitationes ſolliciti, & adſtricto quodam conſilii freno cohibere ac reflectere cati, ad ea quæ præterita ſunt. Rectè. Ratio enim tranſacti, forma quædam futuri eſt, ut ſi quid feliciter ſucceſſerit, hoc ipſum ſecuro exemplo affectare;

ctare; ſi quid præter animi ſententiam paſſi ſimus, evitare ſtudeamus.

Ego verò cùm in hoc Studiorum principio, & non Iani dicam, ſed Suadæ limine, Orationem more maiorum habiturus eſſem, Muneris publici cauſsâ; ætatem hanc meam, dicendiq; verecundiam prudentiæ quadā affectatione ſupplere conatus ſum; &, Bifrontem cogitans, elapſi ſucceſſum anni breviter referre, & inſtātis ſimul rationem diſputare conſtitui; ut bono omine, vos quoque Auditores, mentis illa remora paullisper in præterito conſiſtatis, mox orationis meæ liquido & leni curſu in futurum transferendi. ita enim alii, induſtria mea perſpecta, palàm intelligent, quem fructum deinceps ab ingenio meo ſpondere Reipublicæ poſſint, ſi ſpecimen de præterito habeant: alii ab otio & umbra emergētes, publicè diſcere, & ſimul videri cupient, ſi Orationis hoc guſtu ſive illice fuerint excitati. Conveniſtis enim partim tanquam Auditores, ut ſubductam anni ratiunculam habea-

tis, quam ſequamini: partim tanquã Iudices, ut cognoſcatis, an Auditores merear. Ego verò in memoria omnium quæ dixi docuiq́;, in oculis & conſpectu eſſe cupio, quæ dicturus docturuſq́; ſum: cùm docendo dicendóque non neceſſariò ad lucrum, ſed ſponte ad laudem nitar, ab umbratici Doctoris nomine & inertia alienus. Ad laudem dico, quam publica utilitate metior. Publicè enim prodeſſe (reſpondeat modò Iuventus, & agnoſcant ii à quorum Iuventus imperio pendet) Prodeſſe inquam publicè mens & voluntas mihi fuit, eritque, dum munus ipſum erit. Sic cum laude munus functurus, etſi omnino effectum non conſequar; *quòd omnibus bonis in rebus*, ut Apuleius ſcriptum reliquit, *conatus in laude, effectus in caſu eſt: ita ut contra in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vendicantur; cruenta mente, pura manu. Ergo ſicut ad pœnam ſufficit, meditari punienda: ſic & ad laudem ſatis eſt, conari prædicanda.* Vos autem, qui utriuſque arbitri præſentia veſtra facti eſtis, aures animumq́; ſultis

ſultis advertite, atque decernite, conatum meum duntaxat, an effectum quoque laudandum in iis, quæ feci, cenſeatis: in iis autem, quæ facturus ſum, an præter conatum, effectum quoque ſperare debeam. Quemadmodum illi, qui cæleſtes è terreno domicilio regiones animi quodam itinere pererrant, ac Deorum ſtellis illuſtres orbes, ſiderúmque curſus ad legem numerúmque ſupputant, à Sole ſolent & orbe principe initium capere: ita ego ad Eloquentiæ hoc munus evectus, ab ipſo Atlante Cicerone, in quo uno potiſſimùm nititur Latini eloquii Suada, auſpicatus ſum. Hunc igitur & *pro Milone fortiſſimo viro orantem* repræſentavi; & *de Legibus, ad exemplum Platonis, philoſophantem* produxi. Quo conſilio? ut & Philorhetores mei rudimentum quoddam juris acciperent; & Iuris tirones, oratorio hoc pulvere perfuſi, læta ac matura in forum curiámque ſtudia proferrēt. Tam arcto enim hæc inter ſe nodo juncta & nexa ſunt, ut ſine Iuriſprudentiæ adminiculo, trunca & imper-

fecta Oratoris laus; & ſine Eloquentiæ armis, imbecillis ac enervis Iuriſconſulti conatus exſiſtat. Date mihi paulliſper priſca illa Iuris Lumina, quorum Reſponſa vim Legum jure meritò obtinuerunt; illa antiqua Eloquentiæ decora, quorum in dicendo venus, ardor, majeſtas emicuit: pariter omnino in Iuris ſtudio, & Oratoriis præceptis elaborarunt. Sed de omnibus nimis longum eſſet ſingulatim dicere: unum Ciceronem, de quo ſermo eſt, in verborum meorum ſubſidium voco. Prodi igitur tu Oratorum Princeps, & in Attici perſona ſcribens, ſtudiorum tuorum rationem ob oculos nobis pone: imò tu potius Attice tributum tibi à Tullio ſermonem exſequere; ut alienum teſtimonium videatur, verbáque fidem faciliùs inveniant. Atticum è primo de Legibus audite: *Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſecivis, ut ais, temporibus, & conſcribis de Iure Civili ſubtiliùs quàm cateri? Nam à primo tempore ætatis Iuri ſtudere te memini, cùm ipſe etiam ad Scævolam ventitarem: neque unquam*

quam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, ut Ius Civile contemneres. Sed nunc ipſum quoque Ciceronem proferre lubet, quem è Bruto vobis ſiſto: *Ego autem Iuris Civilis ſtudio, multum operæ dabam Q. Scæuolæ P. filio. qui quamquàm nemini ad docendum ſe dabat, tamen conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat.* Quod Cicero igitur fecit, faciundum Auditoribus meis cenſui; eò etiam magis, quia ipſe feci, & triennium, poſtquàm Philoſophi titulo donatus ſum, antiquarum Legum tabulis impendi. illud autem quàm maximè in aliis cernere libido eſt, quod in nobiſmet ipſi expreſſimus; inprimis, ſi cum fructu aliquo, atq; emolumento expreſſimus. Quia verò univerſa hæc Philologia noſtra in Lectione & Stilo poſita eſt, *Rationem Legendi optimos auctores, & Eligendi Methodum* tradidi. *Scribendi Normam, & Declamandi Leges* dedi, ea induſtria, & modo, quem (niſi me ingenium fallit) docti probent, indocti appetant: illi intelligant, hi ſuſpiciant. Deniq; *De Diſtinctionibus Syntagma* compoſui

poſui,dictavi, edidi: de quo gaudere ipſe, quam dicere malo; ne non tam indicare induſtriam meam dicendo, quàm laudare velle videar, illam jam publicis typis conſignatam, publico judicio commiſſam. Si quis fuit,qui calumniæ ſuæ dentem innoxio & innocuo libello imprimere tentaverit, non me profectò læſit, ſed ſuum potiùs delirium patefecit,ridendúmque propoſuit. Quid autem? cur me ipſe torqueam? *hoc quoque genus invenitur* (ut olim Platonicus ille conqueſtus eſt) *qui meliores obtrectare malunt quàm imitari; & quorum ſimilitudinem deſperent, eorum affectent ſimultatem.* Hæc quidem in publico fuêre: poſſem nunc quoque privatas *Exercitationes, Diſſertationes, Scriptiones*, è muſéo & Laris ſilentio, è Sole & umbra, è campis & ſpatiis, huc in conſpectum veſtrum & clariſſimam lucem proferre, quas nullo privato commodo publicis Lectionibus adjeci, & corollarii loco ſectatoribus meis admenſus ſum; niſi jam publicè publico ſtipendio ſatisfeciſſe, & communi omnium re-

ſpondiſſe

ſpondiſſe exſpectationi viderer. Sic igitur quæ tranſacta ſunt dixi; imò quæ dicta ſunt feci. dixi autem quia feci; nec feci tamen uti dicerem. Ego tamen vereor, ut quorumdam ingenia ſunt, ne hæc ipſa, quæ alio quopiam referente magnifica laudíſque fœcunda fuiſſent, me ipſo, qui feci, recenſente, evaneſcant. *Homines enim,*uti Plinio ſubſcribo, *cùm rem deſtruere non poſſunt, jactationem ejus inceſſunt: ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum; ſi laudanda, quòd nòn ſileas ipſe, culpatur.* Quare jam conſcientia mea ſubnixus, brevi facilique trajectu temporis de præterito in futurum Orationem tranſmitto, ut quæ deinceps, quo ordine, quo modo aggreſſurus ſim, in anteceſſum videatis. Cùm verò diligentiùs rem univerſam expendo, difficiliorem Orationis partem, poſtquam è præterito emerſi, permenſus mihi videor, ſecurè, ac ſine ulla deinceps remora aut obſtaculo dicturus. quæ enim tranſacta ſunt, dicendo corrigere non licet: quæ verò præ manibus ſunt, exſequendo, pro conſilii ratione

tione, mutare. Quocirca ſi probatis quæ tranſacta ſunt, juſto quoque judicio cenſete quæ futura ſunt; ut hæc quoque approbetis. Cùm dicendi facultas Arte, quæ Naturam; & Exercitatione, quæ Imitationem comitem ſibi adſciſcit, conſtet; Eloquentiæ velut quadrigam quamdam paratam mihi video quam inſcendam, & quam regam ad cæleſtem & Phœbæum illum motum, donec anni ipſius converſione, ad novum Doctrinæ ordinem fuero tranſlatus. Ab *Arte* igitur, ſive *Præceptis* initium faciam: quæ dubium fuit, è priſco aliquo ſcriptore, Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano deſumerem; an ex his omnibus meo quodam filo ac methodo concinnarem; eóque tandem, libratis expenſiſque utrimque rationibus, ſententiæ meæ lancem inclinavi, ut ipſe dictanda potiùs congererem, quàm explicãda aliunde deſumerem: ſic deſiderio multorum obſecuturus, qui excipere doctrinã calamo, quàm auribus malunt: ſic quoque temporis compendium facturus, ne univerſus

illc

ille annus ſoli Arti impendatur. Tu qui voles, ſume tibi *Quinctiliani Inſtitutiones* interpretandas; ſed quid? annon tot libros, quot menſes inveneris? Sume *Ciceronis de Oratore* luculentum opus; annon citiùs ad anni terminū, quàm librorum finem appuleris? Sume laudatam *Ariſtotelis Rhetoricam*; annon plus tibi operis quàm temporis? Hujuſmodi ſanè libros incohare publicè cum pompa & oſtentatione licet: abſolvere, niſi privatim, cum emolumento non licet. Quid exemplis rem probo, & defectus Scholarum publicos hîc recenſeo? ſed nec ſententiam meam auctoritate defendo; etſi veſtigia quorumdam video, qui rectam docendi viam ſtrenuè calcarunt. Multos equidem offendo, ſi rem ipſam in vitio poſitam culpem: paucos mihi demereor, ſi probos honeſtóſque conatus elogio proſequar. Eò enim (ignoſcat mihi Scholæ Genius) pravo uſu declinatum eſt, ut cùm plura in diſciplinarum docēdarum ratione culpanda quàm laudanda ſint, ſi laudavero, parcus; ſi culpavero,

vero, nimius fuiſſe videat; quamvis & laudando copioſus, & culpando reſtrictus exſiſtam. Quid igitur? is ego ſum, qui ab Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano, reliquisq; docti pulveris magiſtris Iuventutem abduco? nequaquam: ad eosdem potiùs duco. omnes enim explicare aggredior, dũ ſingulos negligo; & ab omnibus doctrinæ ſubſidium accipio, dum in nullius verba pertinaciter iuro. Et ſic tamen, cùm meo omnia Marte dixero, dictavero, explicavero, aditus ad luculentiſſimos Auctores liber eſt, lectio integra, iudicium impeditum. De *Arte* habuiſtis, Auditores; ut *Naturam*, id eſt, Ingenium adferatis, verbis non præcipio. id enim à DEO pendet, & DEO à hominibus datur; etſi corrigere Naturæ aliquem defectum, ipſa Exercitatione conceſſum eſt. Quare ad *Exercitationem* tranſeo, ac de eâdem conſilii mei putatam rationem expono. Bonarum litterarum, omniúmque artium intertrimentum ac defectum, ab otio & deſidia natum eſſe, manifeſtum evadet, ſi pri-

ſi priſcà illa ſæcula & ſtudia contemplere. *Quis enim ignorat* (verba Quinctiliani ſunt) *& Eloquentiam, & cæteras Artes deſciviſſe ab illa vetere gloria, non inopia hominum; ſed deſidia Iuventutis, & negligentia parentum, & inſcientia præcipientium, & oblivione moris antiqui?* Non profectò inopia hominum, aut ingeniorum. Ineptum enim eſſet, laſſam aut effœtam jam Naturam dicere, quaſi ingenii nobis vim conſervare non potuerit; cùm familiarem quoque deſidiam noſtram (tantum enim ingenio creſcimus, quantum induſtria deficimus) velut ſolicita mater mentis quodam incremento ſupplere videatur. Quo magis adnitendum eſſe arbitror, ut cum Natura ipſa conſpirantes, tantum Exercitationi è more priſco impendamus, quantum Eloquentia delectamur. Itaque, ut ad exemplum veterum, ad profectum diſcentium omnis inſtitutio dirigatur, vocem ſtilúmque Auditorum meorum ſimul exercere inſtitui; ut hac velut face, & hoc viatico, ad vota feſtinent, & Famæ ſe inſerant.

Hæc enim Doctoris laus eſt maxima, ad laudem Diſcipulum promovere; imò hic univerſæ Profeſſionis meæ finis eſt, ut ad meum ipſius nomen & munus quiſpiam è juventute iſta exſurgat. Quod ut Exercitatione conſequamur, *Imitatio* adjungenda eſt; ſed Imitatio non unius tantùm, ſed unius potiſſimùm Ciceronis, è quo ſine periculo ullo electionis decerpere omnia atque libare liceat. Nam etſi inter veteres illos alii quoque fuerunt, qui dicendi gloria floruerunt; inveneris tamen, velut in ampliſſimo quodam campo, noxias alibi herbas ſteriléſque plantas, quas ſine ætatis ac ſtili confirmati ſubſidio non diſcernas, ſine ſcriptionis tuæ damno non decerpas; niſi Hortenſius ipſe, aut ex Hortenſiis fueris, magnóque judicio, ac ſelectu decerpſeris. Si fueris, repagulo ac limite omni remoto, ad nulla non Scriptorum te vireta ducam, imò impellam. Interim Ciceroni eumdem in Scholis & in hac Eloquentiæ Palæſtra locum faciam, quem pro Roſtris & in Aca-

demia

demia olim dicendo ac ſcribendo obtinuit; ut primus legatur atque audiatur. Sed quemadmodum periti ſculptores non univerſam ſtatim imaginem, verùm digniſſimam hominis partem caput præfigere tironi ſolent; ut ab ipſa artis arce laboris auſpicium ſumatur: ita ego in ipſo Cicerone ſelectum faciens, illud potiſſimùm ſcriptum, ſive fragmentum delineare aggrediar, in quo velut capite, elegantiarum omnium meatus ac domicilia, ipſiúſque Philoſophię ac Philologiæ ſedes poſita eſt. Equidem cùm attentionem & intentionem veſtram intueor, præiviſſe tacita mente indicium & nomenclaturam meam videmini: & concepiſſe librum, quem indicare geſtio: etſi nullum ego vobis conceptum malim; ut integrum potius aſſenſum veſtrum meo indicio merear, quàm aut revocare mentem, ſi conjectando erraveritis, aut ex ſupervacuo monere videar, ſi divinando fueritis adſecuti. Sed ne verborum cunctatione vos ſuſpenſos habeam, Nomenclator ecce fio, ac ti-

tulum pronuncio. M. TULLI SOMNIUM SCIPIONIS eſt: ſcriptum & elogiis veterum illuſtre,& per ſe utile jucundúmque, velut Κέρας ἀμαλθείας, uberrimos ac lætiſſimos doctrinarum fructus repræſentans. Evolvite librum,excutite dictionem, expendite argumentum; iratas omnes Muſas perpetuò habeam, niſi volentes lubentéſque in ſententiam meam pedibus eatis. De Cicerone quidem cùm ſermo inſtituitur, neceſſum non eſt elegantiam ſtili verbis adſtruere: neceſſum fortaſſe, perſuaſum habeatis, latere in aureo aurei hujus ſcripti fundo, præter Grammaticæ Rhetoricæque theſauros, Arithmeticæ abacum, Muſicæ modos, Geometriæ pulverem, Aſtronomiæ imagines, Moralis, Politicæque ac Naturalis Philoſophiæ quamdam umbram: quæ omnia & cognoſcenda futuro Oratori ſunt, ſi tam auguſtum ſuſtinere nomen velit; ſed ipſi ELOQUENTIÆ PROFESSORI cognita eſſe debent, niſi impar humeris onus ſuſcepiſſe videatur. Quid mirum? Eloquentia

quædam

quædam quaſi Sapientia, id eſt, ſcientiarum omnium artiúmque Orbis, Græcè ἐγκυκλοπαιδεία appellari poteſt. Priſcis enim illis temporibus, quibus rerum cognitio nata eſt, hæc vna ſcientia exiſtimabatur, ſcientias omnes poſſidere. Poſtquàm verò paullatim hominum genus procliveà labore ad faſtum luxúmque irét; vel certè latiùs hæ ſuos artes terminos propagarent, nimisque arduum videretur in univerſo genere ſingulos elaborare; ſecerni ſcientiæ cœperunt, & tamquam ex aliquo monte, rivorum: ita ex hoc ſapientiæ quaſi jugo ſunt doctrinarum divortia facta: quæ in unum tandem Eloquentiæ pelagus receptæ, denuò uniuntur. Etenim hæc illa ſtudia, velut florida quædam prata ſunt, & varietate conſtant. Quot iſtic flores, hîc artes: quot iſtic herbæ, hîc diſciplinæ. Quarum omnium radices Oratori indagandæ ſunt, ſucci exprimēdi, vis & ratio edocenda; ſi modò, ut hortorum experimenta ad corporis uſum: ſic ſtudiorum exercitia ad animi cultum referre nitatur. Quòd mor-

talium vita in arctum à Natura concluſa, morborum moleſtiis, periculiſque obnoxia ſit, quis neget herbarum ſive neglectu, ſive abuſu maximè fieri; cùm aut infeſtos nobis ſuccos imperitia libamus, aut inertia negligimus? Primos enim illos mortales non tantùm Macrobios, ſive longævos, ſed etiam ſanos robuſtóſque hac potiſſimum de cauſſa fuiſſe exiſtimo, quòd herbarum virtute, quarum perfectiſſima cognitione præditi erant, corporis contractum aliquod vitium, aut naturæ mendum, ſtatim ac facile corrigebant. Pariter priſco illo ævo, cum in honore, & cultu Artes ingenuæ eſſent, non tantum pura, ac læta Eloquentia florebat; ſed ſpoliatum omni motu, ac cupidine animum virtute quiſque induebat: nunc verò quia ludibrio litteræ ſunt, ignavia, vanitas, ferocia Iuventutem tenent. Et ſic Doctores ipſi *neceſſe habent cum inſanientibus furere. Nam niſi dixerint, quæ Adoleſcentuli probent, ſoli in ſcholis relinquentur. Sicut ficti adulatores cùm cœnas divitum captant, nihil prius meditan-*

tur,

tur, quàm ut quaſdam inſidias auribus faciant : ſic Eloquentiæ magiſter, niſi tamquam piſcator eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo. Sed quid hoc aliud, quàm quod apud Agellium Taurus Philoſophus conqueritur, legem diſcipulos dare qua diſcant? *Alius ait : hoc me primum doce. Item alius, Hoc volo, inquit, diſcere, iſtud nolo. Hic à Sympoſio Platonis incipere geſtit, propter Alcibiadis comeſſationem : ille à Phædro, propter Lyſiæ orationem.* Quid ergò eſt? ſtudio vincenda obrepentia vitia ſunt, & cum Eloquentia cæteræ quoque artes delibandæ, ſine quibus aridam inſipidámque Eloquentiam habeas. Pictorem cenſere ſolemus, non qui faciem dumtaxat hominis, ſed qui reliqua quoque membra, totúmque hominem, & nudum curioſis oculis objicere, & induere colorum quadam purpura queat : ita planè Oratorem arbitrari debemus, qui non tantùm ipſam ſuam Rhetoricam clamare, *de Quæſtionum differentiis, Cauſſarum generibus*, cæteríſque illis publi-

eè decantatis diſſerere ; ſed ex omnium rerum pulvillis nectere hanc floridæ Eloquentiæ corollam poſſit. A Græcis, Latinis, Barbaris, res & exempla petenda ſunt,quæ verbis exornentur ; & ex omni Scientiarum penu(quemadmodum Cicero copioſiùs in libris de Oratore proſecutus eſt) materia depromenda eſt, quæ oratione explicetur. Sic priſci illi Rhetores·: ſic nunc quoque (nec enim recentia exempla ſpernenda ſunt) qui voce & ſtilo publicè Iuventutem ducunt : alii alibi ; ſed in Ticinenſi veſtro Athenæo, ille, quem proximè inſpicio & ſuſpicio, Henricvs Farnesivs, cujus ego induſtriam ſtimulum, doctrinam ſubſidium, auctoritatem exemplum habeo. Ac ſic quidem quæ ſecundo hoc anno facturus ſum, ſatis ſupérque dixiſſe mihi videor. Dixiſſe inquam, ſed docenda publica cauſſa, ut dicta docendo exſequar. Quod dum facio, conanti mihi album calculum veſtrum adjicite : quemadmodùm dicenti tranquillum ſilentium tribuiſtis.

ſtis. Qua ſpe fretus, non ampliùs diſputo, an cum fructu anni circulum partitus ſim; ſed laboro potiùs, ut eumdem illum fructum, jam ſpe maturum, & promiſſo uberem feliciter percipiatis. Vos hortor, quorum vacuum ingenii, ut ita dicam, etiam nunc horreum eſt; ut ex hac ſchola, tanquam è publico agro, copioſam meſſem colligatis. Vos rogo, quorum ut cum Poëta dicam,

---immenſæ ruperunt horrea meſſes,

ut ſi non annonæ, certè animi cauſſa ſpicas aliquot collectum eatis ſtudii ac doctrinæ: ſic clariſſimum indicium habituri, quid Iuventus veſtra proficiat; quo pretio tempus litteris, ſilentium Scholæ, ſeipſam Profeſſori impendat. DIXI.

ORATIO III.
DE RHETORIBVS, ET SCHOLIS PALATINIS Mediolanenſium:

Ad Præfectum, & XII. Viros Vrbis.

ALTERAM ROMAM MEDIOLANVM dicere, Perilluſtres Viri, vetus, verúmque elogium eſt. Quæ enim duo

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam

ad Deos pænè evexerunt, armorum diſciplina, & litterarum ſtudium, ita urbs veſtra olim complexa eſt, ut domi militiæque ad Romanam gloriam proceſſerit. Sed arma quidem, etſi internis ſeditionibus ſæpius fatigata, ad terrorem orbis fuiſſent, niſi Virtuti Fortuna invidiſſet. Inter arma colliſæ ſæpiùs Reipublicæ vulnera litterarum

rarum, ſubſidio ſanata, nunc quoque jactari gaudent. Sic felix ROMA, totius orbis victoriis clara: tu quoque felix ALTERA ROMA, quæ victa, Victricis gloriam æmularis. Illius fortunam, Mars, & horrida quædam virtus: tuam famam litteræ promoverunt; ut mihi quidem videare Martem ipſum litteris, & inprimis Eloquentia, debellaſſe. Eloquentia inquam, quæ Mediolani potiſſimum floruit, publicè in foro, & in Scholis quoque culta: an in his ipſis, in quibus Suadæ nunc quotidie litamus? in his ipſis, quæ PALATINÆ publico nomine dicuntur? Id investigatum eo, ut oſtendam Scholas iſtas, inter antiquiſſima Vrbis ornamenta, dignas juventute veſtra eſſe; & munus ipſum honeſtiſſimum, inter titulos civiles. De RHETORIBVS enim dicam, eos à mille, & octingentis ampliùs annis perpetuos; nec è plebe, ſed meliori ferè numero hic fuiſſe: non minùs Profeſſionis gloria, quàm ſtirpis claros; qui libentiùs Profeſſionis gloriam, quàm ſtirpis

ſtirpis uſurparunt. Decuit, & nunc decet; cùm illuſtrius, mereri poſteros Profeſſione nobiles, quàm ſtirpe parentes recenſere: facere ſibi nomen, quàm accipere; niſi acceptum nova induſtria extendatur.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Virtuti proximum, largo & exundante ingenii fonte irrigare juventutem publicè poſſe, & ad prudentiam præparare. Ego certè, cui poſt tot inſignes, & eruditos viros, docere in his Scholis contigit, etiam extra Scholas, & majorum aliquod lumen, & pompam imaginum habeam; longè tamen ſuaviorem in Scholis famam deguſtare videor, quia ex me natam. Ecce autem, ut pænè in periculũ modeſtiam meam voco, dum à publicis veſtriſque laudibus meas derivo. Veſtræ enim laudes iſtæ ſunt, qui Scholas iſtas, à majoribus inſtitutas, publico ſumptu liberaliter fovetis: non meæ, qui tantum gloriæ duntaxat capio, quantum alii à me fructus. Itaque meum

meum potiùs ſit exſequi docendo munus, ad quod promotus ſum; quàm ornare felicitatem dicendo, quam potitus ſum. Civis ſuccedat, & rerum Mediolanenſium peritus, qui piè ac facilè ſubeat hunc laborem. Et tamen conabor ipſe, cum bona utriuſque venia; ut in comparationem, non dicam peritiæ ſpecimen, ſed pietatis diligentiam accipiat, ſi quis concurret. Ego enim, ut nec civis titulum, nec periti laudem jactem: audebo tamen, velut inter cives adſcitus, periti conatum; & velut inter peritos adſcriptus, civis officium Reipubl. impendere; quæ publicè me & Laris jure velut civem, & ELOQVENTIÆ PROFESSIONE velut peritum adſcivit. Quid igitur? Patria & ſanguine alienus ſum? ſed Profeſſione, & Pietate veſter. Vos aures animúmque mihi, imò Scholis ipſis paulliſper date. Magnum & mirum eſt, quod dicam, ad veterem Vrbis, RHETORVM, & SCHOLARVM veſtrarum gloriam: veſter eſt qui dicet, & ad veſtrum etiam nutum aut reſtringet dictionis ſeriem,

ſeriem, aut extendet. Ordinem intra leges lineáſque Hiſtoriæ habiturus, veritate & ſelectu diſtinguam. Vt qui prolixum aliquod iter facit, non in ſtabulis cunctis & villis commoratur, ſed in locis aut religione ſacris, aut ſitu amœnis, aut antiquitatis fama claris: ita ego in hac Diſſertatione non ubique vocem impediens, ſed rebus excellentioribus impendens, vagabor, & decerpam quidquid ad veram laudem componendam cum delectatione rarum aut eximium erit. Multa quidem curioſa inventio protrudit, quæ ſilentio contemnenda ſunt; multa item temporum obſcuritas involvit, quæ inprimis explicanda ſunt: ut non minùs ſuperſit, quod dictu vile, quàm deſit, quod inventu difficile ſit. Seligenda autem digna auribus materia, quæ verborum pompa veſtiatur. Vetuſtatem, & ipſám ſenectutem, quæ in homine venerabilis, in locis ſtructuriſq; ſacra eſt, inprimis repræſento; ut, ſi cui in anguſtum compreſſa nunc dignitas videatur, retro ad memoriam

majo-

majorum cogitationes reflectat. minùs enim deſpiciet, quid RHETORES, & SCHOLÆ PALATINÆ eſſe deſierint, ſi recordabitur, quid aliquando fuerint. Eloquentia, cùm devicta Græcia, liberum populum quæreret, Romam, & mox Mediolanum, quaſi ad ſocios fratréſque Populi Romani commigravit: ita utrobique commorata; ut cùm priſcos ſuos RHETORES, & SCHOLAS Roma jactet: Mediolanum RHETORES ac SCHOLÆ ipſæ. Romæ namque, Suetonio ſcribente, Senatuſconſulto, C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſalla Coſſ. & poſteà iterùm Cenſorio Edicto Scholæ Rhetorum ſublatæ ſunt. Scilicet Martiales illi manu eſſe ſtrenui quàm lingua, &, cum Salluſtio dicam, *Optimus quiſque facere, quàm dicere; ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Et tunc tamen Mediolani adoleſcentes declamationibus continebantur, & in toga Eloquentiæ quædam quaſi arma quatiebant. Reſumpſit verò mox Roma artem quam

quam ſpreverat: produxit Mediolanum quam adſumpſerat: & colonias quoque ſtudiorum circumquaque duxit. *Nam*, ut idem Suetonius auctor eſt, *in Provincias quoque Grammatica penetraverat, ac nonnulli de notiſſimis Doctoribus peregrè docuerunt, maximè in Gallia Togata: inter quos* OCTAVIVS TEVCER, *&* SISCENNIVS IACCHVS, *&* OPPIVS CARES. Quod autem de Grammatica dicit, ad Rhetoricam quoque referendum. *Veteres enim Grammatici*, ut ibidem Suetonius, *& Rhetoricam docebant, ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. ſecundùm quam conſuetudinem poſteriores quoque exiſtimo, quamquam jam diſcretis profeſſionibus, nihilominùs vel retinuiſſe, vel inſtituiſſe & ipſos quædam genera Inſtitutionum, ad Eloquentiam præparandam: ut, Problemata, Periphraſes, Elocutiones, Ethologias, atque àlia hoc genus; ne ſcilicet ſicci omninò atque aridi pueri Rhetoribus traderentur.* Sed cur non prælucent Hiſtoriæ faces, & tot illuſtrium virorum nomina diſtinguunt, qui Mediolani docuerunt? Diviſum orbis

bis imperium gremio veſtro accepiſſe gloriamini : quin potiùs jam antè Eloquentiæ ac litterarum ſtudio meruiſſe,ut acciperetis.In contemptum, aut neglectum denuò amœnior ille animi cultus Romæ lapſus ; ut Mediolanum tranſmigraret : ſecuta imperii majeſtas ; quaſi alibi conſiſtere non poſſet, niſi ubi Litteræ ipſæ ſundamentum ſubſtraviſſent. Luxus, Tyrannis, & mille ſeneſcentis Vrbis morbi pepulerant bonas omnes artes,ſine quibus firma aut robuſta Imperii dignitas eſſe non poterat. Ergò Mediolani, velut in novo regno ſe Virtus explicuit , Litteræ increverunt,Eloquentia effloruit : Profeſſores admiſſi aut conducti, qui Suadæ ſemina privatim,& mox publicè ſpargerent. Sed facile fuit proclivem naturam arte ſubigere, & innatas radices cultu ad fructum provocare. Fœcunda enim,& quod Auſonius in laudem magnæ hujus urbis ſcripſit, FACVNDA VIRORVM INGENIA vim, & laudem Eloquentiæ propagarunt. Plinius exemplum ad municipes ſuos

D trans-

transferre conatus eſt,&, Scholæ hujus gloriam inſigni & magnanima liberalitate in urbe Patria adfectans, luculenter celebravit. Ego pluſcula verba recenſere penſum habeo; ut, quod ille juventuti ſuæ factum cupit, ego veſtræ gratuler. Libr. IV. Epiſt. XIII. Tacito ſcribens : *Proximè cùm in Patria mea fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. Huic ego, Studes? inquam. Reſpondit: Etiam. Vbi? Mediolani. Cur non hîc? Et pater eius (erat enim unà, atque etiam ipſe adduxerat puerum) Quia nullos hic Præceptores habemus. Quare nullos? Nam vehementer intererat veſtra qui patres eſtis (& opportunè complures patres audiebant) liberos veſtros hîc potiſſimum diſcere. Vbi enim aut jucundiùs morarentur quàm in Patria; aut pudiciùs continerentur, quàm ſub oculis parentum; aut minore ſumptu quàm domi? Quantulum eſt ergò collata pecunia conducere Præceptores? quódque nunc in habitationes, in viatica, in ea quæ peregrè emuntur (omnia autem peregrè emuntur) impenditis, adjicere mercedibus? Atque adeò ego, qui nondum liberos habeo,*

para-

paratus ſum pro Rep. noſtra, quaſi pro filia, vel parente tertiam partem eius quam conferre vobis placebit, dare. Tot bona olim Mediolanenſes habuerunt, & nunc habent: benè, ſi habere ſe intelligant: benè, ſi fruantur. At nunc juventus otio vitiisque demerſa, ne paratas quidem artes havet cognoſcere. Nos ſtipendium accipimus, ut doceamus: & rogare imò ambire pleroſque debemus, ut audiamur. Quid diceres, aut ſcriberes Plini, ſi hæc tropica videres? Vos prohibete patres, & cogitate quanti momenti ſit in urbe Patria filios ad Rempub. præparari: vos prohibete filii, & exemplum poſteris tradite, quod accepiſtis. Sed quid ita præceps ab aureo illo litterarum ſeculo ad hanc noſtram infelicitatem prolabor? Greſſum refero, & priſcos illos RHETORES inquiro: quorum etſi fugitiva quædam memoria eſt; conabor tamen ex oblivionis latebris eruere aliquam ſeriem, & ævi noſtri ſocordiam caſtigare. Burdigalenſes ſuos Profeſſores, Auſonius celebravit; Romanos illos, Lucium Plotium,

Lucium Otacilium, Epidium, Sextum Clodium, CAIUM ALBUTIUM Novarienſem, Suetonius, ſive alius auctor eſt. Ex his ALBUTIUM Mediolani quoque docuiſſe, aut certè cauſſas egiſſe, idem Suetonius teſtatur. *Et rurſus in cognitione cadis, Mediolani apud Lucium Piſonem Proconſulem defendens reum, cùm, cohibente lictore nimios laudantium voces, ita excanduiſſet* (Albutius) *ut & deplorato Italiæ ſtatu, quaſi iterùm in formam Provinciæ rediceretur; Marcum inſuper Brutum, cujus ſtatua in conſpectu erat, invocaret legum ac Libertatis auctorem & vindicem, penè pœnas luit.* Fuiſſe autem Mediolani ſtatuam Bruti, & cum magna gloria urbis fuiſſe, Plutarchus in ejus vita refert. *Fuit verò Mediolani in Gallia Ciſalpina* (Bruti) *ſtatua ærea vultum ejus referens, & affabrè effecta. Hanc poſtmodum, ut Cæſar conſpexit, præteriit. mox ſubſiſtens, Magiſtratus vocavit, palàm querens à civitate eorum fœdus pacis ruptum. quippe in qua hoſtis ſervaretur. Illi principiò negare, ac dubii quem ſignificaret, ſeſe mutuò intueri. Cæſar verò ad ſtatuam converſus,*

verſus, contracta fronte, Numquid, ait, iſte hic conſiſtit hoſtis noſter? ac tum ampliùs illi perculſi, obmuteſcere. Cæſar autem arridens, laudavit Gallos, quòd amicis eſſent etiam in rebus adverſis ſtabiles, juſſitque ſtatuam ſuperſtitem ſervari. Nunc verò concedamus & Albutium Romanis; ſi nobis illi AVRELIVM AVGVSTINVM. Concedunt: & gloriari urbs veſtra profeſſorem poteſt, quem orbis Chriſtianus doctorem. Quid illuſtrius relinquere Famæ Mediolanenſium potuit Antiquitas? quid vovere aut ſperare poſteritas? Felicem Romam GREGORIO, & HIERONYMO dicitis: vos Roma ipſa AMBROSIO, & AVGVSTINO. AVGVSTINVM autem, ut vobis orbis univerſus: ita vos Scholis iſtis debetis, in quibus docuit; & è quibus in Eccleſiam venit. Sed *quomodo docuit: qua ætate? quo ſtipendio?* Dicam, quantum potero, diſtinctè, & ſuccinctè; ut ſine verborum tœdio voluptatem meam, & ſimul gloriam veſtram paſcam. Exulto enim ipſe memoria tanti viri, quem oratione celebro, munere re-

præſento : vobis autem jucundiſſimum eſſe debet, remota oblivionis nube, priſca quadam litterarum luce reſplendere. Erat olim ſollemne huic urbi, non è proprio gremio, & ſinu doctores, ſed aliunde adſciſcere; quaſi major quædam reverentia atque auctoritas externi. Etſi enim benigniùs ad docendi præmia popularis vocatur, & familiariùs civis civem docet; utiliùs tamen ſecuriúſque ille, qui ſeveriori judicio conducitur, nec poteſt imperitiæ ſuæ tamquàm à Patria indulgentiam conciliare. Cùm etiam vago quodam errore ad abſentes diſcendi cupiditas feſtinet, & juventus libertatis quadam affectatione alienos lares, & Scholas Patriis præferat; prudenti quodam conſilio utraque corrigitur; ut domi & in conſpectu parentum ac patriæ peregrinari, & alienis in terris inſtitui quiſque videatur, quia ab alieno. Majori quidem ſumptu exteri, quàm proprii conducuntur; cùm Patriæ civis laborem debeat, quem impendit: exterus verò, non tamquam ad officium vocetur,

ſed impendio ematur ad alienum opus: publica tamen Iuventutis utilitas tanti eſſe debet, ne impendio retardetur. In hoc etiam gloria Reipubl. verſatur, non ſuis tantùm civibus, ſed alienis quoque florere. Vrbem namque ut hortum laudamus, qui inter patria ſemina exoticam, & aliunde tranſportatam herbam alit. Id profectò jam olim prudenter civitas veſtra uſurpavit, nequis hodiè externum arietet; & maximam famam ab externis accepit. Vacabat ante mille ducentos, novendecim annos, cùm magnus AMBROSIVS Eccleſiæ Mediolanenſi præeſſet, hoc munus: & quæſitum Profeſſorem civitas publicè mittit. Quò? Romam: & ad quem? num privatum aliquem? at de Repub. agebatur. Ad Q. Aurelium Symmachum V.C. & Præfectum urbis. qui diligentia ſua uſus, AVGVSTINVM, tum fortè Romæ docentem, dignum repperit, cui SCHOLÆ PALATINÆ Mediolanenſium committerentur. Venit Mediolanum AVGVSTINVS, docuit, placuit. Deus

bone! ipſæ mihi Scholæ ad felicitatis ſuæ memoriam ſubſilire gaudio videntur: urbs ipſa geſtire ad ſanctiſſimi viri nomen. Sed licet pronus in lætis aſſenſus: nolo tamen tam inſignis & luculenta gloria, ſub dubia fide vacillet. Docuiſſe AVGVSTINVM Mediolani jam aviditatem encomii mei non explet, niſi oſtendam docuiſſe: &, ſi docuiſſe glorioſum, glorioſius, ſi fatetur aut gloriatur ipſe, qui docuit. Tu magne Antiſtes, qui Rhetoricum pulverem olim ab ineunte pænè ætate docendo collegiſti: qui ex hac ipſa cathedra in Rempub. Chriſtianam adoptatus es, patere illuſtrem tuo nomine cathedram eſſe, quæ nunc Reipub. Chriſtianæ ſervit. Lib. v. Confeſſionum ſcriptum reliquit: *Itaque poſteaquàm miſſum eſt à Mediolano Romam ad Præfectum urbis, ut illi civitati* RHETORICÆ MAGISTER *provideretur, impertita etiam evectione publica; ego ipſe ambivi, per eos ipſos Manichæus vanitatibus ebrios (quibus ut carerem ibam, ſed utrique neſciebamus:) ut dictione propoſita me probatum,*

Præ-

Præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad AMBROSIUM *Epiſcopum, in optimis notum orbi terræ, cujus tunc eloquia ſtrenuè miniſtrabant adipem frumenti tui,& lætitiam olei,& ſobriam vini ebrietatem populo tuo.* Perge, perge AUGUSTINE,& magnum Antiſtitem,téque ipſum ampliùs depinge. *Ad eum autem ducebar abs te neſciens, ut per eum ad te ſciens ducerer. Suſcepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam ſatis epiſcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primò quidem non tamquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorsùs deſperabam,ſed tanquam hominem benignum in me. Et ſtudiosè audiebam diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ ſuæ, an major minórve proflueret, quàm prædicabatur; & verbis ejus ſuſpendebar intentus. Rerum autem incurioſus & contemptor adſtabam, & delectabar ſuavitate ſermonis,quamquam eruditionis, minùs tamen hilareſcentis atque mulcentis quàm Fauſti erat, quod attinet ad dicendi modũ. Ceterùm rerum ipſarum nulla comparatio.*

Totus quidem erat in Eloquentiæ ſtudio Auguſtinus, & in ipſo meo mediæ ætatis flore, ad Ambroſii nectar famæ ſuæ deſiderium irritans. Ab Eccleſia, & Viri ſanctiſſimi ore verborum mellitos globulos ad Scholas transferebat, ipſe mox à Sanctiſſimo viro ad Eccleſiam transferendus. Cùm verò docendi munus auſpicaretur, annum agebat plus-minùs trigeſimum, qui erat CHRISTI CCC. LXXXIV. & ſub ipſa initia mox PANEGYRICVM Bautoni Conſuli dixit: quod ipſius iterum verbis breviter ſignabo, non eloquar, calculatorum more, *qui ingentes ſummas æris brevioribus exprimunt*. Lib. III. Contra litteras Petiliani: *Quàm multa alia falſa conſequenter non utcumque dicere, ſed etiam inſcribere mirâ temeritate non timuit, cùm ego Mediolanum ante Bautonē Conſulem venerim, eiq; Conſuli Kalendis Ianuariis laudem in tanto conventu conſpectuq; hominum, pro meâ tunc* RHETORICA PROFESSIONE *recitaverim.* Similiter lib. VI. Confeſſionum: *Quàm ego miſer eram, & quomodo*

do egiſti (DEVM alloquitur) *ut ſentirem miſeriam meam die illo, quo cùm pararem Imperatori laudes, quibus plura mẽtirer, & mentienti faveretur ab ſcientibus.* De eodem enim Panegyrico intelligendus hic locus, tametſi iſtìc ſe Conſulis laudes, hìc Imperatoris explicuiſſe ſcribit. Cùm enim Arcadius Imperator, & Flavius Bauto Cõſules hoc anno fuerint, ille in Oriente, hic in Occidente; utrumque laudavit: magis tamen Imperatorem, quàm Conſulem; quòd laudandi ſive adulandi copiam abſentia & dignitas Arcadii diſcreverint; ut reſtrictior veriórque eſſet apud præſentem, & privatum. Lubet nunc in re Antiquitatis curioſum ampliùs eſſe, & de Stipendio quoque dicere, an divinare? ita, ita: ſed grande & luculentum fuiſſe. Me quidem ſplendor, & liberalitas Mediolanenſium non ſinit anguſtè ſentire, qui cùm ipſe honeſto ſumptu doceam, non videor tamen priſcam illam ſæculorum felicitatem experiri. Veſpaſianus, ut Suetonius refert, *Ingenia & artes vel maximè fovit:*

primus

primus è Fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit, noſtra moneta, *bis mille quingentos Philippæos ſive Ducatos*. Quæ tamen liberalitas ſi Romanos propriè ornat, veſtram accipite. Diocletianus, & Maximianus (hos enim veſtros appellare poteſtis) Eumenium Rhetorem *ſalarium* (verba ejus ſunt in Oratione pro Scholis inſtaurandis) *in ſexcentis millibus nummûm accipere juſſerunt*, id eſt, *Quindecim millia Philippæorum*. Ergò nunc Auguſtodunum, ubi ille docuit, cum Mediolano; Eumenium cum Auguſtino; Diocletianum, & Maximianum cum Theodoſio, aut Arcadio comparate; nec difficile erit ad magnam aliquam ſummam Auguſtini profeſſionem vocare. cujus illa quidem in errore æſtuantis ætatis cupiditas fuit, ut honorarium ingens inhiaverit: illa Eloquentia & doctrina, ut obtinuerit. Cupiditatem verò ſæpiùs ſeveriúſque vir ſanctus fatetur, & caſtigat, in primis lib. VI. Confeſſionum, ubi vitam munúſque ſuum apud Mediolanenſes

ſes perſequitur: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio; & tu irridebas. patiebar in meis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras tu.* Paullo pòſt: non enim poſſum ſilentio præterire elegantiſſimum typum magnarum, & vanarum cogitationum, quibus tumida quædam eruditio ſolet ebullire: *Tranſiens per vicum quendam Mediolanenſem, animadverti pauperem mendicum, jam credo ſaturum, jocantem atque ridentem; & ingemui, & locutus ſum cum amicis meis qui mecum erant, multos dolores inſaniarum noſtrarum, quia omnibus talibus conatibus noſtris, qualibus tunc laborabam, ſub ſtimulis* CVPIDITATVM *trahens infelicitatis meæ ſarcinam, & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud, niſi ad ſecuram lætitiam pervenire, quò nos mendicus ille jam præceſſiſſet, numquam fortaſſis illuc venturos. Quod enim jam ille pauculis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnoſis anfractibus, & circuitibus ambiebam, ad lætitiam ſcilicet temporalis*

lis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat: ſed & ego illis ambitionibus multò falſius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius eram; ſecurus ille, ego trepidus. & ſi quiſquam percunctaretur me, Vtrum mallem exultare, an metuere; reſponderem, exultare. Rurſus, ſi interrogaret, Vtrum me talem mallem qualis ille, an qualis ego tunc eſſem; meipſum curis timoribúſque confectum eligerem; ſed perverſitate, non veritate. Non enim eò me præponere illi debebam, quò doctior eram, quoniam non inde gaudebam; ſed placere inde quærebam hominibus; non ut eos docerem, ſed tantùm ut placerem. Propterea & tu baculo diſciplinæ tuæ confringebas oſſa mea. Recedant ergò ab anima mea, qui dicunt ei, Intereſt unde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentia, tu gaudere cupiebas gloria; qua gloria Domine? quæ non eſt in te. Nam ſicut illud verum gaudium non erat: ita nec illa vera gloria. & ampliùs vertebat mentem meam. Et ille ipſa nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam: ego autem cum mea dormieram, & ſurrexeram, & dormiturus, & ſurrecturus eram inde quot diebus? Hæc

cupidi-

cupiditas æſtuantis adhuc animi; imò hæc facundia cupiditatem deteſtantis: ut tantùm quidem bene dicendo meruiſſe, quantum malè cupiendo adfectaſſe videatur. Docuit igitur AVGVSTINVS in hac urbe, & in hac Schola; atque magno docuit: an etiam ſcripſit? omninò. Perfectus enim abſolutúſque Profeſſor eſſe non poteſt, niſi περιδέξιος, ut ita dicam, ſit, & vocem ſtili diligentia ſubſequatur. Iuventus ipſa ſtilo ſibi viam expedire ad Eloquentiam debet, quam ore exerceat; ſcribere, ut rectè dicat. Quomodo autem ad ſcribendum excitabit Profeſſor, niſi & ipſe ſcribat? Non audiri ſolùm, ſed legi quoque debet, ut continuò doceat. Abſentes & poſteri in partem fructus veniunt, ſi expenſa tabulis doctrina duret. Brevis eſt vocis curſus, & ambitus: ſtilum nec orbis nec unius ſeculi ſpatia terminant. At enim, inquies,

----Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus & officium nil ſcribens ipſe docebo.

Id verò

lis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat: ſed & ego illis ambitionibus multò falſius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius eram; ſecurus ille, ego trepidus. & ſi quiſquam percunctaretur me, Vtrum mallem exultare, an metuere; reſponderem, exultare. Rurſus, ſi interrogaret, Vtrum me talem mallem qualis ille, an qualis ego tunc eſſem; meipſum curis timoribúſque confectum eligerem; ſed perverſitate, non veritate. Non enim eò me præponere illi debebam, quò doctior eram, quoniam non inde gaudebam; ſed placere inde quærebam hominibus; non ut eos docerem, ſed tantùm ut placerem. Propterea & tu baculo diſciplinæ tuæ confringebas oſſa mea. Recedant ergò ab anima mea, qui dicunt ei, Intereſt unde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentia, tu gaudere cupiebas gloria; qua gloria Domine? quæ non eſt in te. Nam ſicut illud verum gaudium non erat: ita nec illa vera gloria. & ampliùs vertebat mentem meam. Et ille ipſa nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam: ego autem cum mea dormieram, & ſurrexeram, & dormiturus, & ſurrecturus eram inde quot diebus? Hæc

cupidi-

cupiditas æſtuantis adhuc animi; imò hæc facundia cupiditatem deteſtantis: ut tantùm quidem bene dicendo meruiſſe, quantum malè cupiendo adfectaſſe videatur. Docuit igitur AVGVSTINVS in hac urbe, & in hac Schola; atque magno docuit: an etiam ſcripſit? omninò. Perfectus enim abſolutúſque Profeſſor eſſe non poteſt, niſi περιδέξιος, ut ita dicam, ſit, & vocem ſtili diligentia ſubſequatur. Iuventus ipſa ſtilo ſibi viam expedire ad Eloquentiam debet, quam ore exerceat; ſcribere, ut rectè dicat. Quomodo autem ad ſcribendum excitabit Profeſſor, niſi & ipſe ſcribat? Non audiri ſolùm, ſed legi quoque debet, ut continuò doceat. Abſentes & poſteri in partem fructus veniunt, ſi expenſa tabulis doctrina duret. Brevis eſt vocis curſus, & ambitus: ſtilum nec orbis nec unius ſeculi ſpatia terminant. At enim, inquies,

----Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus & officium nil ſcribens ipſe docebo.

Id verò

Id verò ignavum, aut inglorium eſt: pulchrius, præſtare ipſum te quæ doceas. Ego certè in derelicta & ſterili Schola ſcribendo conſequor, ut florentiſſimum ſemper auditorium habeam. Pauci & ipſi rogati ſunt, qui vocem meam excipiunt: ſed cave ad tam exiguum numerum profeſſionis fructum reſtringas. Pleraque Italia, Gallia, Germania Puteanum audit, quia legit. quam ego laudem non mihi, ſed Scholæ veſtræ tribuo, cui potiſſimùm ſcribo. Agnoſcite hunc animum, imò hoc beneficium (cur non ſic æſtimem?) velut liberale corollarium vocis. Beneficium enim eſt, quod neceſſitati non obnoxium prodeſt: niſi tamen officium putetis, quidquid benè publicè fit. Profeſſor quidem docendo prę̀ſtat, quod Scholæ, & Iuventuti debet: ſcribendo otium ipſum, & privatam libertatem in publicum confert. Sic Priſci illi Rhetores, ſic veſter AVGVSTINVS, cujus & ipſe exemplum cœpi imitari. Ex illis enim, quæ hoc biennio in lucem produxi, PANEGYRICIS circumfer-

cumfertur, GENIALIVM SERMONVM liber legitur, MVSATHENA canitur, ITER NONIANVM teritur, EPISTOLARVM PROMVLSIS libatur, ELOQVENTIÆ AVSPICIA celebrantur, DE DISTINCTIONIBVS SYNTAGMA laudatur. AVGVSTINVS autem quid ſtilo Mediolani Profeſſor emolitus eſt? Ex ipſo volo audiatis, ne quis ambitioſum judicet propria ſcripta recenſere. Lib. I. Retractationum: *Per idem tempus, quo Mediolani fui, Baptiſmum percepturus, etiam Diſciplinarum libros conatus ſum ſcribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab hujuſmodi ſtudiis non abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorporalia, quibuſdam quaſi paſſibus certis, vel pervenire, vel duci. Sed earum ſolùm* DE GRAMMATICA *librum abſolvere potui, quem poſtea de armario noſtro perdidi: &* DE MVSICA *ſex volumina, quantum attinet ad eam partem, quæ Rhythmus vocatur; ſed eoſdem ſex libros jam baptizatus, jámque ex Italia regreſſus, in Africa ſcripſi. Incohaveram quippe tantummodò iſtam apud Mediolanum diſciplinam. De*

aliis verò quinque Diſciplinis illic ſimiliter incohatus, DE DIALECTICA, DE RHETORICA, DE GEOMETRIA, DE ARITHMETICA, DE PHILOSOPHIA, *ſola principia remanſerunt: quæ tamen etiam ipſa perdidimus: ſed haberi ab aliquibus exiſtimo.* O indefeſſum ingenium! ô lucubrationes dignæ tali ingenio! Præſtitit verò iſta *in litteris Deo jam* (ut ipſe loquitur) *ſervientibus, ſed adhuc in Superbiæ Schola, tamquam in pauſatione, ſervientibus.* Quid ſi etiam plura? Quid ſi CONTRA ACADEMICOS LIBROS TRES? Quid ſi DE BEATA VITA LIBRVM *ſingularem*: Quid ſi DE ORDINE LIBROS DVOS, *accuratum opus?* Quid ſi SOLILOQVIORVM LIBROS DVOS: Quid ſi DE IMMORTALITATE ANIMÆ LIBRVM *ſingularē*? Enimverò dicatis, non ad docendum, ſed ſcribendum conductum. & tamen ſcripſit, ſicuti in libris Retractationum ipſe teſtatur. Felicem urbem, quam tot egregia volumina natalem habent! Felicem Scholam, cui acceptam referre hanc famam ſuam urbs debet!

debet! Quid autem ſi hæc omnia intra biennii ſpatium, quo Mediolani fuit? Scripta enim antequam Baptiſmatis Sacramento initiaretur: initiatus autem anno ſecundo poſtquam Mediolanum venit, cùm intereà Scholam renunciaſſet. Cur autem renunciavit? quia difficultas ſpirandi, continuo per æſtatem ultimam ſtudio contracta, vocis officium impediebat: quia Deus ipſe AVGVSTINVM depoſcebat. Rem producam è Lib. IX. Confeſſionum. *Et placuit tibi* (Deus) *in conſpectu tuo, non tumultuosè abripere, ſed leniter ſubtrahere miniſterium linguæ meæ Nundinis Loquacitatis; ne ulteriùs pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, ſed inſanias mendaces, & bella forenſia, mercarentur ex ore meo arma furori ſuo. Et opportunè jam pauciſſimi dies ſupererant ad vindemiales ferias; & ſtatui tollere illos, ut ſolemniter abſcederem, & redemptus à te jam non redirem venalis.* Paullo pòſt de morbo apertiùs: *Quid etiam, quòd ipſa æſtate litterario labore nimio pulmo meus cedere cœperat, & difficulter trahere ſuſpiria, dolo-*

ribúſque pectoris teſtari ſe ſaucium, *vocémque clariorem productióremve recuſare, primò perturbáverat me; quia Magiſterij illius ſarcinam penè jam neceſſitate depónere cogebar; aut ſi curari, & convaleſcere potuiſſem, certè intermittere.* Ampliùs ex eodem libro: *Renunciavi, peractis Vindemialibus, ut Scholaſticis ſuis Mediolanenſes Venditorem verborum alium quærerent; quòd & tibi ego ſervire delegiſſem; & illi Profeſſioni præ difficultate ſpirandi ac dolore pectoris non ſufficerem.* Denique, ut ſermonem transferam: *Et venit dies, in qua etiam actu ſolverer à* PROFESSIONE RHETORICA, *unde jam cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt: & eruiſti linguam meam, unde jam erueras cor meum.* Fecit igitur AVGVSTINVS Mediolani, quod paullò antè Victorinus Rhetor Romæ, *ille*, ut Auguſtinus ipſe loquitur lib. VIII. Confeſſionum, *doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus; quíque Philoſophorum tam multa legerat, & dijudicaverat, & dilucidaverat; doctor tot nobilium Senatorum; qui etiam ob inſigne Magiſterij, quod cives*

huius

huius mundi eximium putant, ſtatuam Romano foro meruerat, & acceperat; uſque ad illam ætatem venerator idolorum, ſacrorúmque ſacrilegorum particeps. Is autem quid fecit? Scholas Romanas deſeruit; & exemplum Auguſtinus accepit, quod Mediolani ſequeretur. Verba ejus ſunt, lib. VIII. *Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narravit, exarſi ad imitandum. ad hoc enim & ille dixerat.* Quid igitur? ego Profeſſionem Auguſtini nomine inſignire audebo, quam Auguſtinus ipſe tamquàm vanam reliquit, tamquàm noxiam perſtrinxit? vocat ecce *Superbiæ Scholam, Nundinas Loquacitatis, Inſanias mendaces*: & alibi, *Mendacij cathedram*: ſeipſum, *Verborum venditorem.* Ita eſt: ſed cautè dicendi ille fervor explicandus eſt; ne tam vetuſtam memoriam adurat. Nondum Chriſtiana modeſtia Gentiles Scholas penetraverat: nondum loquacem faſtum Veritatis profeſſio repreſſerat: debellata Gentilitas etiam in Scholis triumphabat. Recens & valida etiam apud impios lex Iuliani erat, qua à Profeſ-

ſione litterarum Chriſtiani arcebantur. Auguſtinus ipſe ſignato loco, de Victorino: *Poſteaquam verò & illud addidit* (Simplicianus) *quòd Imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti ſunt Chriſtiani docere litteraturam, & Oratoria (quam legem ille amplexus Loquacem Scholam deſerere maluit, quàm verbum tuum, quo linguas infantium facis diſertas) non mihi fortior, quàm felicior viſus eſt; quia invenit occaſionem vacandi tibi.* Ammianus Marcellinus Libr. XXI. *Illud autem inclemens, obruendum perenni ſilentio, quòd arcebat docere Magiſtros Rhetoricos, & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores.* Statum igitur, & conditionem Scholarum Auguſtinus, non ipſas deteſtatus eſt: qui cùm Religionem non inveniret in Scholis, Scholas deſeruit, ut Religionem potiùs quàm Eloquentiam profiteretur. Erat Eloquentia in Scholis, Religio non erat: & cum Auguſtino Eloquentia ipſa Scholas deſeruit, ut Chriſtiana libertas intraret. Intravit: & fœda ſtigmata venuſtis encomiis diſpunxit.

xit. *Superbia Scholi* erat? Modeſtiæ domicilium factum: *Nundinæ loquacitatis?* tranquillæ Suadæ ſacrarium exſtitit: *Inſaniæ mendaces?* Bonæ mentis regula evaſit: *Mendacij cathedra?* Veritatis quies & magiſterium ſucceſſit. *Verborum venditor* ipſe Profeſſor? Chriſtianæ facundiæ promus eſſe cœpit. Tales profectò reliqui aliquo pòſt intervallo, qui ſecuti: & jam ubique terrarum Gentilitate proſtrata BONVICINVS RIVIVS, per noctem illam temporum in Scholis noſtris clarus, in Republ. potens: qui, ſi lapidi fides, Xenodochium in oppido Legnano hodiè pietatis fama ſuperſtes exſtruxit; qui in hac ipſa urbe piiſſimum, & toto orbe venerabilem ritum, quo ad æris ſignum humanæ ſalutis initium religioſa memoria cottidiè recolimus, inſtituit; denique qui Italicam linguam rudem etiamtunc, &, ut ita dicam, infantem, ſtilo & eloquio colere aggreſſus eſt, cùm ne in Scholis quidem Barbaries Latinitati peperciſſet. Erant quidem illa tēpora, velut in nubilo poſita,

ſine ulla pænè cura aut cogitatione Poſteritatis : obducta memoria inſignium Profeſſorum , donec tandem illa Barbarorum ultima tempeſtas detonuit, & res Mediolanenſium in ſerenitatem datæ. Tum nova undique lumina exorta priſcam ingeniorum felicitatem reduxerunt. Docuit vir diſertiſſimus FRANCISCVS PHILELPHVS, qui à Io. Maria Galeatio annum agens LXXIV. Mediolanum vocatus, poſtquam Romana, & Bononienſi Profeſſione inclaruiſſet, non minùs ſenectute venerabilem hanc Scholam, quàm Eloquentia ſenectutem effecit. Quaſi urbem veſtram reveritus , experiri alibi conatum ſuum voluit, ut matura, & adulta huc ſtudia inferret. Senectus autem, cùm ubique venerabilis , tum in pulpito religioſa & ſacra eſt, pænè diſcentibus adorata. Vt enim imperium potentioris ſuſtinemus, æqualis faſtidimus: ita præcepta junioris, aut ſenis. Quid igitur ? tantùm decrepitos habebit noſtra Schola , & vicinum cathedræ capulum faciemus ? abſit. Floreat inter-

interdum cum adoleſcente, vigeat cum viro; quia & hi ſenes eſſe poſſunt. Studiorum Præſidi Apollini non canos, ſed lanuginem Antiquitas conſecravit; & mea quidem cauſſa plurima eorum exempla conferrem, qui præmaturè docuerunt, niſi ætatem impetraſſem. Poſt PHILELPHVM gloria, & fructus ſe Scholæ ampliùs diffudit: ac Profeſſores Fama clariſſimi exſtitêre, etſi in caligine aliqua etiam ævi. Inter hos, Iovio referente, ANTONIVS PANORMITANVS, à Philippo Vicecomite ſalario octingentorum Aureorum conductus. PETRVS CANDIDVS DECEMBER, qui ſub Franciſco Sfortia I. ad annum uſque LXXX. docuit; non modò liberalitatem Principis vivus, ſed pietatem etiam, cùm vixiſſet, expertus: quippe arca marmorea (in veſtibulo templi D. Ambroſii exſtat) honoratus. Etiam DEMETRIVS CHALCONDYLES, è Græcia profugus, quem in Vrbem, in Scholam, imò in Amicitiam quoque Ludovicus Sfortia excepit. atque hujus ſepulchrum

in æde Chriſti Paſſi. Fuêre iiſdem temporibus, PHILIPPVS BEROALDVS, ût in ejus vita teſtatur Pinus Toloſanus. GEORGIVS MERVLA, qui in templo S. Euſtorgii conditus. LVD. CÆLIVS RHODIGINVS, qui, ut in Antiquis ſuis teſtatur, à Rege Franciſco adſcitus, publicè Livium Iuventuti Mediolanenſi explicuit. Mox IANVS PARRHASIVS, Chalcondylis gener: atque hunc ob inſignem facundiam Magnus Iacobus Trivultius Provinciæ Gubernator audire cottidie in his ipſis Scholis ſolebat. BAPTISTA PIVS Bononienſis, qui à Paullo III. Farneſio Romam vocatus, obiit. Iungunt ſe huic numero & ordini ſerie quadam STEPHANVS NIGER, M. ANTONIVS MAIORAGIVS, OTHO LVPANVS, AONIVS PALEARIVS, FRANCISCVS CICEREIVS,

Multi prætereà quos fama obſcura recondit.

Ego tandem ſuffectus ſum, ut tot eruditos viros ſtudio, & diligentia referrē. Adnitar verò, ut referam, ſic juventus faveat; ac viam ad Eloquentiam ituris faciam,

faciam, quæ à Virtute non abducat. Quorſum enim linguam inſtruamus, ſi animus incultus? Non eloquentes tantùm, ſed bonos Reſp. cives à Profeſſore expectat: nec ille verè eloquentes exhibere poterit, niſi ſi bonos. *Eloquentia* namq;, ut Statius Cæcilius veſter (veſter inquam, & ſic propriè vobis ſcripſit) *Innocentia eſt.* Scribere hoc niſi Mediolanenſis non poterat: & ſic nulli rectiùs quàm Iuventuti veſtræ præſcribi. Ergò retinete nomen, & laudem priſcam Innocentiæ; ut Eloquentiæ inveniatis. *Neque enim* (ut Quinctiliani verbis ſententiæ meæ pondus appendam) *eſſe Oratorem, niſi bonum virum judico: & fieri etiam ſi poſſit, nolo.* SCHOLAS antiquitùs fuiſſe, ſatis oſtendi: ſed PALATINAS fuiſſe, reliquus labor: jucundus faciliſque futurus, ſi benignam deinceps favoris veſtri auram experiar. A Romano Palatio, PALATINVM dici, clarum eſt. Non autem continuit ſe Romæ Palatii majeſtas, poſtquam Cæſarum eſſe domiciliũ cœpit; ſed per Provincias ſparſa; ut toto terrarum orbe Imperator

perator habitaret. SCHOLÆ verò PALATINÆ quaſi Palatio digniores, in alteram dumtaxat Romam, poſtquam Romæ eſſe cœperunt, potuerunt traduci. Tantum inter Imperatorem & Eloquentiam intererat. Ille humilia paſſim tecta, & mœnia ſubibat: hæ non inveniebant dignitatem ſuam, ſi aliò, quàm in urbem veſtram commigrarent. Fuiſſe autem Romæ Scholam, ſive Auditorium PALATINVM, in quo Carmina, Hiſtoriæ, ſed & Orationes, & Dialogi publicè recitabantur, inficias Romanitatis peritus non ibit. PALATINVM inquam; quia in templo Apollinis Palatini. Nam cùm ſe hac recitatione abſtinere Horatius ſcriberet,

-----Hæc ego ludo, (Tarpa;
Quæ nec in æde ſonent reſonantia, judice
& alibi item *ædem* nominaret,

---Vacuam Romanis vatibus ædem;
Scholia vetera *ædem* utrobique *Apollinis Palatini* interpretantur. Plinium huc voco de Claudio Imperatore, Lib. I. Epiſt. XIII. *Memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, cùm in* PA-

LATIO

LATIO *ſpatiaretur, audiſſétque clamorem, cauſſam requiſiſſe; cúmque dictum eſſet* RECITARE *Nonianum, ſubitum recitanti inopinatúmque veniſſe.* Ecce Palatium, ecce Recitationem. Si autem vicinus iſte clamor, & ſi in æde; ubi, niſi in Apollinis Palatini? Dicerem & de Schola Palatina Ciceronis, niſi privata ea fuiſſet: quam quidem domi ſe habuiſſe ſæpiùs ſcribit; & Lib. II. Epiſt. IV. ad Atticum, *Palæſtram Palatinam* nominat: *His temporibus, tam dubia vita optimi cujuſque, magni æſtimo unius æſtatis fructum* PALÆSTRÆ PALATINÆ. ſcilicet quem in domo ſua Palatina docendo, & diſſerendo capiebat. Lib. VII. Ad familiares, Epiſt. XXXIII. Volumnio ſcribens: *Quòd Declamationibus noſtris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio invideres, niſi eum amares, non erat cauſſa invidendi; niſi fortè ipſius Eloquentiæ magis, quàm quòd me audiret, invideres.* Ibidem: *Nam & Caſſius tuus, & Dolabella noſter, vel potiùs uterque noſter, ſtudiis iiſdem tenentur: & meis æquiſſimis utuntur auribus.* Iterùm Lib. IX. Epiſt. XVI. *Hirtium ego, & Dolabellam*

ribúſque pectoris teſtari ſe ſaucium, vocémque clariorem productiorémve recuſare, primò perturbaverat me; quia Magiſterij illius ſarcinam penè jam neceſſitate depónere cogebar; aut ſi curari, & convaleſcere potuiſſem, certè intermittere. Amplius ex eodem libro: *Renunciavi, peractis Vindemialibus, ut Scholaſticis ſuis Mediolanenſes Venditorem verborum alium quærerent; quòd & tibi ego ſervire delegiſſem; & illi Profeſſioni præ difficultate ſpirandi ac dolore pectoris non ſufficerem.* Denique, ut ſermonem transferam: *Et venit dies, in qua etiam actu ſolverer à* PROFESSIONE RHETORICA, *unde jam cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt: & eruiſti linguam meam, unde jam erueras cor meum.* Fecit igitur AVGVSTINVS Mediolani, quod paullò antè Victorinus Rhetor Romæ, *ille,* ut Auguſtinus ipſe loquitur lib. VIII. Confeſſionum, *doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus; quique Philoſophorum tam multa legerat, & dijudicaverat, & dilucidaverat; doctor tot nobilium Senatorum; qui etiam ob inſigne Magiſterij, quod cives*

huius

huius mundi eximium putant, ſtatuam Romano foro meruerat, & acceperat; uſque ad illam ætatem venerator idolorum, ſacrorúmque ſacrilegorum particeps. Is autem quid fecit? Scholas Romanas deſeruit; & exemplum Auguſtinus accepit, quod Mediolani ſequeretur. Verba ejus ſunt, lib. VIII. *Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narravit, exarſi ad imitandum. ad hoc enim & ille dixerat.* Quid igitur? ego Profeſſionem Auguſtini nomine inſignire audebo, quam Auguſtinus ipſe tamquàm vanam reliquit, tamquàm noxiam perſtrinxit? vocat ecce *Superbiæ Scholam, Nundinas Loquacitatis, Inſanias mendaces*: & alibi, *Mendacij cathedram*: ſeipſum, *Verborum venditorem.* Ita eſt: ſed cautè dicendi ille fervor explicandus eſt; ne tam vetuſtam memoriam adurat. Nondum Chriſtiana modeſtia Gentiles Scholas penetraverat: nondum loquacem faſtum Veritatis profeſſio repreſſerat: debellata Gentilitas etiam in Scholis triumphabat. Recens & valida etiam apud impios lex Iuliani erat, qua à Profeſ-

ſione litterarum Chriſtiani arcebantur. Auguſtinus ipſe ſignato loco, de Victorino: *Poſteaquam verò & illud addidit* (Simplicianus) *quòd Imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti ſunt Chriſtiani docere litteraturam; & Oratoria (quam legem ille amplexus Loquacem Scholam deſerere maluit, quàm verbum tuum, quo linguas infantium facis diſertas) non mihi fortior, quàm felicior viſus eſt; quia invenit occaſionem vacandi tibi.* Ammianus Marcellinus Libr. XXI. *Illud autem inclemens, obruendum perenni ſilentio, quòd arcebat docere Magiſtros Rhetoricos, & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores.* Statum igitur, & conditionem Scholarum Auguſtinus, non ipſas deteſtatus eſt: qui cùm Religionem non inveniret in Scholis, Scholas deſeruit, ut Religionem potiùs quàm Eloquentiam profiteretur. Erat Eloquentia in Scholis, Religio non erat: & cum Auguſtino Eloquentia ipſa Scholas deſeruit, ut Chriſtiana libertas intraret. Intravit: & fœda ſtigmata venuſtis encomiis diſpunxit.

xit. *Superbiæ Scholæ* erat? Modeſtiæ domicilium factum: *Nundinæ loquacitatis?* tranquillæ Suadæ ſacrarium exſtitit: *Inſaniæ mendaces?* Bonæ mentis regula evaſit: *Mendacij cathedra?* Veritatis quies & magiſterium ſucceſſit. *Verborum venditor* ipſe Profeſſor? Chriſtianæ facundiæ promus eſſe cœpit. Tales profectò reliqui aliquo pòſt intervallo, qui ſecuti: & jam ubique terrarum Gentilitate proſtrata BONVICINVS RIVIVS, per noctem illam temporum in Scholis noſtris clarus, in Republ. potens: qui, ſi lapidi fides, Xenodochium in oppido Legnano hodiè pietatis fama ſuperſtes exſtruxit; qui in hac ipſa urbe piiſſimum, & toto orbe venerabilém ritum, quo ad æris ſignum, humanæ ſalutis initium religioſa memoria cottidiè recolimus, inſtituit; denique qui Italicam linguam rudem etiamtunc, &, ut ita dicam, infantem, ſtilo & eloquio colere aggreſſus eſt, cùm ne in Scholis quidem Barbaries Latinitati pepercíſſet. Erant quidem illa tẽpora, velut in nubilo poſita,

 ſine

ſine ulla pænè cura aut cogitatione Poſteritatis: obducta memoria inſignium Profeſſorum, donec tandem illa Barbarorum ultima tempeſtas detonuit, & res Mediolanenſium in ſerenitatem datæ. Tum nova undique lumina exorta priſcam ingeniorum felicitatem reduxerunt. Docuit vir diſertiſſimus FRANCISCVS PHILELPHVS, qui à Io. Maria Galeatio annum agens LXXIV. Mediolanum vocatus, poſtquam Romana, & Bononienſi Profeſſione inclaruiſſet, non minùs ſenectute venerabilem hanc Scholam, quàm Eloquentia ſenectutem effecit. Quaſi urbem veſtram reveritus, experiri alibi conatum ſuum voluit, ut matura, & adulta huc ſtudia inferret. Senectus autem, cùm ubique venerabilis, tum in pulpito religioſa & ſacra eſt, pænè diſcentibus adorata. Vt enim imperium potentioris ſuſtinemus, æqualis faſtidimus: ita præcepta junioris, aut ſenis. Quid igitur? tantùm decrepitos habebit noſtra Schola, & vicinum cathedræ capulum faciemus? abſit. Floreat inter-

interdum cum adoleſcente, vigeat cum viro; quia & hi ſenes eſſe poſſunt. Studiorum Præſidi Apollini non canos, ſed lanuginem Antiquitas conſecravit; & mea quidem cauſſa plurima eorum exempla conferrem, qui præmaturè docuerunt, niſi ætatem impetraſſem. Poſt PHILELPHVM gloria, & fructus ſe Scholæ ampliùs diffudit: ac Profeſſores Fama clariſſimi exſtitêre, etſi in caligine aliqua etiam ævi. Inter hos, Iovio referente, ANTONIVS PANORMITANVS, à Philippo Vicecomite ſalario octingentorum Aureorum conductus. PETRVS CANDIDVS DECEMBER, qui ſub Franciſco Sfortia I. ad annum uſque LXXX. docuit; non modò liberalitatem Principis vivus, ſed pietatem etiam, cùm vixiſſet, expertus: quippe arca marmorea (in veſtibulo templi D. Ambroſii exſtat) honoratus. Etiam DEMETRIVS CHALCONDYLES, è Græcia profugus, quem in Vrbem, in Scholam, imò in Amicitiam quoque Ludovicus Sfortia excepit. atque hujus ſepulchrum

in æde Chriſti Paſſi. Fuêre iiſdem temporibus, PHILIPPVS BEROALDVS, ut in ejus vita teſtatur Pinus Toloſanus. GEORGIVS MERVLA, qui in templo S. Euſtorgii conditus. LVD. CÆLIVS RHODIGINVS, qui, ut in Antiquis ſuis teſtatur, à Rege Franciſco adſcitus, publicè Livium Iuventuti Mediolanenſi explicuit. Mox IANVS PARRHASIVS, Chalcondylis gener: atque hunc ob inſignem facundiam Magnus Iacobus Trivultius Provinciẹ Gubernator audire cottidie in his ipſis Scholis ſolebat. BAPTISTA PIVS Bononiẹnſis, qui à Paullo III. Farneſio Romam vocatus, obiit. Iungunt ſe huic numero & ordini ſerie quadam STEPHANVS NIGER, M. ANTONIVS MAIORAGIVS, OTHO LVPANVS, AONIVS PALEARIVS, FRANCISCVS CICEREIVS,

Multi prætereà quos fama obſcura recondit.

Ego tandem ſuffectus ſum, ut tot eruditos viros ſtudio, & diligentia referrē. Adnitar verò, ut referam, ſic juventus faveat; ac viam ad Eloquentiam ituris

faciam,

faciam, quæ à Virtute non abducat. Quorſum enim linguam inſtruamus, ſi animus incultus? Non eloquentes tantùm, ſed bonos Reſp. cives à Profeſſore expectat: nec ille verè eloquentes exhibere poterit, niſi ſi bonos. *Eloquentia* namq;, ut Statius Cæcilius veſter (veſter inquam, & ſic propriè vobis ſcripſit) *Innocentia eſt*. Scribere hoc niſi Mediolanenſis non poterat: & ſic nulli rectiùs quàm Iuventuti veſtræ præſcribi. Ergò retinete nomen, & laudem priſcam Innocentiæ; ut Eloquentiæ inveniatis. *Neque enim* (ut Quinctiliani verbis ſententiæ meæ pondus appendam) *eſſe Oratorem, niſi bonum virum judico: & fieri etiam ſi poſſit, nolo*. SCHOLAS antiquitùs fuiſſe, ſatis oſtendi: ſed PALATINAS fuiſſe, reliquus labor: jucundus faciliſque futurus, ſi benignam deinceps favoris veſtri auram experiar. A Romano Palatio, PALATINUM dici, clarum eſt. Non autem continuit ſe Romæ Palatii majeſtas, poſtquam Cæſarum eſſe domiciliũ cœpit; ſed per Provincias ſparſa; ut toto terrarum orbe Imperator

perator habitaret. SCHOLÆ verò PALATINÆ quaſi Palatio digniores, in alteram dumtaxat Romam, poſtquam Romæ eſſe cœperunt, potuerunt traduci. Tantum inter Imperatorem & Eloquentiam intererat. Ille humilia paſſim tecta, & mœnia ſubibat: hæ non inveniebant dignitatem ſuam, ſi aliò, quàm in urbem veſtram commigrarent. Fuiſſe autem Romæ Scholam, ſive Auditorium PALATINVM, in quo Carmina, Hiſtoriæ, ſed & Orationes, & Dialogi publicè recitabantur, inficias Romanitatis peritus non ibit. PALATINVM inquam; quia in templo Apollinis Palatini. Nam cùm ſe hac recitatione abſtinere Horatius ſcriberet,

-----Hæc ego ludo, (Tarpa;
Quæ nec in æde ſonent reſonantia, judice

& alibi item *ædem* nominaret,

---Vacuam Romanis vatibus ædem;

Scholia vetera *ædem* utrobique *Apollinis Palatini* interpretantur. Plinium huc voco de Claudio Imperatore, Lib. I. Epiſt. XIII. *Memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, cùm in* PA-

LATIO

LATIO *ſpatiaretur, audiſſetque clamorem, cauſſam requiſiſſe; cúmque dictum eſſet* RECITARE *Nonianum, ſubitum recitanti inopinatúmque veniſſe.* Ecce Palatium, ecce Recitationem. Si autem vicinus iſte clamor, & ſi in æde; ubi, niſi in Apollinis Palatini? Dicerem & de Schola Palatina Ciceronis, niſi privata ea fuiſſet: quam quidem domi ſe habuiſſe ſæpiùs ſcribit; & Lib. II. Epiſt. IV. ad Atticum, *Palæſtram Palatinam* nominat: *His temporibus, tam dubia vita optimi cujuſque, magni æſtimo unius æſtatis fructum* PALÆSTRÆ PALATINÆ. ſcilicet quem in domo ſua Palatina docendo, & diſſerendo capiebat. Lib. VII. Ad familiares, Epiſt. XXXIII. Volumnio ſcribens: *Quòd Declamationibus noſtris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio invideres, niſi eum amares, non erat cauſſa invidendi; niſi fortè ipſius Eloquentiæ magis, quàm quòd me audiret, invideres.* Ibidem: *Nam & Caſſius tuus, & Dolabella noſter, vel potiùs uterque noſter, ſtudiis iiſdem tenentur: & meis æquiſſimis utuntur auribus.* Iterùm Lib. IX. Epiſt. XVI. *Hirtium ego, & Dolabellam*

bellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros. Puto enim te audiſſe (ſi fortè ad vos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare. Quid Romæ? quid in privato adhuc moror? Mediolanenſes noſtras, & publicas PALATINAS per Antiquitatem inveſtigo: an jam diſtinguo? Nominare enim Symmachus videtur, qui Mediolanum, ad Minervium ſcribens, lib. IV Epiſt. XXXV. Amicitiæ ætatem ac fidem ab Eloquẽtia Palatina ducit: *Præterea cùm* PALATINÆ ELOQVENTIÆ *militares, porrexi amicitiæ tuæ dexteram.* Si verò Palatina iſta Eloqentia Mediolani, ubi, niſi in Schola Palatina? unde etiam firmior robuſtiórq; amoris nodus, quàm è communibus ſtudiis & Scholis? *Neque enim,* ut veriſſimè Quinctilianus, *eſt ſanctius, ſacris iisdẽ, quàm ſtudiis imitari.* Mediolani igitur olim SCHOLÆ PALATINÆ. Ego tamen, videte confidentiam meam, quaſi aliunde dictionis votũ impleturus, Symmachi loco non utor: quem ad aulæ tribunalia, & advocationes

tiones militares, quibus Palatium perſtrepebat, ſciam poſſe referri. Auguſtinus noſter pro hac ſententia ſcripſiſſe videtur lib. VIII. Confeſſion. *Venit & ad me, & Alipium Petitianus quidam civis noſter, inquantùm Afer, præclarè in Palatio militans.* In Palatio autem Mediolanenſi. Et Ammianus lib. XXX. de hoc idem genus Advocatis: *Qui tenuiorum negotia Militaris rei Rectoribus, vel intra Palatium validis, venditantes, aut opes, aut honores quæſivêre præclaros.* Militum autem Scholæ illæ Palatinæ fuerunt, ad quos multarum redire partes ſolebant. Ita Hiſtoriæ paſſim, & libri Iuris docent, Scholáſque Palatinas nominant.

Idem Ammianus Libr. XIV. De Thalaſſio: *Scribens ad Cæſarem blandiùs, adjumenta illi paullatim ſubtraxit, ſollicitari ſe ſimulans, ne quod militare otium, ferè tumultuoſum, in ejus perniciem conſpiraret; ſoliſque* SCHOLIS *juſſit eſſe contentum* PALATINIS. Paullo pòſt: *Montius tunc Quæſtor, aſper quidem, ſed ad lenitatem propenſior, conſulens in commune, Advocatos* PALATI-

LATINARVM *primus* SCHOLARVM *allocutus eſt mollius.* In Codice verò Iuſtinianæo quoties, & quot modis SCHOLÆ PALATINÆ repetuntur? Cui otium, & curioſitas, per ſparſas, & confuſas illas leges erret. Ego hoc addo, totum illum aulicum ſive Palatinum gregem in Scholas diſtributum, varios honoris titulos prætuliſſe. Vt tamen & noſtræ huic Militiæ litterariæ jus auguſti nominis Palatium concedat, Antiquitatem flagitabo. Romani, poſt varia bella & diſcrimina, Italia potiti, & in quædam quaſi ſtudia pacis dati, cùm in urbe Patria ornanda ambitionem fatigaſſent, Mediolanum converſi ſunt; ut in populum Romano nomine dignum, Imperii opes, & opera effunderent. Sic igitur alius novo murorum ambitu, & velut complexu venuſtam, & amatam urbem ſtrinxit. Alius templorum majeſtate Deos ipſos è cælorum erroribus evocavit. Alius & reſides aquas, & novos amnes velut æſtuantis urbis viſceribus infudit. Alii Circum, Theatrum, Curiam, Capitolium,

quorum

quorum nunc reliquias corradimus, &,uno verbo, Romam ipſam Mediolani ſtruxerunt. Nerva poſteà Imperium quoque communicans, Palatium Auguſtale condidit: aliud Trajanus; aliud Maximianus, pariter enitentes, ut ſtructuræ & habitationis quodam jure in originem SCHOLARUM PALATINARUM laudarentur. Vt Scholarum nomen duraret, plura Palatia condita: & duravit; ut quiſque Palatii memoriam Scholarum confinio deberet. Vbi eſſetis ſuperbi conatus, niſi hæ Scholæ noſtræ eſſent? vixiſtis: & tamen vivitis, quia illæ vivunt. Tanti refert domicilium ſibi Princeps, an Muſis exſtruat. Maximianus verò, ut univerſam hanc gloriam ad ſe traheret, & Herculeus dici voluit, quaſi cum Hercule ipſo (qui Genius urbis olim habitus) tutelam Mediolanenſium gerens; & Herculis fanum, cujus ſedecim illæ ſtriatæ, & ingentes è marmore columnæ exſtant, Muſarum ſacrario junxit. Ille qui conſortem Imperii Diocletianum ferebat, ab origine Scholarum

Nervam, ac Trajanum removit: & in hoc forte bonus laudatúſque Imperator, quaſi glorioſius, ſolum in Litteris, quàm in Imperio nominari. Erat jam Romæ templum Herculis Muſarum, quod in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cenſoria fecerat: Mediolani Imperator ipſe ſtudiis tutelarem concilians, ſtructuræ miraculo Herculem Muſagetam coluit; ut Muſarum quies hic quoque defenſione Herculis, & Herculis virtus voce Muſarum æterna eſſet: vos autem, non ſolùm benè dicendi diſciplinam, Muſarum cultu; ſed benè faciendi, Herculis ſubſidio acciperetis. Hercules tamen in hac urbe Romana etiam fata expertus, & inter rudera ſepultus, nomen pænè ipſum memoriámque exſpiravit. Sic Muſæ, ſine duce per ruinas urbis errantes, in humiles tandem parietes auguſtum Palatii nomen intulerunt. Sed cur non te video, ô priſca urbs, & vultum priſcæ Scholæ? Convulſa, & pænè ejecta ſedibus tuis jaces; quid niſi funus antiquæ majeſtatis repræſentans?

tans? Vrbem tamen per umbram, & nebulam luſtrare in Elogio Auſoniano auſim; ut Scholam inveniam.

Et MEDIOLANI MIRA OMNIA,*copia rerum,*
Innumera cultaq; domus, FACVNDA *virorum*
INGENIA, *antiqui mores : tum duplice muro*
Amplificata loci ſpecies, populiq; voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata Theatri:
Templa, PALATINÆQVE ARCES, *opulénſque moneta:*
Et regio HERCVLEI *celebris ſub honore lavacri.*
Cunctáque marmoreis ornata periſtyla ſignis:
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis,
Mœniáque in valli formam circumdata labro
Excellunt: nec juncta premit Vicinia ROMÆ.

Ecce MIRA OMNIA : ſed inprimis ARCES PALATINÆ: illæ inquam Maximiani, quæ divino etiam cultu, licet impiè inſignitæ ſunt; ut illuſtriùs

Scholæ denominarentur. Mamertinus in Genethliaco : *Quid illud, Dij boni? quale pietas veſtra* (Diocletianum,& Maximianum compellat) *ſpectaculum dedit, cùm in* MEDIOLANENSI PALATIO, *admiſſis qui* SACROS VVLTVS ADORATVRI *erant, conſpecti eſtis ambo ; & conſuetudinem ſimplicis venerationis geminato numine repentè turbaſtis?* Inter Vrbis igitur miracula PALATIVM conſpicimus. ubi autem Schola? Itáne, Auſoni, maximum ornamentum Elogio ſecreviſti? at tuum hodie Elogium, & imaginem Schola recepit; imò in fronte præfert, velut ſuū proprium, & urbis decus. Repeto, & altiori voce increpo : ubi, Auſoni, Schola? An PALATIO incluſiſti? Ita exiſtimo. digniùs enim habitare Litteræ non poterant, niſi ubi Imperator: nec debebant alibi, niſi ubi Imperator. Oculos veſtros appello : hic ipſe ſitus annon veterem memoriam exponit? Non in publico tantùm, aut in foro, aut in Comitio, ſed in ipſo hodiè Palatio docemus. Poſtquàm enim OLDRADVS

TRES-

TRESSENVS Prætor, anno ∞. CC. XXXIII. novum Palatium iſtud in novo foro exſtruxiſſet; hic locus Gynæceium, ſive Palatium minus, in quo Prætorum uxores habitarent, factum: quod à MATTHÆO VICECOMITE, ∞. CCC. XVII. in minorem Curiam tranſmutatum, mox SCHOLAS PALATINAS admiſit. In Palatium igitur, atque adeò Curiam à Io. MARIA GALEATIO litterarum amantiſſimo Principe Eloquentiæ ſedes, velut proprium regnum, tranſlata eſt; ut in novo loco avitum nomen inveniret. an & Principem, novúmque Muſagetam? Omnino. vicinus enim ille; imò in conſpectu, tametſi receſſit: receſſiſſe autem videtur, ut locum Scholæ daret: neque tamen receſſiſſe; qui nunc etiam contubernii ac præſentiæ felicitate Schòlas perfundit. Vbi enim habitare Princeps videtur, niſi cum Repub.? ubi autem Reſpubl. niſi ubi jus, & Iuſtitia urbis? Intra hæc ſepta comitia fervent, ſuffragia feruntur, & privatus quiſque velut in Populi cauſſa verſatur. Nunc verò Scho-

la ipſa, quid niſi Palatium? Pulpitum, & ſuggeſtum, quid niſi ſolium? Profeſſor, quid niſi imperantis imaginem adumbrat? In publico, & cottidiano conſeſſu hic unus eminet, dicit, docet: in hunc unum oculi omnium conjecti; unus omnes reſpicit: ab hujus omnes ore pendent, ad hujus omnes nutum moventur. Etenim Suadę Myſta, ſi orat, potentior imperante eſt: ſi docet, melior. Impellit enim quò vult orando auditores ſuos; & hi ipſi affectum accipiunt quemcunque Orator induerit. Docendo verò rudem, & ligatum, ut ita dicam, diſcentis animum linguámque expedit, ad benè pariter faciendum ac dicendum. Similitudinem igitur Principis Profeſſor repræſentat. ubi? in Schola; imò in Palatio. Scholaſticum enim hoc Palatium eſt, atque adeò PALATINA SCHOLA. Palatium; in quod ſine ruboris impedimento introire: Schola; in qua diſcere, ætas & ordo quiſque poſſit. Tu qui junior, obſcurior, pauperior, puta te in Scholam venire: tu qui maturior, nobilior,

poten-

potentior, in Palatium. In Schola alendus, & roborandus eſt animús, ut in Palatio conſiſtat. Bone Deus! quæ hæc ratio eſt? quod benè diſcas publicè, pudor eſt; quòd malè facias, laudem habet? Ad publica vitia, & libidines corrupta verecundia ruit; ad publicam vocem ſi quis pedem intulerit, erubeſcit: poſtquàm retulerit, puſillum temporis *queritur ſe, quia non perdiderit, perdidiſſe*. Quid malum, ſportulis aut cœnis conducendi Auditores ſunt, aut nummo conducendi, priſco vitio, qui ſubſellia mihi compleant? qui applauſum commoveant? qui Scholæ dignitatem ſuffulciant? Nec Sophocles, nec Laudicenos moror: voveo tantùm, ut ſint qui dignentur doceri. nec enim ut ipſe diſertus videar laboro, ſed ut alios faciam. At jam privatim, inquiet aliquis, Eloquentiam haurio, jam puer hauſi. Neſcio, ſed tamen qui audire faſtidit, quæ ſemel didicit, quid niſi pœnitere videtur ſe didiciſſe? Rectum bonúmque ingenium libenter audit quod docere quoque poſſit. Adde quòd

rerum omnium, fragilis & fugitiva quædam memoria eſt. Licebit autem alieno ſudore varias doctrinæ imagines irrigare, ut vivant. Si non fructum hunc capies, ut diſcas; voluptatem capies, ut ſcire te intelligas. Quid ſi etiam meliora quædam paro, non in umbris Scholarum obvia? Poſt cœnam, bellaria nemo ſpernit. Per ripam ego fluminis, & ſupercilium rivi ſpatiari ſoleo, non ut bibam, ſed ut vitreo colore oculorum hilaritatem paſcam, aut Nympharum gratiſſimo murmure auribus delicias faciam: ita hîc licet. Marcum Ciceronem, ipſum Eloquentiæ Principem, & Scholæ noſtrę Dictatorem, Suetonius M. Antonii Gniphonis Grammatici Scholam frequentaſſe ſcribit, *etiam cùm Prætura fungeretur*. Imitare, & ad honeſtam voluptatem veni, ad amœniorem aliquam doctrinam, ad quam à Principe, & Republ. vocaris. Publica enim hæc inſtitutio eſt, qua cives ſibi Princeps format, Reſp. adoptat. Ille, ut dignos Republ. hæc, ut Principi devotos faciat. Bonos eſſe

cives

cives, ſalus Reipubl. eſt: & Princeps bonus hoc à Repub. meretur, ut tales regere poſſit, qualis ipſe eſt: hoc etiam officium Reipubl. ut Principi ſimiles ſubditos exhibeat. ita enim facili freno ab uno multi reguntur, ſi in unius multi exemplum conſpirent. Noſter verò Princeps ille ab ipſo Marte creatus, etſi bonus ſine litteris, & utilis Reip. contigit; intelligit tamen ſe bonos ſine litteris cives habere non poſſe. Illius quidem tantum támque divinum ingenium eſt, ut ſine litterarum adminiculis boni ac glorioſi Gubernatoris nomen tueatur. bonus ex eo, quòd proſit: glorioſus, quòd ſine litteris. Noſcat igitur Iuventus Principem ſuum, & ſub illo florentem Rempublicam: noſcat in hac Schola. Capita ecce proſcriptorum civitatis oculis pro Porticu noſtra exponuntur; proſcriptionis minæ proclamantur; ut in illo potiſſimùm loco civium jure, & commercio ſcelerati priventur, ubi ad Patriam conſervandam, augendam, ornandam inſtituuntur: illic potiſſimùm

pœnam ſuam populo oſtendant, ubi ad præmium promoventur. Hic enim uſus Scholarum, quas qui amat, & frequentat, ſeipſe dignum Republ. & Fama parat: qui negligit, & ſpernit, iners otium ad enormia facinora fovet. A Schola igitur ipſa Reſpubl. pendet: ac tantam quidem Rempubl. habituri eſtis, quantam Scholam facietis. Hæc enim, quemadmodum in ipſo homine cor, ita in civitate veſtra cenſeri debet, unde vis, & vita omnis ingeniorum per univerſum & diffuſum iſtud corpus derivatur. Hæc vultum ipſum civitatis recipit, & facit. Si publicum aliquod gaudium eſt, ubi effuſiùs exultatur? ſi dolor, ubi mœſtiùs plangitur? ut mihi quidem videatur uterque Reipub. ſtatus, ſeu proſper ſeu adverſus, in Auditorio iſto poſſe explorari. Intra modò, ut, ſi pars aut membrum Reip. videri vis, te ipſum invenias. Intra, NAM ET HIC DII SUNT. Non ego ædificium tibi commendo, ſed Profeſſionem; non pulpiti pretium, ſed dignitatem; non ſedilium ordinem,

ſed uſum ; non laquearia iſta,ſed errantem imaginem Suadæ ; non aditum, ſtationem, proſcholium, porticum, ſigna, columnas, non denique marmoream illam, & auguſtam faciem : quia ſine his omnibus utilitas ac majeſtas Scholarum infracta eſt ; & hæc omnia, aut meliora, aut deteriora eſſe temporis, aut benignitate, aut injuria poſſunt. Ipſum tantum nomen inculco, PALATINAS eſſe: & quod nomini conjunctum, in meditullio civitatis ſitas. *Scilicet ut in cælo, mediam ferè regionē Sol obtinet dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio*: ita hæc Schola centrum urbis inter tot Gymnaſia, & Collegia circumfuſa, è quibus faciliùs breviúſque ad publicam Suadam Iuventus concurrat. Itaque Scholæ principi minora illa aſtra ſerviant, illi conſpirantes cœtus, illæ novæ, & adultæ faces, quæ per caliginem hanc litterarum accenſæ, umbratiles cathedras implent. Renaſcitur priſcum SCHOLÆ PALATINÆ nomen ac numen, ſed etiam nunc in crepuſ-

culo

culo gloriæ poſitum, & frigore: obſeptum fuligine quadam, & velut reliquiis noctis, quæ magno animò evincendæ ſunt, aut certè contemnendæ, dummodo ne noceant. Sed quid animi crucior? terrebũt magis, quàm nocebunt; ac impedire lumen publicum poterunt, motum non poterunt. Impelletur enim altiori auxilio votum bonæ mentis; ac uret delebitq; coactas illas nubes. Ego quidem non ſolus, ſed tamen primus Eloquentiæ hunc currum ago: felix, ſi non primus vocis ſtiliq́ue impedimenta experior. Sed carpe, & ſimul cave quiſquis infeſtus conatibus meis es. Ita enim contra publicam livoris petulantiam animum obarmavi, ut & concoquere reprehenſiones poſſim, ſi merear; & judicare, an merear. Longè quidem à ſpe gloriæ remotus eſt, qui reprehendi non conſuevit: longiùs, qui contemnit reprehendi. Ille enim qui non conſuevit, ſimplicitatis vitio errare in minimis ſe putabit, ſi modò reprehendatur: qui contemnit, arrogantiæ impoſtura ne

in ma-

in maximis quidem poſſe; cùm tamen maximè poſſit. Ego autem, & reprehēdi aſſuevi dum eruditus ſum; nec contempſi, ubi reprehenſus ſum: hoc inprimis meo bono, quòd ſupra reprehenſiones citiùs evaſi. Correctorem enim qui ſuſtinet, priuſquam didicit, ſcientiæ proximus eſt; qui poſtquam didicit, ſcientia major eſt. Nunc quoniam de ſitu Scholarum dicere cœpi, circumferte etiam oculos, & circumfuſam aliquam pompam, imò laudem agnoſcite: illas circumquaque ſubſervientes Bibliothecas, illam ſupellectilem Muſarum: illum toto foro Mercurium ſollicitum: illos è pegmate perſtrepentes aretalogos, mimos, hiſtriones, quique ſpuriam quamdam Eloquentiam geſticulationibus veſtiunt, ex ipſius Scholæ confinio linguæ pręſidium captantes: Scholam ipſam non humi neglectam, ſed in ſublimi ſuſpenſam, ſupra ſordes, & ſtudia vulgi. Suſpenſam; ut in ipſo conſcenſu ſtudiorum difficultatem aliquam, & moleſtiam præſentias: poſteà, quietem ac voluptatem.

Experi-

Experire, & ſi in publico eminere vis, in publico diſce; imò Eloquentiam, ſi eminere. Hæc enim artis illius natura eſt, ut parari non poſſit, niſi ubi uſum habet; uſum autem habet in publico. Itaque privatim loqui diſce: publicè, eloqui. ad loquendum enim Natura, aut privata inſtitutio ſufficit: ad eloquendum Ars, & Exercitatio publica neceſſaria eſt. Hinc Quinctilianus, optimus dicendi Magiſter: *Ante omnia futurus Orator, cui in maxima celebritate, & in media Reipub. luce vivendum eſt, adſueſcat jam à tenero non reformidare homines, neque illa ſolitaria, & velut umbratili vita palleſcere. Excitanda mens, & attollenda ſemper eſt, quæ hujuſmodi ſecretis, aut langueſcit, & quemdam velut in opaco ſitum ducit, aut contra tumeſcit inani perſuaſione. neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat.* Vbi autem excitanda mens, niſi in luce Scholæ Palatinæ? in hac imagine Antiquitatis? in hac gloria urbis? Demus, demus è privato pulvere Eloquentiam aliquam poſſe excreſcere: ferunt tamen amœniorem

acva-

ac valentiorem: libera hæc ſpatia; ſicuti indomitus ager herbas lætiores. Quid verbis opus eſt? Eloquentiæ imaginem quandam Scholæ privatæ adumbrant : faciem ipſam publicæ repræſentant. Refert etiam in umbra, an in luce verſeris ; liber, an ſub jugo. Magnum animum prodit, magnámque de ſe ſpem Reipubl. præbet, qui diſcit ubi non cogitur. Nam privatæ illæ Inſtitutiones ultra leges ſuas ingeniorum fructum vix producunt: & in vinculis illis ſtudet magis quàm proficit juventus, ſimul cum vinculis ſtudia excuſſura, niſi jam publicè ſua ſponte exercere ingenium adſueſcat, dum cogitur privatim. A privatis exercitationibus neminem abſtractum cupiam: tantùm à publicis non ſecluſum. *Nemo ire quemquam publica prohibet via.* Quæ enim hæc miſeria, aut infelicitas Mediolanenſium, habere veterem illam Eloquentiæ Scholam, habere Profeſſores: Eloquentiam qui diſcant non habere? Non ego mea, ſed veſtra, & urbis cauſſa crucior: ideóque publico damno

no verborum juſta querela ingemiſco. In tanto populo, in tanta juventute, quàm pauci ad audiendum, & quàm pigrè conveniunt? Plures (ignoſcat mihi Scholæ Genius) pænè qui audiuntur, quàm qui audiunt. Ego tamen ad ambitionem, aut illecebras adulationis non deſcendo, ut Auditores colligam; ſed ingenii experimentum Scholæ impendo, ut merear. Quiſquis es, & dicendi deſiderium aliquod habes, Priſcos illos Rhetores cogita, & in SCHOLIS PALATINIS diſce, ubi gloria quoque eſt, didiciſſe: diſce, ubi P. VERGILIVS MARO aliquando didicit: ubi VALERIVS MAXIMVS veſter: ubi VIRGINIVS RVFVS, III. Conſul, Rhetor inſignis: ubi FRANCISCVS PETRARCHA: ubi ANDREAS ALCIATVS: ubi HIERONYMVS CARDANVS. poſtremò, ubi tot inſignes, & præclari viri: quos omnes eorumdem ſtudiorum conſortes jactare, & horum aliquem imitatione exprimere poteris, ſi eamdem Scholam frequentaris.

Non

Non quidem Auguſtinum auditurus; ſed illum, qui longo pòſt intervallo ſuffectus Auguſtino ejuſdem munus obit. Etenim ſi Eloquentiæ fructum Profeſſor publicus Scholæ impendit; & à Schola Auditor capit: tot Profeſſores audire videare, quot in Schola unquam docuerunt; ſi in Schola audieris. Sed ego, non quem aut quos audias; ſed quid audias, conſiderare te volo: non Profeſſorem, ſed Eloquentiam ipſam. illum enim jactare, ad privatam tuam; hanc, ad publicam Scholæ gloriam ſpectat. Scholæ? imò Vrbis: cùm florentem ſine Schola Eloquentiam habere non poſſimus, nec ſine Eloquentia Vrbem. DIXI.

ORATIO IV.

PRO LIBERTATE LITTERARVM:

Ad Matronas Virginéſque Mediol. à virguncula decenni habita.

SI quantum in me animi, tantum virium eſſet, Matronæ Virginéſque Mediolanenſes, nihil Amœſiæ Sentiæ clariſſimæ feminæ, & cauſſam ſuam olim publico in judicio facundè felicitérque agenti cederem: Nunc verò non ſexus tantùm, aut ætatis; ſed infantiæ verecundia quadam impedita, trepidè virum dicendo agam; ut oratio potiùs mea, quàm vita aut mores in publico laborent. Cùm enim inſtinctu bonæ Minervæ Litterarum ſtudia amplexa, non minùs ſtilum, quàm acum cœpi exercere, multorum; quaſi vitium ſexui

ſexui adderem, non perfunctoriis reprehenſionibus pulſata ſum. Quæ me, ſive iniquitas, ſive invidia tam graviter adfecit, ut commaſculata fronte, meam, totiúſque ſexus noſtri cauſſam ſuſcipiens, omnia facere PRO LIBERTATE LITTERARVM in animum induxerim. Etſi enim longa temporis præſcriptione jus ad ſe omne viri pertraxerunt non tamen eò infelicitatis projectę mulieres ſunt, ut abſtinere ab animi cultu debeant, poſtquam corporis ornatu laſcivire maximè cœperunt. Publicè hoc dico, & ſic publica judicia provoco, ut univerſam hanc cauſſam publicè, & examuſſim diſputem. Vos autem qui Iudices eſtis, adſentite & juvate, ſi æqua profero: ſi iniqua, reprehendite, & damnate. Adſit igitur animúmque advertat Virorum patronus, aut ſi quis Virorum ſuffragio cenſuram litterarum gerit, & pauca mea verba recto purgatóque examine diſpungat. Litteras Virorum eſſe proprias ais: ſed quam ob cauſſam ais? quiáne ornamento ſunt? at mulier tibi or-

nata placeat: quiáne voluptati ſunt? at voluptas minori vitio in muliere toleretur: quiáne vſui ſunt? at vitæ uſus æquo jure ad mulierem ſe extendit. Etenim ſine litteris Rempub. laborare ſapientes prodidêre; quia verò Oeconomia, morúmque diſciplina partes Reipub. ſunt, & muneris quoque noſtri; neſcio equidem cur non & litteræ eſſe debeant. Vita privata à feminis pendet, publica à privata, & qualis domus cujuſque privata, talis quoque civitas, quaſi magna multorum domus unione & communione quadam vitæ conſtituta, quæ ſine feminis eſſe non poteſt, ſine viris aliquando fuit: ut à ſola femina quàm à viro rectiùs, faciliùſque vidua familia gubernatur. Ego tamen, ne miſcere omnia videar, Rempub. jura, leges ſino virorum eſſe; & hactenus litteras, ſine quibus ſtare neque Reſp. neque jura, neque leges poſſunt: ſed vitam privatam, curámque familiarem ſubjicio imperio noſtro; & unà litteras, quibus & vita privata, & cura familiaris prudenter adminiſtretur.

tur. Itaque ſumite vobis publica, ô Viri, ſumite Litteras; ut ad certam quaſi cynoſuram normámque navigantes, ſine periculo publica habeatis. Nos in privatis occupatæ, litteras etiam adhibebimus, velut commune rerum negotiorúmque omnium inſtrumentum, quo domum, quaſi minutam aliquam Rempubl. temperemus. Sed profectò nimiùm ego quidem de jure meo cedo, ac communi mulierum cauſſæ prævaricari videor, quæ in partem litterarum viros admittam, cùm femininæ ac caſtæ omninò litteræ ſint, virorúmque commercium omne fugiant. Fugiunt certè, etſi non effugiunt, olim & nunc quoque velut Sabinæ raptæ, & præter jus omne gentium iniquo imperio preſſæ. Enimvero, duo mortalium ſtudia præcipua ſunt, Armorum, & Litterarum: quemadmodum duo tempora, belli & pacis. Sed mortalium quidem nos quóque pars ſumus, niſi una ętate genus humanum finiamus. Quare, cùm Armorum ſtudia tamquam propria viri uſurpent,

Litterarum non injuria vindicare nobis videmur, ut in partem & nomen humani generis admittamur. At verò, inquies, ut mentis, ſive ingenii, & corporis munia copulantur: ita arma quæ ad corpus, & litteræ quæ ad ingenium referuntur, conjungi debent. Sed cùm ordo Naturæ arma & militiam viris conceſſerit, conceſſiſſe etiam litteras videtur, quibus Vrbes & Leges condant, jura præſcribant, Religionem firmēt, & uno verbo Remp. conſtituant. Quid iſtuc eſt? Siccine ſine dolo togam profiteris? inſidiæ verborum ſunt, quas ego non Litterarum, ſed Armorum præſidio; periculi ſecura, quaſi per ludum eludam. Itaque abſit pavor, abſit terror: Arma feminis, & ſic cum Armis (negas enim diſiungi poſſe) Litteras conſigno. Quid enim? animi aut lacerti nobis deſunt? Vis, aut dolus? Senſiſtis olim viri, & nunc ſentitis etiam, quàm altè mulieres vulnerent, quàm non ad ſanguinem exhorreſcant. Veſtras clades Hiſtoriæ referunt, cicatrices revellunt, ut ſciatis pugnaſſe olim

olim Amazones, ſed & nunc pugnare. Etiam hiſcitis? Deus ipſe mulierem formans, quaſi virili robore ad quæcunque munia corporis obeunda inſtructam, Viraginem nominavit. Et divinus Plato mulieres voluit (verba Apuleii uſurpabo) *omnibus partibus quæ propriæ virorum putantur conjungendas eſſe; Bellicis etiam: quippe cùm utriſque natura una ſit, eamdem eſſe virtutem.* Subſcripſit Gentilitas, quę certo quodam erroris conſenſu, non minùs Bellonam nobis, quàm Martem vobis dedit: quæ ampliùs vobis infeſta, clara armis mulierum exempla litteris celebravit: quæ, ut uno ictu te abſolvam, Armorum ac litterarum conjunctionem non in Deo, ſed in Dea repræſentans, Palladem, præſidem illam Litterarum, armatam finxit. I nunc bone Vir, & ad arma confuge, ut Litteras tibi vindices; i, & plenus tumore è finibus humani juris, ac nominis feminam projice, quaſi ſolus homo. Hoc age potiùs, & miſſis Litteris, ſupplex feminis eſto, ut arma recuperes, ut teipſum hominem ad-

ſeras. Ego quidem, ne tam armorum terrore, quàm rationis quodam jure uſurpare litteras videar, jam quidem ſino arma in medio eſſe, ac pacis tranquillo habitu Litteras quaſi proprias amplector.

Etenim ſi conditionem naturámque Mulierum, ac Litterarum componas & examines, natas Mulieres ad litterarum exercitia, & Litteras ad ornamentum Mulierum inventas eſſe fateare. Ecce, quietem, otium, ac ſolitudinem Litteræ requirunt. qua etiam de cauſſa altiſſimorum montium cacumina à Muſis delecta & culta finguntur, & inter mortales Litterarum domicilium SCHOLA ſive OTIVM vocatum eſt, ut extra motum & ſtrepitum omnem, plenam quietem ſtudia invenirent. Vbi verò hæc quies, hoc otium, hæc ſolitudo? anne apud viros, qui ad negotia natos ſe jactitant, & in æſtu curarum ac turbine vota ſua conſumunt? Profectò virum cùm video, navem videre irato in pelago videor, quam novi & novi fluctus ſem-

per

per ſuccutiunt. Quem enim ambitio non inquietat? avaritia non torquet? ſcelus non infeſtat? Mulieres verò, quæ in vado & portu tranquillitatis ſunt, nullis impietatis procellis expoſitæ, vacare litteris ſine impedimento ullo poſſunt. Inter domeſticos parietes vitam quietè, & ſic feliciter agunt, remotæ à platearum rumoribus, remotæ à vitiorum colluvie, remotæ ab infeliciſſimo ſtrepitu fori. Larem curant, liberos educant, & in ſecuro otio tranquillam, & amatam Muſis mentem poſſident. Viri contrà (non enim poſſum quin comparationem hanc extendam) animo, & corpore diſtracti ſunt; nec per quietis ulla intervalla, tot foris hauſtas, támque confuſas rerum imagines delent aut digerunt. Vexant noctu inquietudine mentem, quam interdiu onerant: laxant domi, ut denuò foris impleant: & ſic infelicitatem ſuam continuò ordiuntur, ne umquam finiant. Quid autem? in hoc motu & æſtu tranquilla & fœcunda eſſe ſtudia exiſtimas?

ſcilicet,ut quietæ nubeculæ ſunt,cùm venti & procellæ ſæviunt. Vt aqua ſuccuſſa nullam, aut confuſam imaginem reddit: ſic motu impedita ſtudia ſunt,nec ſe invenire animus contemplantis in rerum, & curarum illa confuſione poteſt. Sed quid ego mentem, atque adeò linguam in his ſcopulis ampliùs allido? curas loquor, curas video, & jam, ut ad confuſum clamorem aures ſolent, mihi animus ipſa cogitatione tot moleſtiarum quaſi obſurduit. Quare ad me ipſam, & quietem meam revertor: quam meam eſſe,non verbis tantùm,ſed habitu & ipſo ſexu convinco. Verbis ſi fidem demitis,habitum noſcite, totum ecce otii,modeſtiæ,tranquillitatis; ſi habitui,ſexum,& hunc totum otii,modeſtiæ,tranquillitatis: Noſcite inquam habitum & ſexum, hunc litteris aptum,illum deſtinatum. Hinc quidem erudita illa Antiquitas, quæ generis differentia ipſa quoque nomina diſtinxit, Scientiis, Artibúſque omnibus femininum conceſſit. Grammaticam enim, Dialecticam, Rhetoricam,

ricam, & ceteras ſi audias, feminæ ſunt; ſi legas, feminæ; ſi videas, feminæ: & ſic propriæ quoque feminarum optimo jure cenſeantur. At enim hactenus virorum ſemper fuêre. ſed injuria: & hoc illud eſt, quod à priſcis corruptum temporibus prava conſuetudo publico damno tenet. Non tamen uſque adeò ingenii feminini libertas atque præſtantia oppreſſa fuit, quin ſe per intervalla illuſtribus exemplis erexerit. ſed quando penitus aſſerenda? Nolo protollere ad poſteros votum meum, cùm longum nimis nimisq; incertum ſit præſumere ab aliis, quod ipſa declinem. Vos hortor & rogo, ſive nuptæ, ſive virgines eſtis, ut mecum pariter PRO LIBERTATE LITTERARUM conſpirantes, inſigne & glorioſum ſeculis facinus audeatis. Noſtræ litteræ ſunt, & jam neglectu horrent ſquallentq; ſub iniquo imperio Virorum: ſine injuria invademus, quæ noſtræ ſunt; cum laude excolemus, quæ deſertæ ſunt. Iungite animos, date dexteras; vicimus, ſi volumus, ſine cæde aut ſanguine

guine victoriam maximam, imperium Orbis, & æternæ memoriæ triumphũ habituræ. Ipſæ litteræ, jam excuſſo quaſi jugo, non tam opem, quàm tutelam noſtram implorant, non minùs infeſtæ ac infenſæ viris, quàm Tarquiniis olim Romani fuêre. Protriverant Superbi illi tyrannide populum: & noſtri hi Superbi litteras; ut neſciam profectò majora populus ille olim, an nunc litteræ paſſæ ſint. Quid litteræ? imò verò nos ipſæ, quarum communis cum litteris conditio eſt. Viris ſervivimus hactenus; quia litteræ: in contemptu & ludibrio fuimus, quia litteræ: tot injuriis agitatæ, quia litteræ. Itaque ut ipſæ nos liberæ, ſalvæ, vivæ ſimus, Litteras faciamus. Æquales enim viris ſumus, ſi facimus. DIXI.

ORATIO V.

DE VSV FRVCTVQVE LIBRORVM,

Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinalem BORROMÆVM.

MAGNA & immenſa moliri cœpit humana ſolertia, ut ſemel Naturę conditiones ſprevit. Anguſtæ terrarum plagæ viſæ; & in aliena ac negata Elementa imperium provexit: libera, ſimplex, ſobria vita erat; Leges, Artes, Delicias induxit. cùm omnia feciſſet, in ipſam quoque Leti neceſſitatem vires experta, Immortalitatem adfectavit. Quia igitur corporis animiq́ue compago & copula fato deficeret; inventæ imagines & ſigna, quibus corpus; litteræ & libri, quibus animus ſive ingenium

genium ſibi ſuperſtes eſſet atque perennaret. Sic vitæ aviditas modum invenit, quo in Poſteros natus quiſque duraret, poſt mortem tamquam mortis exſors. Quid deinde? Famæ gloriæque occaſio ingeniis nata, & faces Virtutibus ſubjectæ magnam magnorum virorum lucem memoriámque pepererunt. Alius facere digna ſcriptione, alius ſcribere facta, ſive factu digna; & ad exempla Poſteritatem provocare. Id quanto noſtro fructu, breviter, & cum laude Bibliothecæ Muſeique, ingenti quæ animo ac ſumptu inſtruis ornáſque, dicere conſtitui; imò debui, tamquam auctor æterni operis, aut certè ſuggeſtor. Vt qui iter facit, veſtigia amat: ſic qui ad Virtutem graſſatur, exempla. diſcrimine tamen iſto; quòd veſtigia, quæ recenti pede preſſa; exempla, quæ longo ævo remota. ita faciliùs veteribus cedimus, & magiſtram agnoſcimus Antiquitatem. Hæc igitur in libris viriſque exempla exhibuit; & pro exemplo libros atque viros. illos, quos ſine tœdio legeremus; hoſce,

hoſce, quos ſine invidia ſequeremur. Sic ad imitationem libros legimus, & viros in libris. Ac profectò niſi legeremus, omnis fuiſſet virorum fama, omnis Doctrinæ & Virtutis uſus. Etenim lectionis fomite viget animus, & recti honeſtique amore accenſus ſupra præſentis ævi ſocordiam ſe effert. Quid? lectionis præſidio pacis bellique negotium geritur; &, uno verbo, ſumma Reipublicæ conſtat. Miramur, fuſisq; querelis ingemiſcimus, irrepſiſſe in animos Virtutéſque ignaviam, Leges Iuſtitiámque ambitu & avaritia vacillare, vitam moréſque mortalium fœdiſſima vitiorum ſcabie deformatos: ſed cauſſæ in proclivi ſunt; quòd ſacros illos æternóſque Virtutum Magiſtros non ſolùm infra ipſas voluptatis & pecuniarum ſordes depreſſimus, ſed exilii velut acerbitate dignos, ex uſu pretióque projecimus. Magiſtri illi libri ſunt, felicioribus ſeculis, in declinantis ævi exemplum, conditi; quibus imbecillæ Naturæ errores Poſteritas corrigeret, habitúmque ipſa indueret

duceret Antiquitatis. Sed nos quidem, quantum à libris, tantum à Virtute Gloriáque receſſimus; ſine quibus cæca & prona ad voluptates mortalium vita & vota. Libros tolle; quidquid præteritum eſt, nox & oblivio involvit; quidquid futurum, error & caligo. Hæc temporis faces ſunt, quibus à præſenti circumquaque res humanas diſtinguas; & Majores ſimul Poſteróſque, velut præſentes. Circumſcriptum verò hoc ipſum lumen, etſi immenſo ambitu; circumſcriptum, ut infiniti curioſa mortalitas temporis obſtacula haberet. Extra fines ſuos Naturam quærimus, &, quaſi ad præterita aut futura nati, quid ante mille ſecula fuit, quid poſt mille ſecula erit, indagamus. Fuêre multa, etiam cùm non fuiſſe; aut aliter, quàm fuiſſe arbitramur:

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas:

& rerum artiúmque plurimarum origo ad ultimam Antiquitatis memoriam reflexa, tamen velut in crepuſculo quodam citra inventores ſuos

vacillat.

vacillat. Quin res ipſę & artes quodammodò ęternæ ſunt; ſed ſiderum inſtar, occaſum, ac denuò ortum ſuum habent. Nam & abeunt à notitia hominum, velut in oblivionem fugientes; & in lucem adſpectúmque emergunt poſtliminiò atque renaſcuntur. Scilicet prono curſu mortalia cuncta properant; & longo intervallo Oblivio ſequens, carpit à tergo memoriã & extinguit. Vt enim qui curru aut navi fertur, ambientem orbis terminum variat, motúque ſuo librat: ſic res humanæ fatali lege euntes. Horizonte, ut ita dicam, temporis clauduntur, & perenni viciſſitudine amittunt ſimul & adquirunt memoriam, dum extendunt. Quid miramur? Naturæ hæc neceſſitas eſt: benignitas tamen, quòd transferat, non contrahat temporis illud ſpatium ſive lumen. Sed quantum quantum hoc ipſum eſt, libris debetur: magnum & diffuſum, cùm magna fax librorum lucet; exiguum & contractum, cùm dubio illa radio aut adulto laborat. Primoribus illis & beatis ſeculis, cùm ſum-

mum inter homines certamen eſſet, ut Doctrinæ Virtutíſque gloriam æternitas exciperet, quanto in pretio, & numero libri fuêre! Græcos Romanóſque videamus. apud utroſque inter præcipua opera Bibliothecæ. E Græcis, ſtudium Polycratis Samii, Piſiſtrati Tyranni, Euclidis Athenienſis, Nicocratis Cyprii, Euripidis Poëtæ, Ariſtotelis Philoſophi admirêre. E Latinis verò Cæſares ipſi ſtudioſa & impendioſa cura ornare, imò munire urbem imperiúmque voluere; & *Ingenia hominum*, ut cum Plinio dicam, *rem publicam*, æternámque fecerunt. Primus Cæſar, quaſi poſt ultimam victoriarum Fortunæque felicitatem, reſtaret etiam quod ambiret, *Deſtinabat*, verba Suetonii ſunt, *Bibliothecas Græcas, & Latinas quàm maximas poſſet publicare, data M. Varroni cura comparandarum, ac dirigendarum.* Secuti, Auguſtus, Tiberius, Veſpaſianus, Trajanus, aliique: & in urbe Roma, notante P. Victore, *Bibliothecæ publicæ undetriginta* exſtiterunt. Sed hos theſauros (ô infeli-

infelicitatem !) pæne delevit ætas, diſperſis cum imperio imperii ornamentis : quorum tu reliquias (ô felicitatem !) magna & glorioſa cura colligis Illuſtriſſime & Reverendiſſime CARDINALIS; imò promis, in urbis hujus, atque adeò orbis; in ætatis hujus, atque adeò æternitatis totius, non ſpectaculum modò, ſed uſum. Agnoſcant urbs, orbis, ætas, æternitas,

Hæc opera, atque hæ ſunt generoſi Principis artes.

Quid dicam ? fugientis renovatur memoria Antiquitatis; & ipſa in rebus humanis Æternitas auxilio tuo erit, imò hactenùs videbitur fuiſſe. Curæ namque & impendii magnitudo, æquo beneficii circuitu, utramque temporis immenſitatem includens, & Poſteros è futuro in obligationem trahit, & è præterito Majores. Præclara & divina ingeniorum monumenta, quæ benignioris fati clemētia flammam publicam barbariei evaſerant, ævi inertia & iniquitate denuò periclitabantur; tu ſuccurris, & ſer-

vas; corrigis infauſta & profana tempora; ipſáſque orbe & memoria pulſas Litteras vnà cum Libris manu reducis. Litteris inquam, quia Libros. Nam ut ſine anima vitam, ſine ſanguine colorem non habemus: ita nec Litteras ſine Libris. Hinc infelici illo ævo, cùm furore quodam Barbarica ſævitia Bibliothecas demolita eſſet, facilè meliores omnes artes abolevit: ſed poſtquàm tempeſtas illa ſedata, & cura aliqua Librorum aut veneratio rediit, mox ſpirare Litteræ & vivere cœperunt. Primus tamen ille flos & vigor perierat: &, velut poſt ſonticum aliquem morbum, pallor etiam & languor; & uterque morum ac divitiarum intemperie productus. Vnde remedium, niſi ab iiſdem Libris? imò niſi à te Illuſtriſſime & Reverendiſſime CARDINALIS, quem in Sacro illo & purpureo faſtigio eminere Deus voluit, ut mortales reliqui, amotis vitæ pariter & doctrinæ ineptiis, tuo exemplo atque etam beneficio agerent, ſaperéntque ad antiquam normam. Ita loquor, tuo; & illorum

illorum quoque, qui publico titulo & præmio tui erunt, & veneranda Virtutis ſapientiæq; volumina, publicè à te dicata ſive dicanda, evolvent; imò qui ſcribent ipſi, & ingenio, voce, ſtilo, tuum, & Litterarum nomen propagabunt. In urbe tua veternoſum etiam ingeniorum ſilentium eſt, an fuit? & velut in alta melioris Doctrinæ nocte, ſomno & ſopore omnia occupata: tu aureis quadrigis diem Muſasque revehis, & purpurea Dignitatis tuæ luce bonas omnes artes circumfundis, & bonas omnes mentes. Miraris ipſe: & ſic tamen ſub adſpectu tuo ſe artes mentéſque, depulſo inertiæ jugo, attollunt erigúntque; & fauſtiſſimis Famæ auſpiciis provectæ, priſca libertatis ornamenta in nova BIBLIOTHECA, novóque MUSEO ſumunt. O & regium hoc vetúſque inſtitutum! ô ſacrum domicilium doctis ſcriptionibus, & Recitationibus exſtructum! doctis clariſque hominibus deſtinatum: Abeant igitur amuſi & obſcuri, quique tumida perſuaſione pleni jactant ſe in umbris.

Abeant inquam,& obſcurum nomen ignobilis doctrinæ latebris muniant. Pueris placere in proclivi eſt; & à rudibus plauſum ingenii quovis colore impetres. Qui doctus , qui bonus es, prodi. Prodi inquam,ut frontem animúmque magnus ille cenſor noſter inſpiciat,ille doctus,ille bonus, qui ſecuro judicio Famæ ſententiam laturus eſt,

An dignus venias Ederis, & imagine macrâ:

imò an dignus titulis præmiiſque, neglectæ aut ſpretæ quibus Litteræ vindicentur. Nihil humile aut plebeium cernis. Humilis autem ille & plebeius, quem præmium ad Virtutem, ad Litteras lucrum pellit. Et tamen præmium cum Virtute, lucrum cum Litteris Illuſtriſſimus noſter propoſuit, ut plebeia etiam ingenia excitaret; imò emendaret: ut à pueris ad viros Remp. Litterariam transferret. Nam profectò quid poteſt ineptius? pæne ad crepundia faſtus & ignavia ſeculi Muſas relegarunt. Sic merus in ludo ludus eſt; diſcitque juventus noſtra

ſtra primas artes, ut deſerat. Aliò Parentes vocant, Magiſtri ducunt, tranſvorſum ad divitiarum ſtudia & ambitionis. Sed utrique ſtultiſſimi, quòd à vera laude & Virtute avertant. Sic magnis, ſed vanis poſtquàm votis animus juvenilis intumuit, prima & cruda elementa in quæſtum confert, totus in eo,

Vt Iuris nodos & Legum Aenigmata ſolvat.

Siquis ſubductum à multitudinis errore animum, meliori cultu ornare inſtituat, & ad exemplum ævi melioris (bonæ Muſæ!) naufraga ubique ſtudia trahens, etiam inter ſuos tanquàm alienus errat. Forum ingreditur? unus è plebe eſt: curiam? cum plebe: templum? infra plebem. Iam domi niſi patrimonio lautus, videri poſſit & forum, & curiam, & templum inveniſſe.

Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit:

Sed quietem ſuam privatim, dignitatem publicè in Muſéo inveniet publicus ſimul & privatus. Hîc ſcribet quiſque, panget quiſque, altum ſecurúmque otium nactus; & ingenii ſui monumenta ſupra invidiam & malignitatem ponet. Me miſerum! quod malum nomino? tetrum, tabificum, & quod veneni ſui auram circum me exhalat. Quiſquis es frontem caſtiga ſuperciliosè, & virus linguæ purga. Non eſt Philoſophus, qui faſtu vultum ſubrigit: non eſt vir bonus, qui malè adfecti animi amaritudinem in bonos evomit. Te, & tuos noſce; meliores, doctioréſque reverere. Vtrique extra ordinem tuum, & ſupra ordinem tuum ſunt; & nunc magis erunt, cùm publico iſto Muſarum ſacramento liberam in lucem ſe diffundét. Magnum mehercle nacti ducem ſumus & auſpicem, qui illuſtri exemplo glorioſa omnis Doctrinæ & Virtutis ſigna explicuit.

----Sequimur te ſancte Deorum:
ſequimur, & priſcam Litterarum libertatem atque gloriam ſtilo vocéq; adſertum

adſertum imus, malis artibus labefactatam. Ego inter primos, Illuſtriſſime & Reverendiſſime CARDINALIS, qui primus æterni conſilii tui conſors, Bibliothecam, & Muſeum glorior promoviſſe. Sed tu nunc conatum meum fove, Viróſque junge, qui novo Honoris præmio inſigniti, ſupra plebem locati, Muſis, Famæ, tibi operentur. Sic vive, & ſceptra aliquando cape,

—quæ mundi valeant evolvere curas.

DIXI.

ORATIO VI.

DE FACILITATE Lingvæ Græcæ:

Ad Iuventutem Palatinam.

Magna inter mortales vis,&tabes opinionis eſt, humana,& divina veneno ſuo infeſtans. Nam ſi rerum naturam extra nubem contemplemur,longè diverſa, quàm ſe per vanas, falſaſq; ſpecies ingerit, conditio, & ut ita dicam, facies univerſitatis ſit. Sed mens opinione corrupta circa Deum olim luſit, in Religione, vita, ſcientiis ſectas diſtinxit: quod bonum,malum; quod malum, bonum; quod facile, difficile; quod difficile, facile perſuaſit. Hæc illa,quæ cùm mores,leges,& inprimis linguas variaverit,aut miſcuerit; Gręcam

eam illam, Diſciplinarum omnium matrem, tamquàm difficilem, moroſam, ingeniorum torturam, ex uſu communi, & pænè è Scholis ipſis, libriſq; ejecit; Vernaculis, ut ita loquar, Diſciplinis Artibuſq; contenta. Neque recens hoc malum: olim Attica illa, toto terrarum orbe civis, damnata & ejecta, vix in orbe invenit exilii locum. Nam in illo Muſarum lapſu, & rerum, ut ita dicam, Metamorphoſi, cùm meliores linguas Barbaries imminuit, Mortales, ſive novitate exotici ſermonis, ſive opinionis fuco illecti, & faſcinati, in planam, facilem, & velut exlegem loquendi rationem deſciverunt. Ita quam ſemel quiſque deſuetudine & incultu linguam ſprevit, cœpit difficilem judicare, quòd non cum ipſo materno lacte imbiberet; ſed arte & induſtria adquirere cogeretur. Quæ hominum ignava opinio, longioribus ævi fibris nixa, eouſque ſuccrevit adolevitque, ut jam quidem nihil difficilius lingua Græca judicetur. Quàm arduum ſit, tam pernitioſum & pertinacem

cem ex hominum mentibus morbum evellere, non ignoro : & tamen, ut evellam, DE FACILITATE breviter diſſerere, & optimam pulcherrimámque linguarum graviſſimo crimine liberare conſtitui. Vos, Iudices, Auditores, eſtote ; & dum cauſſam hanc diſputo , æquo animo rationes meas excipitote. Vt moribus & inſtituto: ita lingua, quæ ab inſtituto eſt, diſtincti, & ſecreti jam olim Mortales fuêre, ſicuti variè per orbem hunc terrarum ſparſi. Voluit enim quæque ſeipſam natio, eadem teſſera à reliquis ſeparare, qua univerſum genus à brutis diſtinguitur. vnde ſeptuaginta illæ duæ linguæ exſtitere, aliæ aliis magis celebres & cultæ : ut populi fuerunt. Septem præcipuæ æſtimatæ ſunt: Aſſyriorum, Arabum, Ægyptiorum, Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Dalmatarum. cúmque aliæ alias virtutes ſibi vindicent, nobilitatem, nitorem, gravitatem, volubilitatem, divinitatem; una Græca, facilitate commendatur. Vide veteres, vide noſtros, quicumque ſtudio &

indu-

induſtria cognitionem hujus linguæ nacti, quàm exiguo tempore, quàm facili negotio Græci evaſerunt? Non ſecula, non luſtra, non anni abſumpti; ſed pauculi aliquot menſes ingentem parvi laboris uſuram dederunt. Ad exempla privata cur deſcendam? Sanè niſi facilis hæc lingua, non tàm facilè in omnes ſe gentes diffudiſſet: quarum ut ſacra; ita linguam difficillimè moveas. Ingenium autem humanum pronum & præceps ad ea quæ facilia ſunt. Sed tu jam quiſquis es, & fidem verbis negas, galerum cape, ac omnes illas partes compendio mecum luſtra, quæ commercium Græcæ linguæ è Græciæ finibus circumquaque admiſerunt. Ecce Græciam magnam; ecce tot inſulas; peninſulas; & ampliſſima regna, Peloponeſum, Cyprum, Cretam, Aſiam minorem, Macedoniã, Epirum, Myſiam, Illyrium, Thraciam, Dalmatiã, Syriam, Ægyptum. Longum iter ſit, ſi ſubſiſtam in ſingulis, & ortum, progreſſum, vigorem linguæ inveſtigem. majori verborum, & ut ita dicam,

viatico

viatico opus, quàm inſtruxi; temporis, quàm accepi. Planè errandum cum Vlyſſe foret. Neque tamen uniformis aut ſimplex lingua ubique manſit; ſed Genium mutans, præcipuis ſe Græciæ populis ſingulari dialecto commendavit. atque ita vario quodam ornatu compta, velut in publicum ſe efferẽs, totum pænè orbem, non peragravit modò, ſed inſedit. Lubet vicina veſtigia legere, imò venerari, & in Gallia, Germania, Italia curſim Græciam libare. Olim quidem Celtarum ſacerdotes Iulius Cæſar lib. VI. de bello Gallico refert, *in publicis privatisq́; rationibus, Græcis litteris uſos.* Si in publicis, ſanè diffuſum & in pretio hoc idioma: ſi in privatis, familiare & in uſu erat; ſcilicet ob Facilitatem: & Gallicæ linguæ liberaliter ſe poſteà miſcuit. Iam verò Germani in cultu & uſu hanc linguam habuerũt, etiam poſtquàm imperium nacti ſunt. Quid plebem ſector? & tamen in hac fæce flos quoque Græcanicæ linguæ fuit. Illuſtria exempla proferenda ſunt: & cujus illuſtrius, quàm ipſius Imperatoris?

toris? Otho II. bello quod in Apulia cum Saracenis, Græcisq; gerebat, inſidiis interceptus, Græco ſermone hoſtem fallens, levi lytro tamquam Græcus elapſus eſt. Et in Germania non vocabula tantùm, ſed loca quàm plurima nomenclaturam Græcam reddunt. Nos verò Belgæ, qui vicini, & affines, ut ita dicam, Germanis ſumus, annon habuimus olim hanc linguam, & reliquias quoque hodiè retinemus? manifeſtas. In Italia denique ipſa Latinitatis ſede, pallium Græcanicum ſermones omnes olim veſtiebat. Publica, privata, ſeria, ludicra inſpice; invenies. Quin deliciæ ipſæ & libidines Græcæ fuêre, poſtquàm ſequior ille ſexus linguam Attico, & peregrino fuco tinxit. Iuvenalem audite:

Nam quid rancidius, quàm quòd ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt;
De Sulmonenſi mera Cecropis? omnia Græcè,
Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè,
Hoc

Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta. quid ultrà?
Concumbunt Græcè.

& paullo pòſt:

---Laſcivum intervenit illud,
Ζωὴ καὶ ψυχή. Quid cenſes, eouſque uſum Græcæ linguæ penetrare potuiſſe, niſi facilitas viam ſtraviſſet? Iam verò hæc vernacula veſtra non minùs Græca, quàm Latina eſt, ex his potiſſimùm velut elementis conflata. Ego Belga ſum, ac timidè me linguæ veſtræ arcanis miſceo: tamen linguæ cauſſa, in uno, alteróve exemplo rem noſcite. Vos purgare, *nettare* dicitis: Græci abluere, νίπτειν. Vos bellum, *guerra*; Græci arma, γέῤῥον. quid verò bellum niſi uſus & negotium armorum? Vos ſceleratum ſive improbum, *Furbo*; Græci inhumanũ, φύρβον. ſcelera autem ab inhumanitate proſiliunt. Vos verborum jactantiam, ſive minas, *Braveria*: Græci vaniloquium, Βλαςφυρίαν. Vos coactionem, & violentiam *Angheriam*: Græci pa-

ci pariter ἀγγερίαν. Sexcenta hujuſmodi ſunt, & ſcriptores veſtri adnotarunt: ut mihi quidem Græcè loqui videamini, cùm difficultatem accuſatis. Sed Facilitatem, ut Linguas omittam, Artes ipſæ & Diſciplinæ agnoverunt, quæ Græcè potiſſimùm tradi & doceri, quò ſe faciliùs humano generi inſinuarent, felicibus illis ſeculis voluerunt. Sic igitur omnium ſcientiarum coloniæ è Græcia per orbem univerſum ductæ, velut rivi ex ubere aliquo fonte: & ex hac lingua Artes, Præceptiones, & ipſa elementa omnis eruditionis copioſa ſcaturigine manarunt. Enimverò, qui difficilem hanc linguam faciunt, aut ſuperbiam ſuam oſtentant, quaſi in re magna magni; aut ignorantiam excuſant, ne in re facili rudes videantur. Quòd ſi uſus adeſſet, non minùs pueruli noſtri Græcè, quàm Latinè balbutirent. Olim quidem ita fuit, & Græca, ut Quinctilianus ſcribit, *cum Latinis non tantùm conjungebant pueri; ſed à Græ-*

cis etiam auſpicabantur. Nunc verò corrupti ſeculi vitio, aut tardè, aut numquam ad Atticos hos fontes itur. alios lucrum ad tumida neſcio quæ ſtudia, alios otium ad voluptatis præcipitia peſsùm trahit, non minùs linguæ quàm animi omni cultu deſtitutos. Etenim ſi ſepoſito opinionis onere, juſta judicii lance rem examinemus, quid grave obſecro, aut tædioſum? Rudimenta, aut præcepta? at magna ex parte cum Latinis explicantur. Quod de animis noſtris Plato, obductos corporibus reminiſci eorum, quibus multò antè divinitus fuiſſent imbuti: id Latino homini evenire dixerim Græca diſcenti; non nova ſumi, ſed reſumi vetera, & pulſa oblivionis nebula intelligi. Quid igitur grave, aut tædioſum? Mutatio, aut varietas Dialectorum? at hæc ipſa ornamenta linguæ ſunt; recreant, non fatigant; alliciunt, non abſterrent, haut aliter quàm in dubia cœna ad nova fercula ſe feſſa deliciis gula laxat.

laxat. Quemadmodum in pictura varietas colorum oblectat oculos; cùm tamen difficiliùs uno colore pingamus: ita linguam ipſam Dialectis diſtinctam, ſuaviorem; deſtitutam ſimplicémque, difficiliorem experiare. In exemplum linguam Latinam vocemus. Quid igitur? facilis iſta; an difficilis? profectò difficilis. Simplex, an varia? profectò ſimplex, æqualis, uniformis. Non igitur in varietate difficultas eſt. Sed fortaſſis ad Pronunciationem ducor. Ego verò hanc qua utor, & ad quam hortor, veterem Græcæ linguæ Pronunciationem aio facillimam & ſuaviſſimam fuiſſe, & jam eſſe poſſe, ſi corruptelam, ſuperioribus ſeculis natam, deſeramus. Nam quæ per Deum iſta ratio eſt, in unius jôta exilem & femineum ſonum tot vocalium & diphthongorum varietates intrudere? ε & αι confundere? omnia obſcuritate & amphiboliis implere? Audacter dico, defeciſſe pulcherrimæ

linguæ uſum, poſtquàm nova iſta & adulterina pronunciatio introducta. Nunc enim ſi Græcè loquimur, ne peritus quidem intelligat; ſi docemus, imperitus planè non capiat; ut mutam mortuámque linguam jure dixeris, ad ſolius lectionis ſilentium redactam. Rejice has nebulas, & veram veterémque pronunciationem admitte, ut Facilitatem invenias. An fortaſſis copia impedire, aut onerare ingenium cujuſpiam poſſit, & illa diffuſa tot vocabulorum ſupellex? Sed tamen copiam & divitias nemo ſpernit: & linguæ, ut auri, divitiæ quædam ſunt. Longè latéque vocabulorum rivi ſparſi; ſed qui ad principia & fontes ſuos facillimo compendio reducantur; paucis præceptis colligantur. Etiam differo? Similis hæc lingua inſtrumentis quibuſdam videtur, quæ laxata & expanſa machinam efficiunt, compacta & commiſſa minuuntur. Itaque ejicite ex animis de Difficultate opinionem; & in hac Scho-

Schola quaſi per ludum & otium Litteras Græcas diſcite; quibus ad ſolidam, & numeris omnibus abſolutam eruditionem conſcendatis. In hac inquam Schola, quæ deſtinatum huic muneri Profeſſorem accepit, utinam eruditum & exercitatum! cui honorem hunc habete, ne à ſolis puerulis audiatur. Majores quidem veſtri non Latino tantùm, ſed Attico etiam lepore imbui voluerunt; ut perfectæ eruditionis & ſimul famæ exemplum vobis relinquerent, quod affectaretis. An fortaſſis poſt receſſum illorum, faciem Natura mutavit, & in veterem linguam nova difficultas irrepſit? Noſtra ingenia neſcio quæ ſocordia occupavit, ut ne attollere quidem deſiderium ad honeſta & egregia poſſimus; aut ſi conamur, falſa difficultatis opinione deterriti concidamus. Ego voveo pura aut purgata mente ſimus; & fugientes ex Italia Linguas, Muſáſque, aura, ſtudio, induſtria retineamus. Quod ſi irritum hoc vo-

tum meum erit; ſequar ipſe aliquando Linguas Muſáſque, & in beata Patria, inter dulces veróſque Amicos, extra ſtrepitum & invidiam, *Lare ſecretò* & tranquillo utar. DIXI.

ORA-

ORATIO VII.

PRO RAPHAELE MONTORPHANO,

Cancellarii apud Magiſtratum Extraordinarium munus PETENTE:

Ad Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Comitem Fontanum, *Gubernatorem Provinciæ.*

BONI Oratoris officium eſt, Civem bonum bono Principi commendare. Benignitas verò & Prudentia boni principis, Civem bonum Munere, aut Dignitate publicum facere,atque habere. Nihil enim tranquillum æquè

ac florentem Reipublicæ ſtatum præſtat, quàm recta adminiſtratio; ut non bonus ille tantùm qui regit ſive gubernat; ſed illi etiam per quos gubernat. Quia verò & ipſe Princeps homo eſt, nec præſens eſſe ubique poteſt, plura in Republica munia ſunt; & majoris pænè momenti quæ minora, ac vicina plebi; ne commixtione & communione populari inquinentur. Nam qui gradu Principi vicini ſunt, & eminent, niſi Natura, Metu boni ſunt; quia ſub oculis Principis, & velut manu. Qui verò inferiori linea ſedent, & remoti à primo ſolio, delinquunt faciliùs, niſi arbitrum animum metuant. Quid miramur? in cælis fit: & citimi iſti minoréſque orbes à primo motu deflectunt maximè, & natura ſua feruntur. In Republica tamen qui Ingenio recto eſt, rectum ubique curſum tenet, ſcilicet ubique in Republica. Tantum eſt, ad Rempublicam, præſertim inferiorem, Bonos promoveri. Itaque cùm apud *Magiſtratum Extraordinarium*, morte CÆSARIS REI-

NALDI, *Officium Cancellarij Confiſcationum*, & *Aquarum* vacet, Virúmque vocet, qui animo pariter, & ingenio bonus ſit, induſtria & peritia promptus, planè talem RAPHAELEM MONTORPHANUM Novocomenſem, ſiſtere Excellentiæ tuæ, & ducere in petitionis, ut ita dicam, circum auſus ſum; ut is, & commendatione mea adjutus, & benignitate tua provectus, inter Candidatos *Nominaretur*: candidus ipſe moribus, vita & ingenio modeſtus, animo ab Ambitione, & Avaritia omni alienus. Fidem publicæ Famæ appello; & his de cauſſis amare pridem Virum hunc cœpi, conſuetudine ac familiaritate ejus uti. Amare inquam, & ſic commendare; cùm juſtum humanitatis officium Amori debeam, & juſto Amori. In Amico igitur me ipſe repræſento, in me amicum; ut benignitatis tuæ adfectum non in meum tantùm excipiam, ſed in Amici quoque ſinum. Scio FONTEM tuum felici ſcaturigine perennem eſſe, & libavi. perennem; ſed ſi quis ore puro liba-

ro libaverit, & animo puro. Nam bonis bonus & facilis eſt: & ſicuti è Plinii ſententia, *nigræ lanarum nullum colorem bibunt*; ſic neque nigræ mentes beneficentiæ tuæ capaces ſunt. Hac benigna Severitate, & ſevera Benignitate, ſepulta tenebris, aut oppreſſa egeſtate virtus, ad lucem præmiúmque provehitur; & in Conſiliis, Tribunalibus, Subſelliis conſpicua, exemplo pariter, & terrori eſt. Etenim ut in cælo aſtra, nunc benigno, nunc minaci vultu lucent ac radiant; ſed à Sole: ita qui dignitatis aliquo ſplendòre in oculis populi ſunt, & officio funguntur Palatino, à tua imagine mores accipiunt, rationémque Prudentiæ atque Iuſtitiæ à tuo Virtutum omnium FONTE, velut rivum ducunt. Annon & mei judicii ſuffragiique hæc cenſura? Ego doceo publicè, ſcribo, & Philoſophor: & ſic mores quoque publicos recto & Philoſophico ſupercilio inſpicio ac noto, imò & privatos, ut publicos faciam: ut producam ſcilicet & commendem Principi, atque

pi, atque Famæ, ſi integri & incorrupti ſunt; premam aut inſecter, ſi pravi & infecti. Pravos quidem in multis (urbium naturali deliquio fit,) integros quoque in multis repperi; id eſt, ſentes tribulóſque in magno & felici campo. Inter flores autem fragrante Naturæ aura flos mihi MONTORPHANVS fuit, vir ad Humanitatem, Fidem, Sedulitatem, omnémque Virtutem factus; Patriæ, atque Regi natus. His in publicum dotibus provectus, laudabilem utrique operam Manu Ingenióque navavit. Nam & ſcripſit olim in *Grammatophylacio Sanctiore*, cùm *Actuarij* titulum accepiſſet: & Regio poſteà Diplomate, tamquàm præmio promotus, apud *Magiſtratum Extraordinarium* toto decennio *Adjutoris Antigraphiæ Officium in Re Frumentaria* diligenter & cum laude functus eſt; ut non minùs Integritate quàm Induſtria majorem Dignitatis gradum promeruiſſe videatur. Etenim viri boni, vitiíſque popularibus defæcati, pauci admodum ſunt; ideóque

ideóque ſovendi & promovendi, qui ſunt: ſed gradatim, & per rectam, aut certè vicinam lineam honorum. Nam qui ſaltu, atque etiam tranſverſum ſcandunt, in novo munere aut Rudes, aut Superbi ſunt, cum damno atque dedecore Reipublicæ Principiſque. Cum damno, dum mentem inuſitato labore onerant: cum dedecore, dum inſolito honore inflant atque tumefaciunt. MONTORPHANVS verò non minùs modeſtus, quàm accuratus & diligens, apud eumdem Magiſtratum obit munus, & ambit. Honeſtè obit, modeſtè ambit. Ambit inquam munus, loco vicinum, dignitate proximum, functione congruum, denique bonorum omnium votis huic potiſſimùm deſtinatum. Quæ cùm ita ſint, te rogo & obteſtor Illuſtriſſime & Excellentiſſime PRINCEPS, publicæ Felicitatis cauſſa, quæ magna ex parte à muneribus publicis pendet; & privatæ Amicitiæ cauſſa, qua ob ſolam Virtutem MONTORPHANO junctus ſum: rogo inquam & obteſtor, uti virum

rum omnibus ornamentis digniſſimum, voce ſuffragióque tuo inter Candidatos referas, viámque ad novum hoc munus aperias, quod fide, integritate, induſtria, ſedulitate univerſo Civitatis conſenſu meretur. Ego in illum certè finem rogo & obteſtor, ut bono officio conſuluiſſe Reipublicæ videar, & viro bono, viro amico benefeciſſe. DIXI.

ORA-

ORATIO VIII.

DE L. IVLIO FLORO, DEQ. TITVLO AC MVNERE meo Hiſtoriographico:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad S. P. Q. Mediolanenſem.

INTER honoris titulos publicum Profeſſoris munus antiquitùs fuiſſe, Auditores, memoriæ & monumenta veterum liquidè teſtantur: ſed nunc pænè deſiiſſe, cum maximo virtutis ac litterarum detrimento experimur. Eò enim morum vitio & ſeculi ventum, ut indignum ingenuo homine videatur, cultum ingenii profiteri; illiberale, liberalibus artibus vacare. Quæ infelicitas, ſic enim appellanda eſt, hanc inprimis urbem (cogor dicere) illam rerum bonarum olim matrem; & in

& in urbe hanc inprimis Scholam, illam tot Profeſſorum, tam inſignis antiquitatis gloria nobilem, premit; quando, quãdo removenda? Ego quidem quãta ope adniſus fuerim, Schola fateri cœpit, poſtquàm de RHETORIBUS Dixi; ſed urbs tamen, quaſi altiore litterarum torpore merſa, ſenſiſſe non videtur. Mirum profectò & pænè ridiculum, ſtudiorum amorem in Scholam reducere: magnum ac difficile, in urbem. Illud tamquàm Profeſſor conatus ſum: ad hoc novæ à novo aliquo titulo vires auctoritatis neceſſariæ erant. quo autem titulo? HISTORIOGRAPHI. Sic igitur, quaſi plenè Scholam illuſtraſſem, Hiſtoriographi munus accepi, ut urbem & rempubl. univerſam illuſtrarem: & quaſi ad ſcribendam Hiſtoriam promoveri alius non debuiſſet, niſi qui jam promotus ad Eloquentiæ profeſſionem, locum ejus ſedémque exornaſſet. Itaque dignius auguſtiúſque Hiſtoriæ quàm Eloquentię munus; ac mihi quidem ad provocandam Famam aptius, cùm ſcribendi laudem

mea

mea ipſius induſtria univerſam obtineam; docendi gloria ab aliorum judicio aut opinione dependeat. Quæ ſcripturus ſum, doctorum omnium, ſeculi, & poſteritatis judicio ſtabunt: quæ doceo, privatorum quorumdam ſive imperitæ, ſive malignæ cenſuræ ſubjecta ſunt. Imperitū enim ac maligmum eſt, ſine fructu vocem publicam dicere, quia pauci ſunt, qui audiunt. An verò ideò ſine fructu? nego, ut nemo infelicem arborem dixerit, quia pauci decerpunt; ſed ſi nihil ipſa produxerit. An verò pauci? pariter nego. Ite, & inite numerum, qui à ſolo numero Profeſſoris induſtriam doctrinámque æſtimatis: ite & Ticinum, Patavium, Bononiam, reliquáque Italiæ Gymnaſia conferte. Illa vidi, ſtatum luſtravi, & in meo mihi velut regno quodam florere viſus ſum. Non à pueris, ſed à viris audior, illis, qui jam publicis titulis ac honoribus donati ſunt: & ut porrò audiar, votum & cura mea eſt. Vos illi (adeſtis enim,) Vos inquam, prænoſcite quid facturus ſim, ut libèter adſitis

adſitis. ego quidem rectè facturus, ſi & ſcribam quæ ſcripta non ſunt; & explicem quæ ſcripta: ita ſcribendo Hiſtoriographi, explicando Profeſſoris munus impleturus. Quid igitur? Hiſtoriam ad Eloquentiam convertam. pars enim Eloquentię Hiſtoria eſt; nec Hiſtoricus bonus niſi qui & Orator: vt ad perfectum Oratorem Hiſtoriarum cognitio neceſſaria eſt. Quare ut doceam quod ſcripturus ſum, Hiſtoriam aggrediar. ad hujus enim lectionem ſi ſeriò auditorum animos convertero, fiet ut ipſe aliquando legar. Dixi Hiſtoriam, ſed Romanam, id eſt, *non unius populi, ſed generis humani facta*: Romanam, in quâ pacis, militiæ, religionis, diſciplinæ exempla frequentiſſima ſunt; Denique Romanam, ævo proximam, magnitudine primam, viris virtutibuſque fœcundiſſimam, famâ æternam: quam ordine & accuratè, *ut cœperit, ut adoleverit, ut quaſi ad quemdam juventæ florem pervenerit, vt poſteà velut conſenuerit,* evolvam. Ad hanc rem, dubius, quem potiſſimùm au-

ctorem è priſcis illis adhiberem; meo potiùs ingenio, quàm mori communi morem gerens, Livio Florum præpoſui, preſſum illum quidem, ſed tamen accuratum & virilem, qui paucis lineis res ingentes comprehendens, perfectam hiſtoriam compendio quodam ſermonis, nullo diſpendio veritatis condidit. Planè ut ſpecula quædam minuta, ſed convexa totum hominem exiguo orbe repræſentant: ita hic ſcriptor exiguo libro univerſam rem Romanam. Fecit enim quod ſolent qui terrarum ſitus pingunt; & totam magnitudinis Romanæ imaginem amplexus eſt. Quidquid voluit, ſtilo expreſſit, & eo modo quo voluit: ut neſcias narrando doceat, an docendo narret, qui utrobique delectat. Sed Florum quid ultrà commendo, cùm nomen ipſum pro encomio ſit? Florida ſcriptio eſt, floridum argumentum, uno verbo, auctor ipſe Florus: non ille quidem in manibus juventutis: dignus tamen qui ſit. at nec in Schola hac expoſitus: quid refert? dignus qui exponatur, dignus qui

qui inter reliquos illos togati ac palliati ordinis ſit, quorum, jure litterarum, communis hæc ſedes. Vt Pantheon Romæ omnium Deorum templum erat: ita Schola Mediolani bonorum omnium ſcriptorum ſit; quorum auxilio & ope Antiquitas illuſtretur. Etenim ſcientiæ & auctores ipſi eodem jure cenſendi ſunt. ut autem ſcientiarum vinclum quoddam & nexus eſt: ita auctorum, quorum diſcretæ & diſtinctæ quidem claſſes ſunt, ipſi tamen conjuncti. Quid igitur eſt? Ex Oratorum numero Demoſthenem aut Ciceronem alius introducit? è Poëtarum, Homerum, aut Virgilium? ex Hiſtoricorum, Thucydidem, aut Livium? Ego Oratores, Themiſtium, Plinium, alioſque habeo: Poëtas, Pindarum, Horatium, & plures: Hiſtoricos, Polybium, Salluſtium, & ut uno omnes complectar, hunc meum Florum. Florum inquam; nec Hiſtoriæ tantùm, ſed ſtili ſive eloquii cauſſa. Vos autem, Auditores, etſi ad eloquium, inprimis

tamen ad Hiſtoriam voco. Vos in-
quam meos. nam multos illos, qui ad
fabellas nugasque fori ac trivii ruunt,
alieni juris ac jugi eſſe patior. Pati-
or, quia nec per ætatem ad Hiſtoriæ
amorem provecti ſunt; nec per inge-
nium unquam provehentur. et-
ſi enim ambitione quadam in ſcien-
tiarum omnium orbem propellun-
tur, tantum abeſt ut Hiſtoriæ uſu æta-
tem prævertant, vt etiam pueri ma-
neant poſt ætatem. Hauriunt levi-
ter ex illo πολιτείας fonte, ſed crudo ve-
lut ſtomacho, nullo antiquitatis præ-
guſtu, nullâ amœnioris eruditionis
promulſide initiati. Hinc quidquid
audiunt, ad movendam dumtaxat
nauſeam litterarum audiunt, otio,
ineptiis, vanitate pleni. Sed morem
illi malo, ſive imperio, ſive ingenio
gerant. Vos mei mihi, qui eâ ætate
& prudentia eſtis, ut intelligatis quæ
voluptas in Hiſtoria, quis fructus: eo
affectu & pietate in Patriam, ut pri-
ſcam Patriæ gloriam, id eſt, Scholam,
velitis reſtitui, ævi & hominum ini-
quitate convulſam. Ego verò non
minùs

minùs pietatem veſtram promotam cupio, quàm vos Patriam: ſed quod Profeſſor præſtare hactenus non potui, Hiſtoriographus potero. Vos autem ſi ob Profeſſoris titulum anteà me amaſtis & audiſtis, ob Hiſtoriographi honorem ampliùs amabitis, libentiùs audietis. Hactenus enim formare dignos Repub. & famâ ſtudui, qui me audiverunt: deinceps deſcribere quales formavi. Magnum igitur, regiumq; HISTORIOGRAPHI hoc munus. Cur magnum? quia hinc rerum geſtarum memoria, & urbis gloria dependet; umbris & tenebris invidæ oblivionis opprimenda, niſi Hiſtoriæ face illuſtretur. Cur regium? quia ab ipſo Rege noſtro illo orbis & ſeculi bono nato, qui magno animo, felici ſceptro, maximi & feliciſſimi imperii populos regit, collatum. Collatum inquam, etſi meo magis, an urbis bono neſciam. Meo quidem, cùm jam impleſſe incerta mihi vota videar, & machinas omnes petulantis calumniæ perrupiſſe. Etenim à primis ſemper ſtudiis

quamvis ad alia me munia Parentes & Patria ſibi deſtinarent, operam tamen dedi, ut, bono ducente Genio, veſtigia illius ſequerer, qui ad Hiſtoriç & vitæ tranquillitatem ſeculo hoc noſtro pervenit. Quis ille? exſpectatis fortaſſis ut divitem aut opulentum aliquem nominem: at vera felicitas à divitiis ſecreta eſt. aliquem civilium honorum faſtu plenum? at vera felicitas curarum ambitione non diſtracta eſt. Quem igitur? modeſtum, ſedatum, & MORIBVS ANTIQVIS hominem, IVSTVM LIPSIVM. Hic ille, meus doctor, & meus ductor, quem velut Cynoſuram in hoc ſtudiorum curſu & votorum æſtu ſemper reſpexi; nec aberravi. Hic ille, qui optimis me artibus imbuit, qui ut ſimilem ſui efficeret, ita mihi linguam inſtruxit, ut docere; ita ſtilum, ut ſcribere ipſe poſſem. Facio utrumque, & jam, præfiſcinè dixerim, ſimilis aliquo modo ſum; quòd publicè, quòd feliciter faciam. Ille Profeſſor, jam diſcipulum Profeſſorem; ille Hiſtoriographus, jam

jam diſcipulum talem habet, ſuo pariter & meo honore inſignis, cùm eoſdē titulos bis jam meruiſſe, in ſe, & deinde in me videatur. Quidquid ſum, ipſe eſt: atque hoc ipſum honori ejus & famę totum adjicitur, quidquid ipſe acquiro. De me ſic breviter: Vrbis autem bono HISTORIOGRAPHI munus datum eſſe, ipſa aliquando Poſteritas agnoſcet. Quid enim? in tanto populo, in tantis rebus ſilentium Hiſtoriæ eſſe, quo damno cenſeatur? eſſe qui benè faciant Reip. qui ſcribant deeſſe? Lacedæmonii olim illi ἄμȣσοι ſacra tamen Muſis faciebant litabantq; ante pugnam, ſolius Hiſtoriæ ac famæ cauſſa. Mediolanenſibus verò, qui non minùs litterarum quàm armorum gloria floruerunt, quanti Muſæ eſſe debent, quæ ſolæ ad Hiſtoriæ & Famæ æternitatem ducunt? Sed quòd nomen veſtrū ducent, Regi, & poſt Regem Principi VELASQVIO, illi ſeculi Muſagetę adſcribendum eſt; cùm hujus ille inſtinctu & conſilio beare urbē voluerit, honorare Hiſtoria publicas virtutes, atque adeò ſcelera caſtigare.

Magnum virtutis præmium, magna ſceleris pœna eſt, quòd ſciantur: ſic ad virtutem quiſque exſurgit, dum præmium; à ſcelere deterretur, dum paratam pœnam offendit: & formidini ſcriptor malis eſt, dum occulta & involuta ſilentio malefacta revelat, ut à poſteritate damnentur: gaudio verò & gloriæ bonis eſt, dum acta omnia bona in lucem ponit, ut publico teſtimonio ad exemplum provehantur. Recenſere autem tam ſcelera, ſed illa publica, quàm virtutes Hiſtoricus debet: Scelera, ut pœnam oſtendat quâ punita ſunt, aut ſi id non poteſt, ſcribendo ipſe pœnam infligat aculeo ſeveri ſtili. Adde quòd recenſere debet, ut damnet, ut exemplo ab exemplo abſterreat. De Virtutibus non dico, quæ per exempla diſcendæ ſunt: exempla verò nemo fert, niſi quæ ævo & antiquitate commendantur. nam quod rectè olim factum, ad imitationem admittimus: quod rectè fit, invidia removemus. Sed exempla vetera eſſe non poſſunt, niſi in Hiſtoriam olim condita ſint, & ab

& ab illo penu pura puta depromantur. Vtile igitur hoc munus, ſed vobis; imò glorioſum hoc munus, ſed vobis. Tribuit enim Rex urbi veſtræ rerum geſtarum gloriam, quòd ſcriptorem deſignat: & hoc ipſo ſe amare urbem oſtendit, cujus famam propagat & diffundit. Tribuit etiam mihi hunc honorem, ut honeſtiſſimo præmio conductus ſcribam & celebrem quæ gerenda ſunt: quaſi jam ſciat digna omnia hiſtoria & poſteritate fore quæ gerentur. At enim potuiſſet à privato, privato labore publica Hiſtoria condi. potuiſſet quidem; ſed ſine præmio rarus quiſque ſtilum pro Repub. movet. Differt etiam, ſuo an publico remigio rem ſcriptor gerat; cùm publico rectiùs, ſive auxilii, ſive fidei cauſſa: ſuo difficilem aut fabuloſam ſcriptionem faciat. Quæ ſi ita ſunt, æſtimate novum hoc, ſed publicum munus, quo ipſa gloria veſtra æſtimatur; æſtimate inquam, ne imperitiæ aut impietatis objice Patriæ Fama retardetur. Imperitus enim eſt, quiſquis

non agnoſcit publicum hîc negotium geri; aut neſcit quid publicum ſit. Impius verò in Regem & Rempublicam. Deſpicere enim beneficentiam Regis videtur, qui hoc munus: cùm ille ut æſtimaretur dederit; & hæc majus nihil magísve æternum accipere potuerit. Nec eſt quòd ſibi quaſi ab extero quid præreptũ quiſpiam queratur, cùm Hiſtoriographi titulum nemo ne per ſomnium quidem petivit aut cupivit; auctor ego ſum, ego petitor, ideoq; extra invidiam, quòd primus publica auctoritate ſcripturus ſum. Ego obibo munus, quod ante me nemo obivit, alii poſt me obibunt. illis enim omnibus, qui ſcripturi poſt me ſunt, impetraſſe munus videor, quod petii, ut poſt me duraret. Itaque beneficium à Rege accepi, ſed Civitati dedi: & ut ſibi me Rex obſtrictum: ſic ego Civitatem mihi habeo, omnéſque eos, qui meo iſto titulo Civitatem aliquando illuſtrabunt. Regis enim liberalitate Hiſtoriographum Civitas ſine ſuo ſumptu habet, & mea opera plures

hoc

hoc honore cenſebuntur quo donatus ſum. Quid ampliùs diſſero? cui vile hoc munus, malo mentis morbo virtuti inimicus eſt; quaſi, cùm nihil ipſe dignum Hiſtoria gerat, ne aliorum facta in Hiſtoriam referantur, Hiſtoriam damnet. Nigræ & inquinatæ mentes ſunt, quæ famam horrent, ideoq; Hiſtoriam; cùm hæc una, velut ævi ſcena, priorum ſive virtutes ſive etiam ſcelera poſteritati repræſentet. Sed contineant ſe illi ſilentii & ſecreti latebris, ac in occulto ſint. Vos, qui legi aliquando & eſſe in Hiſtoria vultis, audite, & cognoſcite hiſtoriam, ut qua gloria priſci illi legantur, ac legendi ipſi ſitis, cognoſcatis. Ampliùs incitare quemquam nolo, ut audiar, ſed complecti & celebrare illos à quibus audior. Plures ſunt, qui ad vana & ignava abſtracti, Scholam Litteraſq; fugiunt. Ego hos vocem? offendo, quia invitos voco: & offendor ipſe, ſi vocem, nec obtineam. Tantum voveo, ne ad paucos Eloquentiæ & Hiſtoriarum amor rediiſſe videatur. DIXI.

ORA-

ORATIO IX.

IVVENTVTIS

BELGICÆ

LAVDATIO,

In quâ melioris Naturæ ac Diſciplinæ imago.

NEMO tam compoſito aut ſevero mentis habitu, Muſarum ANTISTITES, Muſarum ALVMNI, ut Conſtantiam illam Sapientis ex formulâ tueatur. Homines ſumus, non ſcopuli; & illiſione rerum fortuitarum movemur. Etenim in omni vita fluctus ſunt, & adſtrepentes adfectuum auræ. Rigemus aut diffluimus mortales, ad quemcumque rerum adſpectum. Res proſperæ ac ſerenæ? gaudio peccat animus. adverſæ & fuſcæ? dolore. Confuſa quaſi temperie pectoris, aut frigore corripi-

corripimur, cùm ſe Fortuna ſubduxit; aut æſtu, cùm adfulſit. Vtroque hoc adfectu (hominem me quoque profiteor) in novo hoc munere circumfuſus, trepidantis, & ſimul geſtientis vocis initium formo. Commoveri enim & quati animum ſentio, hinc lætitiæ ſenſu, quòd in magni æternique Viri veſtigia poſitus, dicendi docendíque honorem uſurpem: iſthinc mœſtitiæ, quòd in extincti. Quippe tam affligit obitus Viri, quem diurnare oportuit, nequis ſuccederet; quàm delectat ſucceſſio, (ſi tamen hæc ſucceſſio eſt) cùm adoptare Philologiæ Interpretem Sereniſſimi PRINCIPES, Ampliſſimíque ORDINES voluerint; ut in Diſcipulo jam docere videretur qui obiit. Sic igitur, neque indulgere doloris voto licet, auſpicali muneris pompæ intento; neque ex ſententia auſpicari munus, renovata ægritudine ſaucio. Sed in hac jam pugna vincet, aut arcebit dolorem lætitiæ incrementum, ne, quod coivit Academiæ vulnus, præpoſteræ pietatis

culpa

culpa recrudeſcat. Ad publicam faciem, meam componam, dum in publico; reverſurus ad meam, cùm liberum adfectum quies & ſolitudo admittent. Vt cæli imaginem quiſque ſumit, nubilo nunc animo, nunc ſereno: ſic ego Scholę. Itaque cùm, pulſa nuperi mœroris nube, facies urbis & Academiæ niteat, & ab ingenti luctu ſudum ſit; leni orationis aura renaſcentem Muſarum amœnitatem mulcere, in veteri Muſarum hoc loco, conabor; &, ut ſupereſſe videatur qui obiit, in Iuventute Doctorem meum complectar. Publicus ille ingeniorum formator fuit, id eſt parens, Geniúmque morum in vos, ó IVVENES, docendo transfudit. Vt Parens in Liberis; ſic in Diſcipulis Magiſter, poſtquam vixit, vivit. Itaque, ſi Diſcipuli; Liberi quoque eſtis, imò ſupereſtis, eidem & Magiſtro & Parenti. Inter utrumque ingens ſimilitudo, & velut paritas. Hic ut Filios, ſic ille Diſcipulos habet. Filii boni, Patri Diſcipuli ſunt; Diſcipuli boni, Magi-
ſtro

ſtro Filii. Malè Filios Pater genuit, niſi educet ac erudiat; & Diſcipulos adoptare ſibi in Filios Magiſter videtur, quos docet. Sic, vero verbo, Patres, primi Filiorum Magiſtri ſunt; Magiſtri, ſecundi Patres. Quid ergo eſt? Amiſiſtis Virum, quem inſtaurare ne ipſa quidem Natura poſſit: ſed tamen exprimitis. Imò habetis: & ſic, tanti nominis fama corruſcante, ingenii mei facula accenſa, ſterili radio laboret neceſſum eſt. Lucet ille; audebo ſublucére: præceſſit ille; audebo ſequi. neque ideò fugienda via, quòd imparia veſtigia erunt: quamquam minutioribus veniam ad metam. Anteceſſores in hac palæſtra habuit, ut & ſucceſſores haberet: & tamen poſt tantum Virum docere, non famæ tantùm dixerim præmium, ſed felicitatis. Alius aliquis poſt me, & ex hoc numero, in hoc loco, ut NANNI VALERIQUE exemplo relinquam diſcipulos, qui doceant. Ego profectò alieno profectu univerſum laboris mei pretium metiar; & bonus Profeſſor ero, ſi qui

me

me audient, boni, imò quia boni. Præclara hæc veſtra, ô IVVENES, in contracto vocis compendio Laus; ſed mea felicitas, quòd Laudare poſſim, quos Docere aggredior, priuſquam Doceam. unde nec Docere ſuſtineo, niſi priùs Laudem: etſi Laudare non poſſum, niſi unà Doceam. Recenſendi *Mores*, deſcribenda *Indoles, Pudor, Modeſtia, Induſtria, Docilitas*, reliquæque illæ felicium ingeniorum dotes, quibus Honor applaudit. Exemplum promitur, cùm Encomium; bonisque in rebus LAVDATIO, ceu Monitio eſt. Vt qui caſtigat pravum ruentis animi impetum, prodeſt: ita qui honeſtum illum, & ſe erigentis, ſtimulat. nec minori fructu virtutes extuleris, quàm vitia repreſſeris: cùm facere boni haveant quæ Laudantur, mali trepident. Vos, ſi boni, Laude digni; nec inviti audietis quæ facitis. Ego quidem, ut faciam bonos, adſcitus ad publicum hoc Munus ſum. Quid ergo? ſi Laudo bonos, non feciſſe quandoque, ſed accepiſſe videar. Acce-

perim:

petim: addet tamen & mea aliquid cura, ne tantùm acceperim. Recta indoles, ſi non corrigitur, certè dirigitur & diſtincti virtutis gradus ſunt. Limen aditúmque ſi quis Naturæ ductu ſubierit, Doctrinæ & Sapientiæ opus auxilio, ut penetret ac ſcandat. Facit natura bonos, Diſciplina perficit; & quemadmodum corpus, tametſi formoſum, ornamenta admittit: ita ingenium. hujus enim & forma quædam eſt, ſive venuſtas, benignæ Naturæ opus; & ornamentum, accedentis Diſciplinæ. Ego verò & Naturam, & Diſciplinam IVVENTVTIS BELGICÆ ſimplici LAVDATIONE complectar, Ipſe Belga. Oſtendam me Amare quos Laudo, majori etiam ſtudio Docturus, quia Amo: quippe Amorem docentis Induſtria comitatur; atque Iuventus ipſa lubentiùs audit imitatúrque, à quo amari ſe intelligit. Priùs igitur commonſtrare Amorem meum volui, quàm Eruditionem; Laudare Iuventutem, quàm Formare. Hæc enim ipſa LAVDATIO agni-

tio beneficii videtur,quo auctus ornatusq; ſum. Extollo Munus meum quia Iuventutem; PRINCIPES, ORDINESQ. Patriæ, quia Munus: atque ipſa adeò Iuventutis Laus in utroſq; illos redundat. Sed de Munere magis dico: Docere egregium eſſe, ſi dignitatem cenſeas, magis ſi pietatem. Alienos docere,dignitas eſt:ſuos,hoc verò pietas. Vos ego, ô IVVENES, magno Muſarum ſacramento MEOS ſcribo: & ſic nunc tamquam Veſter audiri cupio, hoc etiam benigniùs, quia de Vobis dicturus. Ita enim rei neceſſitas exigere videbatur, ut quibus deſtinatum Munus eſſet, muneris quoque Auſpicium deſtinaretur. FLOREM VITÆ, IVVENTAM rectè dixerim: Veteres, *Bonam Aetatem*; cujus non iiſdem ſemper finibus ſpatium terminatur: contrahitur, cùm plures & diſtincti gradus; producitur, cùm pauciores. Quiſque ſuo more & modo: mihi Romuli exemplum placeat, qui in *Iuniores* & *Seniores* populum ſuum diſtinxit. Semiſſem vitæ iſti habeant, & hi ſemiſſem: niſi tamen

men in aſſem Iuniorum nomen admittamus. ſi mores adſunt, in omni ætate ſenes ſumus; & majores ætate, ſi majora molimur. Animi, non anni ætatem faciunt; & cùm vigorem ſenectus habet, ſolo nomine tanquam *mala* mulctatur. Itaque maturam Virtûtem in Iuventute laudare mihi liceat: ſed Spem Indolémque, liberrimo adfectu. illam Pueritiæ, hanc Adoleſcentiæ propriam velut notam. Mitto Natales; Belgę enim omnes ſumus; mitto incunabula & crepuſcula Rationis; rudes enim omnes iiſdem Naturæ initiis fuimus; à ſurgentis pueritiæ flore ordior, & prima pudoris purpura, qua anni prætextati commendantur. Vt à matutina cæli facie reliquum diem conjicimus: ſic à puerili verecundia reliquam vitam. Belgis innatus hic color, pari pæne initio vitæ & virtutis. Pallere vultus noſtri neſciunt, puri & ſereni ſemper, ab animo puro ac ſereno. Naturam ſequimur, nec abducimur: Vrget illa clementi freno indolem pueri, facilíque

imperio meliorem viam flectit Rationis. Accedunt rectæ Inſtitutionis ſtimuli, ut vel ſevera lege cogatur proficere, ſiquis reluctetur. Sed hoc rarum, aut certè alienum eſt. Primis annis ad Litteras & Virtutem duci puer debet: ſed cavendum, ne refractario gradu. ſi fit, aut mora, aut lapſus eſt. pergit ipſe, & properat ſua ſponte, Pudor cui ductor eſt, Labor, cui doctor. Hæc prima magiſtri cura ſit, ut puer velit proficere: volet autem, ſi pudoris freno noxium indolis impetum frangat; volet, ſi Spartana quadam Diſciplina imbutus, honeſta ambiat, & vereri majorem natu ac revereri geſtiat. Facit noſter, & pulcherrimo virtutis colore modeſtiam innatam temperat, Pudore ipſo venuſtus. Sic ſe prodit ſanguis, & ſimul animus, ad id feſtinans, quod feciſſe delectet; id fugiens, quod feciſſe pudeat. Trahit honeſti amor, ſi quid cum laude; deterret inhoneſti pudor, ſi quid cum turpitudine aggrediendum. Verecundia igitur prima Iuventutis noſtræ laus

laus eſt; cui adjuncta amabilis morum Simplicitas, animorum Ingenuitas: hæc Prudentiæ, illa Virtutis mater, cùm Vſus acceſſerit. Etenim ingenium, ante annos ſollers cautúmque, in malitiam abit; cùm, mutato Naturæ ordine, puer ſenex eſt; ſenex autem ad pueri mores revertitur. Vt roſei quidam colores recenti opere ac arte belli ac vivi ſunt, cum ſenio expalleſcunt: ſic & ingenia præcoci vigore matura ac florida, tandem exſiccantur ac deficiunt. Atque tum cautiſſimo fuco velanda vitia ſunt, vita reliqua ſimulationi paranda. habet enim aperta pravitas odium; & in hoc prudens ſaltem peccatum, quòd ſciat ſe contemni. Prudens inquam, ſed infelix. Torquet enim aſſidua obſervatio ſui, & anxiè ſermo vultúſque componendi, ut animus lateat. *Nunquam curâ ſolvimur,* ait Seneca, *ubi toties nos æſtimari putamus, quoties adſpici. nam & multa incidunt, quæ invitos denudent, & ut benè cedat tanta ſui diligentia, non tamen jucunda vita aut ſecura eſt, ſemper ſub perſona vi-*

 ventium.

ventium. At illa (ex eodem addam) *quantum habet voluptatis ſincera & per ſe ornata ſimplicitas, nihil obtendens moribus ſuis!* Sic naſcimur, ſic adoleſcimus Belgę, ſatiúſque judicamus *ſimplicitate contemni, quàm perpetuâ ſimulatione torqueri.* Puer igitur puer ſit, ſimplici animo, molli fronte, modeſto affatu; ut cùm adoleverit, non prudens tantùm, ſed bonus ſit. Nam ut ætatis, ſic animi quoſdam gradus melior natura fecit, ac vires virtuti doctrinæq; paulatim ſubminiſtrat, ne in ipſo vitæ primordio vitam perfectã cenſeremus. Quorſum Pædagogus, quorſum Doctor, & Schola, niſi ut Ingenii defectum Inſtitutio corrigat, pulſa matutinâ naſcentis vitę nube. Hoc ipſum monet imbecillam ac fluctuantem Prudentiam eſſe, quam non didiceris. A primo hoc ſimplicitatis rudimento, reliquam Iuventutis Laudem cenſeamus. Ante omnia, purus ſimplexq; animus religione imbutus, rerum arbitrum Deum agnoſcit: ritus & ſacra Majorum colit: ut verbo dicam, Virtutum omnium fundamentum

tum ipſum Numen eſt, & hinc ſemina conſtantis & incorruptæ Pietatis. Sed non in ſolo numine numen colitur: Dei aliquam partem Parentes, aliquam Præceptores habent: Deumque veneratur, qui Parentes atque Præceptores. certè, erga utroſque pia Iuventus noſtra eſt. Parentes ſancto quodam obſequio colit; Præceptores, tamquam Parentes, Magnam indolem industria alit, & in ratione ſtudiorum violare ludi leges, tamquam fori crimen. Triplici quiſque cura urgetur: ut quæ diſcit, intelligat; ut retineat; denique, ut ad uſum promat: quorum iſtud Ingenii, illud Memoriæ, hoc Iudicii opus; ſed non ſine Exercitatione. Naturæ dotes cùm intenderis, valent. Ingenium cole, & quæ legis, clara erunt; Memoriam, & hærebunt; Iudicium, & ad uſum ſervient: uſum autem Oris, atque Stili. Loqui, & ſimul ſcribere pulchrum eſt. conatur utrumque noſter ille puer,

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

 O amo-

ORATIO IX.

IVVENTVTIS

BELGICÆ LAVDATIO,

In quâ melioris Naturæ ac Diſciplinæ imago.

NEMO tam compoſito aut ſevero mentis habitu, Muſarum ANTISTITES, Muſarum ALVMNI, ut Conſtantiam illam Sapientis ex formulâ tueatur. Homines ſumus, non ſcopuli; & illiſione rerum fortuitarum movemur. Etenim in omni vita fluctus ſunt, & adſtrepentes adfectuum auræ. Rigemus aut diffluimus mortales, ad quemcumque rerum adſpectum. Res proſperæ ac ſerenæ? gaudio peccat animus. adverſæ & fuſcæ? dolore. Confuſa quaſi temperie pectoris, aut frigore corripi-

corripimur, cùm ſe Fortuna ſubduxit; aut æſtu, cùm adfulſit. Vtroque hoc adfectu (hominem me quoque profiteor) in novo hoc munere circumfuſus, trepidantis, & ſimul geſtientis vocis initium formo. Commoveri enim & quati animum ſentio, hinc lætitiæ ſenſu, quòd in magni æternique Viri veſtigia poſitus, dicendi docendique honorem uſurpem: iſthinc mœſtitiæ, quòd in extincti. Quippe tam affligit obitus Viri, quem diurnare oportuit, nequis ſuccederet; quàm delectat ſucceſſio, (ſi tamen hæc ſucceſſio eſt) cùm adoptare Philologiæ Interpretem Sereniſſimi PRINCIPES, Ampliſſimique ORDINES voluerint; ut in Diſcipulo jam docere videretur qui obiit. Sic igitur, neque indulgere doloris voto licet, auſpicali muneris pompæ intento; neque ex ſententia auſpicari munus, renovata ægritudine ſaucio. Sed in hac jam pugna vincet, aut arcebit dolorem lætitiæ incrementum, ne, quod coivit Academiæ vulnus, præpoſteræ pietatis

culpa

culpa recrudeſcat. Ad publicam faciem, meam componam, dum in publico; reverſurus ad meam, cùm liberum adfectum quies & ſolitudo admittent. Vt cæli imaginem quiſque ſumit, nubilo nunc animo, nunc ſereno: ſic ego Scholę. Itaque cùm, pulſa nuperi mœroris nube, facies urbis & Academiæ niteat, & ab ingenti luctu ſudum ſit; leni orationis aura renaſcentem Muſarum amœnitatem mulcere, in veteri Muſarum hoc loco, conabor; &, ut ſupereſſe videatur qui obiit, in Iuventute Doctorem meum complectar. Publicus ille ingeniorum formator fuit, id eſt parens, Geniúmque morum in vos, ô IVVENES, docendo transfudit. Vt Parens in Liberis; ſic in Diſcipulis Magiſter, poſtquam vixit, vivit. Itaque, ſi Diſcipuli; Liberi quoque eſtis, imò ſupereſtis, eidem & Magiſtro & Parenti. Inter utrumque ingens ſimilitudo, & velut paritas. Hic ut Filios, ſic ille Diſcipulos habet. Filii boni, Patri Diſcipuli ſunt; Diſcipuli boni, Magi-
ſtro

ſtro Filii. Malè Filios Pater genuit, niſi educet ac erudiat; & Diſcipulos adoptare ſibi in Filios Magiſter videtur, quos docet. Sic, vero verbo, Patres, primi Filiorum Magiſtri ſunt; Magiſtri, ſecundi Patres. Quid ergo eſt? Amiſiſtis Virum, quem inſtaurare ne ipſa quidem Natura poſſit: ſed tamen exprimitis. Imò habetis: & ſic, tanti nominis fama corruſcante, ingenii mei facula accenſa, ſterili radio laboret neceſſum eſt. Lucet ille; audebo ſublucere: præceſſit ille; audebo ſequi. neque ideò fugienda via, quòd imparia veſtigia erunt: quamquam minutioribus veniam ad metam. Anteceſſores in hac palæſtra habuit, ut & ſucceſſores haberet: & tamen poſt tantum Virum docere, non famæ tantùm dixerim præmium, ſed felicitatis. Alius aliquis poſt me, & ex hoc numero, in hoc loco, ut NANNI VALERIQUE exemplo relinquam diſcipulos, qui doceant. Ego profectò alieno profectu univerſum laboris mei pretium metiar; & bonus Profeſſor ero, ſi qui

me

me audient, boni, imò quia boni. Præclara hæc veſtra, ô IVVENES, in contracto vocis compendio Laus; ſed mea felicitas, quòd Laudare poſſim, quos Docere aggredior, priuſquam Doceam. unde nec Docere ſuſtineo, niſi priùs Laudem: etſi Laudare non poſſum, niſi unà Doceam. Recenſendi *Mores*, deſcribenda *Indoles, Pudor, Modeſtia, Induſtria, Docilitas*, reliquæque illæ felicium ingeniorum dotes, quibus Honor applaudit. Exemplum promitur, cùm Encomium; bonisque in rebus LAVDATIO, ceu Monitio eſt. Vt qui caſtigat pravum ruentis animi impetum, prodeſt: ita qui honeſtum illum, & ſe erigentis, ſtimulat. nec minori fructu virtutes extuleris, quàm vitia repreſſeris: cùm facere boni haveant quæ Laudantur, mali trepident. Vos, ſi boni, Laude digni; nec inviti audietis quæ facitis. Ego quidem, ut faciam bonos, adſcitus ad publicum hoc Munus ſum. Quid ergo? ſi Laudo bonos, non feciſſe quandoque, ſed accepiſſe videar. Acce-

perim:

perim: addet tamen & mea aliquid cura, ne tantùm acceperim. Recta indoles, ſi non corrigitur, certè dirigitur & diſtincti virtutis gradus ſunt. Limen aditúmque ſi quis Naturæ ductu ſubierit, Doctrinæ & Sapientiæ opus auxilio, ut penetret ac ſcandat. Facit natura bonos, Diſciplina perficit; & quemadmodum corpus, tametſi formoſum, ornamenta admittit: ita ingenium. hujus enim & forma quædam eſt, ſive venuſtas, benignæ Naturæ opus; & ornamentum, accedentis Diſciplinæ. Ego verò & Naturam, & Diſciplinam IVVENTVTIS BELGICÆ ſimplici LAVDATIONE complectar, Ipſe Belga. Oſtendam me Amare quos Laudo, majori etiam ſtudio Docturus, quia Amo: quippe Amorem docentis Induſtria comitatur; atque Iuventus ipſa lubentiùs audit imitatúrque, à quo amari ſe intelligit. Priùs igitur commonſtrare Amorem meum volui, quàm Eruditionem; Laudare Iuventutem, quàm Formare. Hæc enim ipſa LAVDATIO agni-

tio beneficii videtur, quo auctus ornatusq; ſum. Extollo Munus meum, quia Iuventutem; PRINCIPES, ORDINESQ. Patriæ, quia Munus: atque ipſa adeò Iuventutis Laus in utrôſq; illos redundat. Sed de Munere magis dico: Docere egregium eſſe, ſi dignitatem cenſeas, magis ſi pietatem. Alienos docere, dignitas eſt: ſuos, hoc verò pietas. Vos ego, ô IUVENES, magno Muſarum ſacramento MEOS ſcribo: & ſic nunc tamquam Veſter audiri cupio, hoc etiam benigniùs, quia de Vobis dicturus. Ita enim rei neceſſitas exigere videbatur, ut quibus deſtinatum Munus eſſet, muneris quoque Auſpicium deſtinaretur. FLOREM VITÆ, IUVENTAM rectè dixerim: Veteres, *Bonam Aetatem*; cujus non iiſdem ſemper finibus ſpatium terminatur: contrahitur, cùm plures & diſtincti gradus; producitur, cùm pauciores. Quiſque ſuo more & modo: mihi Romuli exemplum placeat, qui in *Iuniores* & *Seniores* populum ſuum diſtinxit. Semiſſem vitæ iſti habeant, & hi ſemiſſem: niſi tamen

men in aſſem Iuniorum nomen admittamus. ſi mores adſunt, in omni ætate ſenes ſumus;& majores ætate,ſi majora molimur. Animi,non anni ætatem faciunt; & cùm vigorem ſenectus habet, ſolo nomine tanquam *mala* mulctatur. Itaque maturam Virtûtem in Iuventute laudare mihi liceat:ſed Spem Indolémque, liberrimo adfectu. illam Pueritiæ, hanc Adoleſcentiæ propriam, velut notam. Mitto Natales; Belgę enim omnes ſumus; mitto incunabula & crepuſcula Rationis; rudes enim omnes iiſdem Naturæ initiis fuimus; à ſurgentis pueritiæ flore ordior, & prima pudoris purpura, qua anni prætextati commendantur. Vt à matutina cæli facie reliquum diem conjicimus: ſic à puerili verecundia reliquam vitam. Belgis innatus hic color, pari pæne initio vitæ & virtutis. Pallere vultus noſtri neſciunt, puri & ſereni ſemper, ab animo puro ac ſereno. Naturam ſequimur, nec abducimur: Vrget illa clementi freno indolem pueri, facilíque

ventium. *At illa* (ex eodem addam) *quantum habet voluptatis ſincera & per ſe ornata ſimplicitas, nihil obtendens moribus ſuis!* Sic naſcimur, ſic adoleſcimus Belgę, ſatiúſque judicamus *ſimplicitate contemni, quàm perpetuâ ſimulatione torqueri.* Puer igitur puer ſit, ſimplici animo, molli fronte, modeſto affatu; ut cùm adoleverit, non prudens tantùm, ſed bonus ſit. Nam ut ætatis, ſic animi quoſdam gradus melior natura fecit, ac vires virtuti doctrinæq; paulatim ſubminiſtrat, ne in ipſo vitæ primordio vitam perfectă cenſeremus. Quorſum Pædagogus, quorſum Doctor, & Schola, niſi ut Ingenii defectum Inſtitutio corrigat, pulſa matutinâ naſcentis vitę nube. Hoc ipſum monet imbecillam ac fluctuantem Prudentiam eſſe, quam non didiceris. A primo hoc ſimplicitatis rudimento, reliquam Iuventutis Laudem cenſeamus. Ante omnia, purus ſimplexq; animus religione imbutus, rerum arbitrum Deum agnoſcit: ritus & ſacra Majorum colit: ut verbo dicam, Virtutum omnium fundamentum

tum

tum ipſum Numen eſt, & hinc ſemina conſtantis & incorruptæ Pietatis. Sed non in ſolo numine numen colitur: Dei aliquam partem Parentes, aliquam Præceptores habent: Deumque veneratur, qui Parentes atque Præceptores. certè, erga utroſque pia Iuventus noſtra eſt. Parentes ſancto quodam obſequio colit; Præceptores, tamquam Parentes. Magnam indolem industria alit, & in ratione ſtudiorum violare ludi leges, tamquam fori crimen. Triplici quiſque cura urgetur: ut quæ diſcit, intelligat; ut retineat; denique, ut ad uſum promat: quorum iſtud Ingenii, illud Memoriæ, hoc Iudicii opus; ſed non ſine Exercitatione. Naturæ dotes cùm intenderis, valent. Ingenium cole, & quæ legis, clara erunt; Memoriam, & hærebunt; Iudicium, & ad uſum ſervient: uſum autem Oris, atque Stili. Loqui, & ſimul ſcribere pulchrum eſt. conatur utrumque noſter ille puer,

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

O amorem ſtudiorum! Quæcumque à Præceptore præſcripta, facit, & quæ non præſcripta; cumque præcipuam diei partem in ludo tranſegit, domi tamen exerceri ludum putat. Diviſæ ad formulam horæ, viciſſitudine quadam lectionis atque ſcriptionis: & quaſi diurno labore expleri diſcendi cupiditas non poſſit, noctes, violatis ſomni induciis, adſumuntur. Ardor ille bonæ mentis ultra concubium producit lucubrationes, ante diluculum reſumit. Omne perire tempus videtur, quod Litteris non impenditur. Sic, collectis quiſque neceſſaria quiete viribus, ſtratum linquit, & tamquam ſomni violentia divulſus à libris, ad relictum pridiani operis penſum feſtinat. Mox matutino Phœbi numine plenus, nunc carmen, nunc orationem pangit, & collecta Auroræ purpura, etiam philoſophari audet, & vitæ cottidie initia cum ipſo die auſpicatur. Hic domeſticæ diſciplinæ fructus eſt, dum paterni imperii vinclis pueri coërcentur: Quis Scholarum, cùm, laxata ſeveritate

ſeveritate, in publicam lucem & conſpectum itur? Bonæ Muſæ: quantum ſilentii decus, induſtriæ ſpecimen, morum obſequium! ut domi, ſic in ſchola ſunt: in foro, ut in ſchola. ubicumque ſunt, putes ſub parentum aut præceptorum oculis verſari. Vtrique iſti, cùm boni, ad bona ducunt; & quos ducunt, reddunt quoque bonos. ô magnam, ô perfectam Laudem; & quam non ſolam ſola tamen ſibi Belgica vindicat! Diogenes Cynicus olim rogatus, quâ in parte Græciæ viros vidiſſet Bonos, *Viros*, ait, *nuſquam: ſed Lacedæmone Pueros vidi.* At video ego, (de Europa ſi quis quærat) in Belgica: nec pueros dicam, ſed planè, planè viros. Etenim ut à fonte rivus, à ſtirpe frutex: ſic à prima Inſtitutione reliqua vita. Pueros niſi bonos haberemus, neque viros haberemus. Quam in partem novellam plantam flexeris, adulta inclinabit: pariter omnino ingenium eſt; bonum, ſi in bona ætate cœperit. *Frangas enim citiùs quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt.*

----Adeò in teneris conſueſcere multum eſt.
Apud alios quàm mollis educatio! quàm ſoluta diſciplina!

----priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attigas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cùm patrem adeas poſtulatu, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuriâ.
Provocatur pædagogus: ehò ſenex minimi pretii!
Ne attigas puerum iſta cauſsâ, quando fecit ſtrenuè.
It magiſter, quaſi lucerna uncto expretus linteo.

Iam in publico ſuos ſibi ſibilos ineptiaſque habeant, quicumque vera & ſevera Diſciplina ſoluti; imò plaudant, & petulanti murmure Profeſſoris conatum infeſtent. nos Scholam, Scholam ſcimus; cùm docemur, tranquilli, velut in ſacra & plena numinis quadã æde. Apud alios alibi (removete exemplum ô IVVENES) quanto obſtrepentium tumultu ſubſellia æſtu-

æſtuant, pulpita laborant, & vox dicentis frangitur! tot ploſiones, contuſiones, acclamationes, ut Scholam ſcænam dixeris, aut caveam mimicæ voluptatis. Invitus dico: in ludo velut ludus Doctor eſt, & quiſquis acceſſerit, collectum petulantis animi pruritum inter audiendum ſolvit. Hic nimirum projectæ ſemel verecundiæ fructus, ut, confuſa ratione, audaciam rudia adhuc ſcelera inveniant; nec ſub ullam honeſti aut inhoneſti diſtinctionem ſuas auctor actiones mittat.

--Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?

Quidquid libido ſuggeſſerit, licere exiſtimatur; & ſic peccandi licentiam conſuetudo, conſuetudinem impunitas ſequitur. Parùm eſſet perturbari Scholarum quietem, ſi hiſce terminis ætatis morbus coërceretur: in forum erumpens curiamq; , bonos omnes mores exulcerat, & bonas omnes leges. Quid enim? cauſſarum fiunt patroni, ſi Dîs placet, aut judices, quibus

quibus Iuſtitia peregrina. Tota aut Dignitas utroſque facit, & excitatum corruptæ indolis æſtum, non modeſtia aut innocentià, ſed avaritia & ambitio compeſcunt, fallaciis & morum quodam fuco. Scilicet arte & aſtu vivendum in Repub. & ſumenda Lycurgi facies, ut ſub velo peccetur. Boni quidem ubique ſunt; ſed Philoſophi verbo, *Plures mali.* Inter Belgas verò etiam mali ſunt; ſed, vero elogio, *Plures boni.* Si dicere liceat, Mali illi hoc agunt, ut quales eſſe deberent, videantur: nos, ut quales ſumus: Modeſtiæ & decoris ſtudium magis quàm nomen profitemur. Quaſi ad Catonis exemplum (verba Salluſtii uſurpabo) *non diuitiis cum divite, nec factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentiâ certamus, eſſe quàm videri boni malumus.* Omnino *eſſe*, atque id à prima ætate, cùm ſimplex adhuc indoles & Modeſtiæ candidata. Sed & nos profectò homines ſumus, id eſt, non omnes Boni. Qui non, communem Patriæ laudem non obfuſcant.

Terram

Terram vide; inter bonas fruges & ſalutares herbarum ſuccos, ſentes tribuliq; naturali incremento ſurgunt. Cælum vide; in illuſtri tot ſiderum choro, infeſto aliqua & infauſto radio ſcintillant. Genus humanum divinum facimus, ſi vitiis liberum, & omni naturæ morbo. Quid ergo eſt? generoſam indolem indulgentia parentum otio ſolvit & exhaurit; vacuúmque deinde animum etiam leviſſimæ adfectuum auræ abripiunt mergúntque. Sententiam Quinctiliani audiamus: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris crepit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. antè palatum eorum, quàm os inſtituimus. In lecticis creſcunt. ſi terram attigerint, è manibus utrimque ſuſtinentium pendent. Gaudemus ſiquid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis riſu & oſculo excipimus.* Ab hoc fonte reliquus vitæ morumq; morbus; imò infelicitas ævi, dum educationis vitio

pudor

me audient, boni, imò quia boni. Præclara hæc veſtra, ô IVVENES, in contracto vocis compendio Laus; ſed mea felicitas, quòd Laudare poſſim, quos Docere aggredior, priuſquam Doceam. unde nec Docere ſuſtineo, niſi priùs Laudem: etſi Laudare non poſſum, niſi unà Doceam. Recenſendi *Mores*, deſcribenda *Indoles*, *Pudor*, *Modeſtia*, *Induſtria*, *Docilitas*, reliquæque illæ felicium ingeniorum dotes, quibus Honor applaudit. Exemplum promitur, cùm Encomium; bonisque in rebus LAVDATIO, ceu Monitio eſt. Vt qui caſtigat pravum ruentis animi impetum, prodeſt: ita qui honeſtum illum, & ſe erigentis, ſtimulat. nec minori fructu virtutes extuleris, quàm vitia repreſſeris: cùm facere boni haveant quæ Laudantur, mali trepident. Vos, ſi boni, Laude digni; nec inviti audietis quæ facitis. Ego quidem, ut faciam bonos, adſcitus ad publicum hoc Munus ſum. Quid ergo? ſi Laudo bonos, non feciſſe quandoque, ſed accepiſſe videar. Acce-

perim:

perim: addet tamen & mea aliquid cura, ne tantùm acceperim. Recta indoles, ſi non corrigitur, certè dirigitur & diſtincti virtutis gradus ſunt. Limen aditúmque ſi quis Naturæ ductu ſubierit, Doctrinæ & Sapientiæ opus auxilio, ut penetret ac ſcandat. Facit natura bonos, Diſciplina perficit; & quemadmodum corpus, tametſi formoſum, ornamenta admittit: ita ingenium. hujus enim & forma quædam eſt, ſive venuſtas, benignæ Naturæ opus; & ornamentum, accedentis Diſciplinæ. Ego verò & Naturam, & Diſciplinam IVVENTVTIS BELGICÆ ſimplici LAVDATIONE complectar, Ipſe Belga. Oſtendam me Amare quos Laudo, majori etiam ſtudio Docturus, quia Amo: quippe Amorem docentis Induſtria comitatur; atque Iuventus ipſa lubentiùs audit imitatúrque, à quo amari ſe intelligit. Priùs igitur commonſtrare Amorem meum volui, quàm Eruditionem; Laudare Iuventutem, quàm Formare. Hæc enim ipſa LAVDATIO agni-

tio beneficii videtur, quo auctus ornatusq; ſum. Extollo Munus meum, quia Iuventutem; PRINCIPES, ORDINESQ. Pátriæ, quia Munus: atque ipſa adeò Iuventutis Laus in utróſq; illos redundat. Sed de Munere magis dico: Docere egregium eſſe, ſi dignitatem cenſeas, magis ſi pietatem. Alienos docere, dignitas eſt: ſuos, hoc verò pietas. Vos ego, ô IVVENES, magno Muſarum ſacramento MEOS ſcribo: & ſic nunc tamquam Veſter audiri cupio, hoc etiam benigniùs, quia de Vobis dicturus. Ita enim rei neceſſitas exigere videbatur, ut quibus deſtinatum Munus eſſet, muneris quoque Auſpicium deſtinaretur. FLOREM VITÆ, IVVENTAM rectè dixerim: Veteres, *Bonam Aetatem*; cujus non iiſdem ſemper finibus ſpatium terminatur: contrahitur, cùm plures & diſtincti gradus; producitur, cùm pauciores. Quiſque ſuo more & modo: mihi Romuli exemplum placeat, qui in *Iuniores* & *Seniores* populum ſuum diſtinxit. Semiſſem vitæ iſti habeant, & hi ſemiſſem: niſi tamen

men in aſſem Iuniorum nomen admittamus. ſi mores adſunt, in omni ætate ſenes ſumus;& majores ætate,ſi majora molimur. Animi,non anni ætatem faciunt; & cùm vigorem ſenectus habet, ſolo nomine tanquam *mala* mulctatur. Itaque maturam Virtûtem in Iuventute laudare mihi liceat:ſed Spem Indolémque,liberrimo adfectu. illam Pueritiæ, hanc Adoleſcentiæ propriam velut notam. Mitto Natales; Belgę enim omnes ſumus; mitto incunabula & crepuſcula Rationis;rudes enim omnes iiſdem Naturæ initiis fuimus; à ſurgentis pueritiæ flore ordior,& prima pudoris purpura, qua anni prætextati commendantur. Vt à matutina cæli facie reliquum diem conjicimus: ſic à puerili verecundia reliquam vitam. Belgis innatus hic color,pari pæne initio vitæ & virtutis. Pallere vultus noſtri neſciunt, puri & ſereni ſemper, ab animo puro ac ſereno. Naturam ſequimur, nec abducimur. Vrget illa clementi freno indolem pueri, facilique

 impe-

imperio meliorem viam flectit Rationis. Accedunt rectæ Inſtitutionis ſtimuli, ut vel ſevera lege cogatur proficere, ſiquis reluctetur. Sed hoc rarum, aut certè alienum eſt. Primis annis ad Litteras & Virtutem duci puer debet: ſed cavendum, ne refractario gradu. ſi fit, aut mora, aut lapſus eſt. pergit ipſe, & properat ſua ſponte, Pudor cui ductor eſt, Labor, cui doctor. Hæc prima magiſtri cura ſit, ut puer velit proficere: volet autem, ſi pudoris freno noxium indolis impetum frangat; volet, ſi Spartana quadam Diſciplina imbutus, honeſta ambiat, & vereri majorem natu ac revereri geſtiat. Facit noſter, & pulcherrimo virtutis colore modeſtiam innatam temperat, Pudore ipſo venuſtus. Sic ſe prodit ſanguis, & ſimul animus, ad id feſtinans, quod feciſſe delectet; id fugiens, quod feciſſe pudeat. Trahit honeſti amor, ſi quid cum laude; deterret inhoneſti pudor, ſi quid cum turpitudine aggrediendum. Verecundia igitur prima Iuventutis noſtræ

laus

laus eſt; cui adjuncta amabilis morum Simplicitas, animorum Ingenuitas: hæc Prudentiæ, illa Virtutis mater, cùm Vſus acceſſerit. Etenim ingenium, ante annos ſollers cautúmque, in malitiam abit; cùm, mutato Naturæ ordine, puer ſenex eſt; ſenex autem ad pueri mores revertitur. Vt roſei quidam colores recenti opere ac arte belli ac vivi ſunt, cum ſenio expalleſcunt: ſic & ingenia præcoci vigore matura ac florida, tamdem exſiccantur ac deficiunt. Atque tum cautiſſimo fuco velanda vitia ſunt, vita reliqua ſimulationi paranda. habet enim aperta pravitas odium; & in hoc prudens ſaltem peccatum, quòd ſciat ſe contemni. Prudens inquam, ſed infelix. Torquet enim aſſidua obſervatio ſui, & anxiè ſermo vultúſque componendi, ut animus lateat. *Nunquam curâ ſolvimur,* ait Seneca, *ubi toties nos æſtimari putamus, quoties adſpici. nam & multa incidunt, quæ invitos denudent, & ut benè cedat tanta ſui diligentia, non tamen jucunda vita aut ſecura eſt, ſemper ſub perſona viventium.*

tum ipſum Numen eſt, & hinc ſemina conſtantis & incorruptæ Pietatis. Sed non in ſolo numine numen colitur: Dei aliquam partem Parentes, aliquam Præceptores habent: Deumque veneratur, qui Parentes atque Præceptores. certè, erga utroſque pia Iuventus noſtra eſt. Parentes ſancto quodam obſequio colit; Præceptores, tamquam Parentes. Magnam indolem induſtria alit, & in ratione ſtudiorum violare ludi leges, tamquam fori crimen. Triplici quiſque cura urgetur: ut quæ diſcit, intelligat; ut retineat; denique, ut ad uſum promat: quorum iſtud Ingenii, illud Memoriæ, hoc Iudicii opus; ſed non ſine Exercitatione. Naturæ dotes cùm intenderis, valent. Ingenium cole, & quæ legis, clara erunt; Memoriam, & hærebunt; Iudicium, & ad uſum ſervient: uſum autem Oris, atque Stili. Loqui, & ſimul ſcribere pulchrum eſt. conatur utrumque noſter ille puer,

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

O amorem ſtudiorum! Quæcumque à Præceptore præſcripta, facit, & quæ non præſcripta; cumque præcipuam diei partem in ludo tranſegit, domi tamen exerceri ludum putat. Diviſæ ad formulam horæ, viciſſitudine quadam lectionis atque ſcriptionis: & quaſi diurno labore expleri diſcendi cupiditas non poſſit, noctes, violatis ſomni induciis, adſumuntur. Ardor ille bonæ mentis ultra concubium producit lucubrationes, ante diluculum reſumit. Omne perire tempus videtur, quod Litteris non impenditur. Sic, collectis quiſque neceſſaria quiete viribus, ſtratum linquit, & tamquam ſomni violentia divulſus à libris, ad relictum pridiani operis penſum feſtinat. Mox matutino Phœbi numine plenus, nunc carmen, nunc orationem pangit, & collecta Auroræ purpura, etiam philoſophari audet, & vitæ cottidie initia cum ipſo die auſpicatur. Hic domeſticæ diſciplinæ fructus eſt, dum paterni imperii vinclis pueri coërcentur: Quis Scholarum, cùm, laxata

ſeveritate

ſeveritate, in publicam lucem & conſpectum itur? Bonæ Muſæ: quantum ſilentii decus, induſtriæ ſpecimen, morum obſequium! ut domi, ſic in ſchola ſunt: in foro, ut in ſchola. ubicumque ſunt, putes ſub parentum aut præceptorum oculis verſari. Vtrique iſti, cùm boni, ad bona ducunt; & quos ducunt, reddunt quoque bonos. ô magnam, ô perfectam Laudem; & quam non ſolam ſola tamen ſibi Belgica vindicat! Diogenes Cynicus olim rogatus, quâ in parte Græciæ viros vidiſſet Bonos, *Viros*, ait, *nuſquam: ſed Lacedæmone Pueros vidi.* At video ego, (de Europa ſi quis quærat) in Belgica: nec pueros dicam, ſed planè, planè viros. Etenim ut à fonte rivus, à ſtirpe frutex: ſic à prima Inſtitutione reliqua vita. Pueros niſi bonos haberemus, neque viros haberemus. Quam in partem novellam plantam flexeris, adulta inclinabit: pariter omnino ingenium eſt; bonum, ſi in bona ætate cœperit. *Frangas enim citiùs quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt.*

----Adeò in teneris conſueſcere multum eſt.
Apud alios quàm mollis educatio! quàm ſoluta diſciplina!

----priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attigas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cùm patrem adeas poſtulatu, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuriâ.
Provocatur pædagogus: ehò ſenex minimi pretii!
Ne attigas puerum iſta cauſsâ, quando fecit ſtrenuè.
It magiſter, quaſi lucerna uncto expretus linteo.

Iam in publico ſuos ſibi ſibilos ineptiasque habeant, quicumque vera & ſevera Diſciplina ſoluti; imò plaudant, & petulanti murmure Profeſſoris conatum infeſtent. nos Scholam, Scholam ſcimus; cùm docemur, tranquilli, velut in ſacra & plena numinis quadā æde. Apud alios alibi (removete exemplum ô IVVENES) quanto obſtrepentium tumultu ſubſellia æſtu-

æſtuant, pulpita laborant, & vox dicentis frangitur! tot ploſiones,contuſiones, acclamationes, ut Scholam ſcænam dixeris, aut caveam mimicæ voluptatis. Invitus dico: in ludo velut ludus Doctor eſt, & quiſquis acceſſerit, collectum petulantis animi pruritum inter audiendum ſolvit. Hic nimirum projectæ ſemel verecundiæ fructus, ut, confuſa ratione, audaciam rudia adhuc ſcelera inveniant; nec ſub ullam honeſti aut inhoneſti diſtinctionem ſuas auctor actiones mittat.

-- Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?

Quidquid libido ſuggeſſerit, licere exiſtimatur; & ſic peccandi licentiam conſuetudo, conſuetudinem impunitas ſequitur. Parùm eſſet perturbari Scholarum quietem, ſi hiſce terminis ætatis morbus coërceretur: in forum erumpens curiamq;, bonos omnes mores exulcerat, & bonas omnes leges. Quid enim? cauſſarum fiunt patroni, ſi Dîs placet, aut judices, quibus

quibus Iuſtitia peregrina. Tota aut Dignitas utroſque facit, & excitatum corruptæ indolis æſtum, non modeſtia aut innocentiâ, ſed avaritia & ambitio compeſcunt, fallaciis & morum quodam fuco. Scilicet arte & aſtu vivendum in Repub. & ſumenda Lycurgi facies, ut ſub velo peccetur. Boni quidem ubique ſunt; ſed Philoſophi verbo, *Plures mali.* Inter Belgas verò etiam mali ſunt; ſed, vero elogio, *Plures boni.* Si dicere liceat, Mali illi hoc agunt, ut quales eſſe deberent, videantur: nos, ut quales ſumus. Modeſtiæ & decoris ſtudium magis quàm nomen profitemur. Quaſi ad Catonis exemplum (verba Salluſtii uſurpabo) *non diuitiis cum divite, nec factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentiâ certamus, eſſe quàm videri boni malumus.* Omnino *eſſe*, atque id à prima ætate, cùm ſimplex adhuc indoles & Modeſtiæ candidata. Sed & nos profectò homines ſumus, id eſt, non omnes Boni. Qui non, communem Patriæ laudem non obfuſcant.

Terram

Terram vide; inter bonas fruges & ſalutares herbarum ſuccos, ſentes tribuliq; naturali incremento ſurgunt. Cælum vide; in illuſtri tot ſiderum choro, infeſto aliqua & infauſto radio ſcintillant. Genus humanum divinum facimus, ſi vitiis liberum, & omni naturæ morbo. Quid ergo eſt? generoſam indolem indulgentia parentum otio ſolvit & exhaurit; vacuúmque deinde animum etiam leviſſimæ adfectuum auræ abripiunt mergúntque. Sententiam Quinctiliani audiamus: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris crepit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. antè palatum eorum, quàm os inſtituimus. In lecticis creſcunt. ſi terram attigerint, è manibus utrimque ſuſtinentium pendent. Gaudemus ſiquid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis riſu & oſculo excipimus.* Ab hoc fonte reliquus vitæ morumq; morbus; imò infelicitas ævi, dum educationis vitio

pudor

pudor omnis puerorum defluit, & primi ſtatim anni fraude, & fuco, & divitiarum præmaturo deſiderio acuuntur. Sic verò Iuventus innatum modeſtiæ decus deſerit, malíſque artibus ad lucrum pariter, otiumq́; feſtinat. Sed huc parentes ferè ducunt; ſtulti, imò verò mali, quòd vaniſſimo voto felicitatis metam divitias ſtatuunt; otium, divitiarum. Impunè dixerim: Pauci boni, qui divites. quippe hi tales otio faſcinati, meliorem omnem cultum projiciunt extra ætatis fines. Quid recti, quid ardui molitur, cui plena manu otium Fortuna adfudit? Torpor, ſtupor, omnéque animi dedecus ſegnes delicatosq́; circumfluit; dum per inertiam vitia ſe inſinuant, & adhærent. Primùm, nemo non ignarus, qui ignavus; quia otioſam mentem bonæ omnes artes fugiunt. Deinde ſpoliatus vitæ cultu animus, ſceleribus ſuccumbit. Scelera igitur ab otio ſunt, ſed otioſo: à divitiis otium, ſed otioſis; cùm ad ſolum luxum convertuntur. Dignitatem hominis non à fortuna Sapiens, ſed

ſed ab animo metitur. Bonum aliquem vides? divitem pronuncia; doctum? pariter, ſed ſi bonus eſt. Quippe

---*Omnia adſunt bona, quem penes eſt (Virtus.*

Iam & doctrinæ fructum ille poſſidet, qui non ſapit modò rectè, ſed facit. Vtrumque Belgica hæc Iuventus. Diſcit enim, ut agat; atque adeò agit, ſi tarda Diſciplina. ut quiſque linguæ & rationis uſum adeptus, Litterarum rudi tirocinio initiatur. Amuſus planè nemo unquam Belgarum adolevit: ſed poſtquam Muſarum auxilio prima illa ruditas depulſa, velut in ſereno reliquæ vitæ ratio deſignatur; imò & initur. Pæne malè agere, quàm nihil malunt; etſi hoc ipſum malè. Dicere, diſſerere, philoſophari, & reliqua Muſarum obire munia, paucorum eſt; ſed meliorum, aut dicam potiùs? Belgarum. Pleraſque gentes pridem Litteræ deſeruerunt, quia ipſæ Litteras; vos amplexæ, quia vos Litteras.

Etenim

Etenim (conſenſu orbis dicam) ſedem apud vos habent; &, cùm ubique exularent, in ſinu veſtro ſpiritum, & ſanguinem, & patriam receperunt. Ipſæ Muſæ veſtræ ſunt, & vos Muſarum. Iactent ſe veteres Græci; hîc jam Græcia eſt: veteres Latini; hîc Latium. corruiſſet utriuſque gloria, niſi ingeniorum ſolida æternaque fulcra ruenti jam Antiquitati Belgica ſubjeciſſet. Hoc quidem rerum humanarum velut fatum eſt, ut fugitiva veterum inventa aliæ & aliæ provinciæ ſucceſſivâ quadam induſtria excipiant, ac reſtituant; & quaſi orbis totius ſint, benignoq; Naturæ jure communia, naſcantur alibi, alibi renaſcantur. Multa olim Artifex Græcia, Bellatrix Italia dedit; at Belgica reddidit. Ipſi libri & litteræ veteri lumine & gloria ſpoliatæ, novo & Belgico radio reſplenduerunt. Primam gloriam Inventores præripiunt; ſed nobis debent, quòd docta pietate excepimus extorres velut artes, quòd fovimus, quòd reſtituimus: paucis, quòd animo indoleq; Græcorum

rum

rum & Latinorum poſterì videamur, ſolo & cælo diſparati. Vt ſiderum infelices ortus ſunt, cùm obliquo gyro mox occidunt: ita Litterarum, niſi durent apud poſteros, ac diurnent. Parca aut iniqua Fortuna ſit, diviti ſi divitias largiatur, heredes neget: & Inventorum plena gloria eſt, ſi in ſecula fructus induſtriæ manat, & invęniſſe ſciantur. In laudem iſta dico noſtræ Iuventutis. Nam uti diei Natalis inepta lætitia eſt, quem vicino dolore mox Emortualis confundit: ita bono publico in lucem nuper protracta bona ſtudia, damno publico in tenebras & oblivionem recidiſſent, niſi nova à Belgis fax accenſa. Certè accenſa, & jam perenni radio fulget, in exemplum Poſteritatis. I. LIPSIVM, id eſt ipſum Solem habuimus, à quo tot ſtellæ, tot ignes etiam lucent, ſuccreſcente ad Virtutem ac Doctrinam ævo. Alios ſecundę velut famæ habemus, & ut porrò è Iuventute iſta habeamus, votum meum, adeoq; publicum eſt. Quid non promittam Patriæ, imò Poſteritati,

è tanto numero, de tam prolixa induſtria, qua ſpes cottidie Litterarum renovatur? In vos conjecti Orbis oculi ó IVVENES, ſed prompti animi. Exſpectatio urget, favor incitat, ut propulſato ingeniorum deliquio, æternas eſſe Litteras velitis. Erunt profectò, ſi modò vultis, imò quia vultis. Quid alio & alto votorum genere animos obruitis? Vindicare Litteras, culmen omnis Famæ & Fortunæ. Divitias ſpectas? in Litteris poſſides, quod vis aut caſus non eripiat. eminere juvat? imperium quoddam Litterarum èſt. faſces delectant? & hoc honore Litteræ fulgent. Conferte rerum momenta, aut me ratio fallit, aut jucundius in Litteris, quàm imperio ac divitiis eſſe. Quid? quòd nullæ ſine Litteris divitiæ ſunt, nullum imperium; aut ſi eſt, caducum. Sed non huc eo, ut ſevera cogitatione orationis amœnitatem imminuam. In Laudes ſe laxet adfectus, in Laudes; &, collectis eloquii rivis, ulteriores indolis Belgicæ fines circumfluat. A rudi adhuc mente ornavi Iuventutis mores: nunc

nunc à rudi etiam manu; cui, ſi artis Genium ſpectes, & ſua quædam mens eſt. Non eodem omnes cultu cenſemur mortales, aut capimur: quibus Muſæ horrent, aliæ & ſecundæ elegantiæ allubeſcunt. Evehere intenta contemplatione animum, aut effatum jugi ſcriptione polire, non omnes juvat: malunt nonnulli exerceri in Dædali palæſtra, & inter ſudores otioſa mente occupari. id in Belgis admirandum inprimis, quorum in omni arte & opere ingenioſa induſtria: huic ſoli vilitatis culpæ obnoxii, quòd neſciant otiari. Sed facile negotium eſt, quod utilitas facit; facilius, quod voluptas: in Belgis rem nemo ſine delectatione quærit; imò in Belgis otium quiſque ſpernit, quamvis poſſit otiari. At enim nobilium ac opulentorum hoc inſigne, poſſe: imò malorum, aut in malum ruentium hoc inſigne, velle. Vano ſe emblemate jactet ingenium, quia otioſum. Aër & æther in motu ſunt: hominis con-

ditionem, aliter cenſeas? animus ipſe motus eſt, & membra ceu inſtrumenta habet actionis. Cadaver eſt hominis, non homo, qui otioſus, & cujus vivo in corpore mens ſepulta. Curius Dentatus, referente Seneca, ajebat, *Malle eſſe ſe mortuum, quàm vivere.* Rectè. addit enim Seneca: *Vltimum malorum eſt, ex vivorum numero exire, antequam moriaris.* Vivunt igitur, dum vivunt Belgę, ſeriò homines; quia à primis ſtatim annis rebus adſueſcunt, & cùm vivere, ſimul agere incipiunt. In hanc quippe vitæ ſcenam nos Natura duxit, ut ſuæ quiſque fabulæ non ſpectator, ſed actor ſit. Etenim publicum hoc theatrum eſt, & una omnes cavea concludimur: ſedent alii, & otioſam captant voluptatem; nos Belgæ damus, ſed negotioſi. Ecce magno & diuturno jam bello oculos admirationemq; provocavimus Orbis; & Pacis tamen omnes artes noſtras fecimus, Palladio quodam cultu. In Republica alius, in Familia alius, in ſe quiſque occupatur. omnes id agunt, ut agant; paremque

que ubique materiam agendi inveniunt, etiam cùm declinant. Curam aut adminiſtrationem Reipub. ſi quis fugit, ſi quis Familiæ; negotium tamen non effugit: ad ſe cùm redierit, & Rempubl. & Familiam habet; *Civiſque officia cùm ceſſaverint, Hominis ſuperſunt.* Sed noſtra Iuventus, ut iſthuc redeam, cùm Muſæ alienæ, bono Parentum inſtituto, aliarum artium laborioſo cultu politur. Quid vulgum & officinas luſtro? Etjam nobilium prætexta operarum admittit maculas, neque maculatur: manúſque melior ſcalpello, lima, malleo, penicillo fatigatur, non polluitur. Honeſtam omnem artem dixeris, quam honeſtè exerceas: ſalutarem, qua inertis otii tœdium diſpellas. Cude, finge, fabrica; inter fuligines ſudbréſque illæſum nobilitatis decus. Quid ſuavius, quàm poſſidere artium, quod ipſe ornaveris? geſtare arma, quæ confeceris; frui arvo, quod ipſe colueris. Delicias vitæ ne fingamus: omni ordini ac ætati actio ornamento eſt: & ſuperba pa-

---*Adeò in teneris conſueſcere multum eſt.*

Apud alios quàm mollis educatio! quàm ſoluta diſciplina!

---*priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attigas eum manu,*
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cùm patrem adeas poſtulatu, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuriâ.
Provocatur pædagogus: ehò ſenex minimi pretii!
Ne attigas puerum iſta cauſsâ, quando fecit ſtrenuè.
It magiſter, quaſi lucerna uncto expretus linteo.

Iam in publico ſuos ſibi ſibilos ineptiasque habeant, quicumque vera & ſevera Diſciplina ſoluti; imò plaudant, & petulanti murmure Profeſſoris conatum infeſtent. nos Scholam, Scholam ſcimus; cùm docemur, tranquilli, velut in ſacra & plena numinis quadã æde. Apud alios alibi (removete exemplum ô IVVENES) quanto obſtrepentium tumultu ſubſellia æſtu-

æſtuant, pulpita laborant, & vox dicentis frangitur! tot ploſiones, contuſiones, acclamationes, ut Scholam ſcænam dixeris, aut caveam mimicæ voluptatis. Invitus dico: in ludo velut ludus Doctor eſt, & quiſquis acceſſerit, collectum petulantis animi pruritum inter audiendum ſolvit. Hic nimirum projectæ ſemel verecundiæ fructus, ut, confuſa ratione, audaciam rudia adhuc ſcelera inveniant; nec ſub ullam honeſti aut inhoneſti diſtinctionem ſuas auctor actiones mittat.

--Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?

Quidquid libido ſuggeſſerit, licere exiſtimatur; & ſic peccandi licentiam conſuetudo, conſuetudinem impunitas ſequitur. Parùm eſſet perturbari Scholarum quietem, ſi hiſce terminis ætatis morbus coërceretur: in forum erumpens curiamq́; , bonos omnes mores exulcerat, & bonas omnes leges. Quid enim? cauſſarum fiunt patroni, ſi Dîs placet, aut judices, quibus

quibus Iuſtitia peregrina. Tota aut Dignitas utroſque facit, & excitatum corruptæ indolis æſtum, non modeſtia aut innocentià, ſed avaritia & ambitio compeſcunt, fallaciis & morum quodam fuco. Scilicet arte & aſtu vivendum in Repub. & ſumenda Lycurgi facies, ut ſub velo peccetur. Boni quidem ubique ſunt; ſed Philoſophi verbo, *Plures mali.* Inter Belgas verò etiam mali ſunt; ſed, vero elogio, *Plures boni.* Si dicere liceat, Mali illi hoc agunt, ut quales eſſe deberent, videantur: nos, ut quales ſumus. Modeſtiæ & decoris ſtudium magis quàm nomen profitemur. Quaſi ad Catonis exemplum (verba Salluſtii uſurpabo) *non diuitiis cum divite, nec factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentiâ certamus, eſſe quàm videri boni malumus.* Omnino *eſſe*, atque id à prima ætate, cùm ſimplex adhuc indoles & Modeſtiæ candidata. Sed & nos profectò homines ſumus, id eſt, non omnes Boni. Qui non, communem Patriæ laudem non obfuſcant.

Terram

Terram vide; inter bonas fruges & ſalutares herbarum ſuccos, ſentes tribuliq; naturali incremento ſurgunt. Cælum vide; in illuſtri tot ſiderum choro, infeſto aliqua & infauſto radio ſcintillant. Genus humanum divinum facimus, ſi vitiis liberum, & omni naturæ morbo. Quid ergo eſt? generoſam indolem indulgentia parentum otio ſolvit & exhaurit; vacuúmque deinde animum etiam leviſſimæ adfectuum auræ abripiunt mergúntque. Sententiam Quinctiliani audiamus: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris crepit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. antè palatum eorum, quàm os inſtituimus. In lecticis creſcunt. ſi terram attigerint, è manibus utrimque ſuſtinentium pendent. Gaudemus ſiquid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis riſu & oſculo excipimus.* Ab hoc fonte reliquus vitæ morumq; morbus; imò infelicitas ævi, dum educationis vitio

pudor

ſed ab animo metitur. Bonum aliquem vides? divitem pronuncia; doctum? pariter, ſed ſi bonus eſt. Quippe

---Omnia adſunt bona, quem penes eſt (Virtus.

Iam & doctrinæ fructum ille poſſidet, qui non ſapit modò rectè, ſed facit. Vtrumque Belgica hæc Iuventus. Diſcit enim, ut agat; atque adeò agit, ſi tarda Diſciplina. ut quiſque linguæ & rationis uſum adeptus, Litterarum rudi tirocinio initiatur. Amuſus planè nemo unquam Belgarum adolevit: ſed poſtquam Muſarum auxilio prima illa ruditas depulſa, velut in ſereno reliquæ vitæ ratio deſignatur; imò & initur. Pæne malè agere, quàm nihil malunt; etſi hoc ipſum malè. Dicere, diſſerere, philoſophari, & reliqua Muſarum obire munia, paucorum eſt; ſed meliorum, aut dicam potiùs? Belgarum. Pleraſque gentes pridem Litteræ deſeruerunt, quia ipſæ Litteras; vos amplexæ, quia vos Litteras.

Etenim

Etenim (conſenſu orbis dicam) ſedem apud vos habent; &, cùm ubique exularent, in ſinu veſtro ſpiritum, & ſanguinem, & patriam receperunt. Ipſæ Muſæ veſtræ ſunt, & vos Muſarum. Iactent ſe veteres Græci; hîc jam Græcia eſt: veteres Latini; hîc Latium. corruiſſet utriuſque gloria, niſi ingeniorum ſolida æternaque fulcra ruenti jam Antiquitati Belgica ſubjeciſſet. Hoc quidem rerum humanarum velut fatum eſt, ut fugitiva veterum inventa aliæ & aliæ provinciæ ſucceſſivâ quadam induſtria excipiant, ac reſtituant; & quaſi orbis totius ſint, benignoq; Naturæ jure communia, naſcantur alibi, alibi renaſcantur. Multa olim Artifex Græcia, Bellatrix Italia dedit; at Belgica reddidit. Ipſi libri & litteræ veteri lumine & gloria ſpoliatæ, novo & Belgico radio reſplenduerunt. Primam gloriam Inventores præripiunt; ſed nobis debent, quòd docta pietate excepimus extorres velut artes, quòd fovimus, quòd reſtituimus: paucis, quòd animo indoleq; Græco-

rum

rum & Latinorum poſteri videamur, ſolo & cælo diſparati. Vt ſiderum infelices ortus ſunt, cùm obliquo gyro mox occidunt: ita Litterarum, niſi durent apud poſteros, ac diurnent. Parca aut iniqua Fortuna ſit, diviti ſi divitias largiatur, heredes neget: & Inventorum plena gloria eſt, ſi in ſecula fructus induſtriæ manat, & inveniſſe ſciantur. In laudem iſta dico nôſtræ Iuventutis. Nam uti diei Natalis inepta lætitia eſt, quem vicino dolore mox Emortualis confundit: ita bono publico in lucem nuper protracta bona ſtudia, damno publico in tenebras & oblivionem recidiſſent, niſi nova à Belgis fax accenſa. Certè accenſa, & jam perenni radio fulget, in exemplum Poſteritatis. I. LIPSIVM, id eſt ipſum Solem habuimus, à quo tot ſtellæ, tot ignes etiam lucent, ſuccreſcente ad Virtutem ac Doctrinam ævo. Alios ſecundę velut famæ habemus, & ut porrò è Iuventute iſta habeamus, votum meum, adeoq; publicum eſt. Quid non promittam Patriæ, imò Poſteritati,

è tanto numero, de tam prolixa induſtria, qua ſpes cottidie Litterarum renovatur? In vos conjecti Orbis oculi ó Iuvenes, ſed prompti animi. Exſpectatio urget, favor incitat, ut propulſato ingeniorum deliquio, æternas eſſe Litteras velitis. Erunt profectò, ſi modò vultis, imò quia vultis. Quid alio & alto votorum genere animos obruitis? Vindicare Litteras, culmen omnis Famæ & Fortunæ. Divitias ſpectas? in Litteris poſſides, quod vis aut caſus non eripiat. eminere juvat? imperium quoddam Litterarum eſt. faſces delectant? & hoc honore Litteræ fulgent. Conferte rerum momenta, aut me ratio fallit, aut jucundius in Litteris, quàm imperio ac divitiis eſſe. Quid? quòd nullæ ſine Litteris divitiæ ſunt, nullum imperium; aut ſi eſt, caducum. Sed non huc eo, ut ſevera cogitatione orationis amœnitatem imminuam. In Laudes ſe laxet adfectus, in Laudes; &, collectis eloquii rivis, ulteriores indolis Belgicæ fines circumfluat. A rudi adhuc mente ornavi Iuventutis mores: nunc

nunc à rudi etiam manu; cui, ſi artis Genium ſpectes, & ſua quædam mens eſt. Non eodem omnes cultu cenſemur mortales, aut capimur: quibus Muſæ horrent, aliæ & ſecundæ elegantiæ allubeſcunt. Evehere intenta contemplatione animum, aut effatum jugi ſcriptione polire, non omnes juvat: malunt nonnulli exerceri in Dædali palæſtra, & inter ſudores otioſa mente occupari. id in Belgis admirandum in primis, quorum in omni arte & opere ingenioſa induſtria: huic ſoli vilitatis culpæ obnoxii, quòd neſciant otiari. Sed facile negotium eſt, quod utilitas facit; facilius, quod voluptas: in Belgis rem nemo ſine delectatione quærit; imò in Belgis otium quiſque ſpernit, quamvis poſſit otiari. At enim nobilium ac opulentorum hoc inſigne, poſſe: imò malorum, aut in malum ruentium hoc inſigne, velle. Vano ſe emblemate jactet ingenium, quia otioſum. Aër & æther in motu ſunt: hominis con-

ditionem aliter cenſeas? animus ipſe motus eſt, & membra ceu inſtrumenta habet actionis. Cadaver eſt hominis, non homo, qui otioſus, & cujus vivo in corpore mens ſepulta. Curius Dentatus, referente Seneca, ajebat, *Malle eſſe ſe mortuum, quàm vivere.* Rectè. addit enim Seneca: *Vltimum malorum eſt, ex vivorum numero exire, antequam moriaris.* Vivunt igitur, dum vivunt Belgę, ſeriò homines; quia à primis ſtatim annis rebus adſueſcunt, & cùm vivere, ſimul agere incipiunt. In hanc quippe vitæ ſcenam nos Natura duxit, ut ſuæ quiſque fabulæ non ſpectator, ſed actor ſit. Etenim publicum hoc theatrum eſt, & una omnes cavea concludimur: ſedent alii, & otioſam captant voluptatem; nos Belgæ damus, ſed negotioſi. Ecce magno & diuturno jam bello oculos admirationemq; provocavimus Orbis; & Pacis tamen omnes artes noſtras fecimus, Palladio quodam cultu. In Republica alius, in Familia alius, in ſe quiſque occupatur. omnes id agunt, ut agant; paremque

que ubique materiam agendi inveniunt, etiam cùm declinant. Curam aut adminiſtrationem Reipub. ſi quis fugit, ſi quis Familiæ; negotium tamen non effugit: ad ſe cùm redierit, & Rempubl. & Familiam habet; *Civiſque officia cùm ceſſaverint, Hominis ſuperſunt.* Sed noſtra Iuventus, ut iſthuc redeam, cùm Muſæ alienæ, bono Parentum inſtituto, aliarum artium laborioſo cultu politur. Quid vulgum & officinas luſtro? Etjam nobilium prætexta operarum admittit maculas, neque maculatur: manúſque melior ſcalpello, lima, malleo, penicillo fatigatur, non polluitur. Honeſtam omnem artem dixeris, quam honeſtè exerceas: ſalutarem, qua inertis otii tœdium diſpellas. Cude, finge, fabrica; inter fuligines ſudoréſque illæſum nobilitatis decus. Quid ſuavius, quàm poſſidere atrium, quod ipſe ornaveris? geſtare arma, quæ confeceris; frui arvo, quod ipſe colueris. Delicias vitæ ne fingamus: omni ordini ac ætati actio ornamento eſt: & ſuperba pa-

latii limina officinam omnium artium admittunt. Prudens igitur, & laudanda Belgica, quæ laboribus, rerumque honeſtarum occupationibus Iuventutem omnem roborat: laudandi parentes, qui nobilitatem otio non ſolvunt; qui occupatos habere liberos malunt, quàm malos. Nam ut ager; ſic ingenium eſt: niſi colas, ſpinis tribulisque inhorreſcit. Colunt Belgæ, & ô exemplum exteri capiant! ô teneros annos laborum amore imbuant, arduæque vitæ! Rarò fit: ideoque laudabilius, quòd apud raros. Sed ſi omnes Belgæ ſint, Belgicis moribus ſive inſtitutis, Probitas & Fides florem recipiant, vaniſſimo luxu imminutum. Nunc apud pleraſque gentes corrupta otio Iuventus, poſtquam debiles Muſarum lineas delevit ex animo, Parentum indulgentia ſpernere artes omnes audet, quas omiſit. Manum verò viliori opere inquinare, ſtultiſſimum putant. Scilicet tenelli iſti artus ſunt, non ad artes ullas, ſed delicias, ſive potiùs ineptias, facti. & illæ tamen artes

artes honeſtiſſimi laboris non fructum ſolùm, ſed laudem quoque promittunt. Scire igitur cur pudeat, quod cum fructu exerceas? cur exercere, quod cum laude ſcias? Vt veſtium ſimplicitas vilitáſque cultu & nitore corrigitur, neglectu ſordet: ſic ruditas amuſæ indolis animíque. Macti hoc cultu, hoc nitore Belgæ! & ſuavioris nunc encomii ferculum libate, Prudentiæ cumulata Laude condîtum. Ita dico, Prudentiæ; ad quam, hoc inprimis explorandum; quâ viâ pervenias. Si annos exſpectas, ſera maturitas eſt: ſtudio, induſtriâ, & obſervatione opus, & luſtrandæ urbes, viri, mores, ut ætatis cunctationem præveniamus. Vt herbas & fructus naturæ deliquio ſérotinas, procurato calore præcoces reddimus: ita mentem licet opportuna peregrinatione. Sed abſit, ut tardiora Belgarum ingenia cenſeam, quaſi orbis inſpectione erudiri debeant: quin matura potiùs, quaſi poſſint. Cùm nimiùm deſidet ditioris indolis vigor, in ſinu materno contabeſcit.

Peregrinatione delenda parentum indulgentia, ut à pueritia Iuventutis ille Genius diſcernatur. Alios annos alii mores decent, & alios mores alii anni docent. ſemper ille puer, qui domi eſt; qui extra paterni agelli ambitum ſolem non vidit. De ignavis inertibúſque dixerim:

Condit quiſque diem collibus in ſuis.

Blanditiæ domeſticæ relinquendæ & nuces, ut ſapere incipias, & obtutu imperióque alieno deſerenda animi mollities, vitioſo Penatium otio contracta. Vt puerulı, cùm è luce in tenebras transferuntur, horrent: ſic alieno Lare quærit ſe animus, & curâ ac circumſpectione contrahitur. contrà, ſi domi in ignaviam ſe libertas vernacula ſolvit, & pueriles ineptias reliqua ætas recipit, ne in Senectute quidem eluendas. Sic quidem videri poſſint, qui vitæ vota, ubi nati, ſepeliunt, teſtudines eſſe, imò pueri in omni ætate. Iuventuti etiam noſtræ hanc prærogativam Induſtria conceſſit, ut exiguo diſpendio peregrinetur: artes & indolem prō viatico confert

fert, & ubique terrarum invenit Penates. Qui diſcendi, videndi cauſſa hinc abeunt, alibi mox Magiſtri ſunt, & in curam adſumuntur bonæ Inſtitutionis. Amant exteri Eruditionem, Modeſtiam, Fidem noſtram; & bene quiſque actum cum liberis putat, quibus Belga præfuerit. Magna hæc fiducia, ſpem familiæ, & velut ſolatium alienæ curæ ac diſciplinæ committere; Magiſtrum dare liberis, quem ſola Fama natali nomine commendat. Sed nos meruimus hanc fiduciam Belgæ, & quaſi Naturam nullis vitiis corruperimus, Boni apud omnes habemur. Ceteros ferè, qui docendi ducendiq; peritiam ambitiosè & avarè locant, ſuſpiciones & maculæ involvunt: & in Gallia, Italia, Hiſpania, ſi quis è popularibus Pædagogus, aut Doctor adſciſcitur, tabulis & longa teſtium ſerie cenſetur: ſi quis è noſtris, teſtes & tabulæ nomen eſt; hoc ſatis, quia Belga. ô conſtantiam benignæ & veræ opinionis! in morum & doctrinæ examine atque magiſterio, ſuos, exteri

alienos habent: Belgas, ſuos. Venerabile nomen Belgæ eſt. Atque idipſum in omni quoque occaſione ac negotio videmus. Tamquam ubique, & ad omnia nata hæc Iuventus. Genium cujuſque gentis, cujuſque artis repræſentat; & cùm univerſum terrarum orbem luſtrat, peregrinari tamen non videtur. . In Principum aulis miniſterium Belgæ ubique laudatum; in Mercurialibus curis induſtria, in re militari peritia, in omnibus fides. Sic igitur corpus animúmq; motu exercemus; & quaſi Naturæ beneficio contenti non ſimus, prudentiam uſu, etiam ante prudentiæ annos, provocamus. Mores patrios diſcimus, alienos inſpicimus, & tamquam anguſti ſoli natalis limites ſint, toto orbe habitamus. Linquimus verò, non ut linquamus patriam. Scilicet in mare imus, rem facimus; poſtquam fecimus, redimus in portum. Belgicam neſcit, niſi qui deſeruit; ſed qui deſeruit, noſcit. tum ſparſa vota quiſque colligit: iſtuc redit, ubi imaginem peregrinationis

ſuæ,

ſuæ, & in compendio orbem contempletur. In illo verò motu, quis terræ angulus, quem non luſtramus? quis Oceani, quem non trajicimus? nihil longinquum, nihil aſperum, nihil inacceſſum. Hac pæne conditione naſcimur Belgæ, ut peregrinemur. Gallia, Germania, Italia, Hiſpania nimiùm jam vicinæ; Aſiam, & Africam petimus, & ſejunctam Oceano terram. Solis iter, noſtrum eſt; & viſum curioſo deſiderio imus, quidquid ille videt. non montium fragoſis jugis, non maris immenſo ſpatio prohibemur. Cardines & clauſtra ipſa mundi patent. Ex omni populo mores & exempla trahimus, & quæ ad uſum communis vitæ. Externa ſcimus: ſed & antiqua ſcimus, quaſi non terræ tantùm, ſed indigenæ omnis ævi. Ipſo ſermone ſumus, & linguarum pleno jure, perfecto uſu. Quæ fuēre olim, apud nos vivunt; quæ ſubnata, apud nos vigent, noſtro quoque beneficio fatum evaſura. Gallum, Italum, Hiſpanum, à vernacula ſua dimoveas: noſtra Iuventus

ver-

vernaculam ubique habet, omniúmque linguis utitur tamquã ſua. Ennius olim ſolemni voce Tricor dictus, quòd tres linguas uſu calleret: ſed minus hoc elogium, quàm ut in Belgam conveniat, ſi, ut in laude plures linguæ, ſic corda ſint. Ab uno & recto ſemper animo diſtinctæ nobis formæ illæ ſermonis, in quibus ipſe ſine fuco animus elucet. Aliud loqui, aliud ſentire, aliorum eſt: candorem profitemur. Nobis verò Muſa Latina debet, quòd ſuperſtes. Soli enim, aut cum paucis, hodie Latini ſumus, & ore Romano, non ſcientias dicam, ſed negotia tractamus. Inſitum quibuſdam nationibus hoc vitium, quibuſdam hic defectus, loqui ut Latinè refugiant; à lingua ut linguam ſeparent, laborioſo ſolius ſtili conatu eruditi. Etenim non aſſequi vivacioris hoc Suadæ beneficium, defectus eſt: etiam damnare, cùm non aſſequeris, vitium. Sed ô infelicem ſermonis fructum, quem legas, non audias! uno ſenſu tantæ majeſtatem linguæ qui comprimit, ille verò ſine

ſine ſenſu. Non minùs loqui, quàm ſcribere, pulchrum eſt, ſi quis pulchrè loquatur. Non ego barbariem laudo; conatum laudo, quo nitorem quiſque linguæ ſectatur; imò errorem laudo, quo corrigimur. Vt vini; ſic ſermonis fæces ſunt, fateor: ſed expurganda paullatim prima balbutientis naturæ ruditas, ut puris coloribus niteſcat oratio, & liquidum rerum ſenſum fæcundè & facundè repræſentet. Profectò Iuventus noſtra facit, & cum laude facit; hac quoque Latinitatis hæreſi imbuta, ut Muſarum ſacra idiomate putet vernaculo violari. Quid honeſtius, quàm de Eruditione, Hiſtoria, Antiquitate, Latinè diſſerere, aut loqui? quàm ipſo ſermonis habitu velut ſigno candidatum ſe præbere & probare Eruditionis, Hiſtoriæ, Antiquitatis? Neque verò tam infelici Genio nati ſumus, ut tamquam à vernaculæ vilitate ac contemptu ad tantæ uſum linguæ confugiamus. Veneres deliciáſque dicendi & nos habemus, & admirandam verborum proprie-

proprietatem. Ad natales mundi referre originem non ſuſtineo: ſed tamen, ſi pretium Antiquitati ſit, inter pleraſque hodie gentes ut animo, ſic Linguâ, eminemus. Illam puram, id eſt, noſtram laudo, & nullo dictionis exoticæ fuco inquinatam. Nam ut nunc quorumdam mores ſunt, delibatur ſæpius floridus ille vigor ſermonis; quaſi pulchrum, domi, & ſua quoque lingua peregrinari. Sed violant illi ſtultiſſima ambitione Patriæ Genium, & ſpreto linguæ toro, adulteria quærunt corruptarum vocum. Interpolare nativum corporis decus ſuperba laſcivia audet: an & ſermonis? Accepimus à Majoribus idioma, quod diſcere velimus, niſi acceperimus; dignum robore noſtro pariter & candore. Tale certè eſt, robuſtum candidúmque: ſed nos non tales, ſi fregerimus, ſi fœdaverimus, ritu, an prurituꝰ novitatis. Iuventus caveat: ſerpit iſte morbus, & propriæ ac nativæ voces intercidunt, monſtra ſubnaſcuntur. In noſtro agro, à noſtro ſemine felix flo-

lix floridáque lingua eſt, adulterinas ineptias cur miſceamus? Iterum dico, Iuventus caveat: omnes polleat linguas, nullam polluat. Poſt primas illas, TERNAS illas, eruditas illas, quibus locus iſte ſacer, vernaculam æſtimet; nec animo ſolùm, ſed ſermone quoque Patriam profiteatur. Conditionem animi ſermo ſequitur. puri boníque non videbimur, niſi loquimur. Annon in omni vitæ cultu ſumus? planè & nivea illa puritate boni, & bonitate puri. Sed hunc cultum obiter quoque inſpicio, ideſt, novam Iuventutis meæ Laudem. Quid ni? veſtem domúmque cenſero ſoleo, & hinc virum: imò urbem, & hinc populum. quæ ſi vera cenſura, optimi omnium hominum Belgæ, quia cultiſſimi ſunt: inprimis Iuventus, tamquam in ipſo vitæ flore. Nam ut pueritia, ſordibus læta, ſquallet incuria: ita ſenectus cura. nitoris cultum necdum illa didicit; hæc dedidicit, & adſcita frugalitate uſum rerum, non ornamenta ſectatur.

ſectatur. Nimirum langueſcit ille fervor animi, & vita, unde venerat, redit. At verò Iuvenilis ætas, ſui diligens, circumſpicit ſe, & Naturæ exemplo maſculam elegantiam adſumit. Ita dico, maſculam, id eſt, Belgicam, & in veſtium, ædium, urbiumq; cultu. Vt igitur primo adſpectus examine mores Iuventutis ſcias, veſtem examina, neq; maculis ſordidam, neque neglectu laceram; ſed neque rugarum ubertate prodigam, neque parſimonia contractam. Hac moderatione, & ſimul cautione utimur, ut veſtes paremus, in quod inventę ſunt: ceterùm, nitorem ipſum pro gemmis & auro habeamus. O verum, ô unicum corporis ornamentum, cùm tegumentum eſt; & in noſtra potiſſimùm Iuventute reperiendum! Atque ad hunc modum ædes & urbes noſtræ ſunt, amœnæ, nitidæ, inſtructæ, quaſi viliùs habitare corpus non potuerit, quàm animus; & Naturæ pretium in circumpoſita velut imagine noſceremus. Neque ego cultum dumtaxat corporis, ſed Formam laudo

laudo, eòq; liberiùs, quòd animum indicat. Quos bellos vides, boni ſunt, ideoq; belli, quia boni. Tanta æthereæ illius auræ vis & facultas, ut qui in animo nitor, in corpore luceat. Non eodem mortales colore & formâ ſumus. illi boni, illi belli, quos divinæ naturæ radius non animat tantùm, ſed illuſtrat. Tales Belgæ, omnibus faventis Genii deliciis imbuti, formâ eximii velut pulchritudinis quædam ſimulacra. Nullus in oculis torvor, in vultu nebula, in corpore nævus. quidquid vides, Gratiarum eſt,

Ceu lacte miſtum & purpurâ.

Iam qualis forma, talis vitæ cultus, támque à ſordibus alieni ſumus, ut pæne munditie peccemus; ſive cùm publico cenſu grandeſcit ſplendor, ſive cùm deliciæ privato. Sic verò infractum Belgicæ robur conſtanti ſe indicio prodit; ſub longa & lenta rerum omnium ruina. Quid? pertinacis belli ſævitia preſſi, ſtudium nitoris auximus; nec tantum ab innata conſtantia impetrare miſeriæ noſtræ

 potue-

potuêre, ut Fortunæ ſaltem ſordidati eſſemus. In ipſa hac nube gementis Reipub. omnium elegantiarum ſtrictúris animos teſtati ſumus, & in exemplum ab ævi arbitris laudati. Etjam dico? quidquid ubique venuſtatis, à nobis eſt, & hac origine fluxit. Compendium ſi amas, in una Belgica univerſum orbem noſce: aut, ſi anguſtiæ hæ premunt, Belgicam in univerſo orbe. Etenim omnium elegantiarum artiúmque coloniæ hinc miſſæ, nec à Belgis diſcere mortales puduit. Luſtra gentes & regiones orbis: ecce magnarum urbium officinæ, aut opere Belgico, aut artifice Belga commendantur. Palatia, prætoria, templa, picturis noſtris tapetiisque ſuperbiunt. Nitet familia, ubi miniſter Belga; frequentatur taberna, ubi artifex Belga; veneunt compendio merces, ubi inſtitor Belga. Paucis: ob munditiem, diligentiam, fidem, carum ipſum nomen eſt. Dedit Orbi Iuventus iſta pictores, ſcalptores, & omnis notæ Dædalos, quorum in pretio monumenta

æ nomina ſunt. Dedit artes,

Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Expleri induſtria noſtra penicillo non poterat; acu, ſtilo, radio cœpimus pingere: ingenii & inventionis ubertatem tabulæ aut lintea non capiebant; vitreas, lapides, laminas, colorum amœniſſimo ſucco perfudimus. De Scriptoribus, Typographis, Bibliopegis, audeo dicere: nihil correctius, nitidius, elegantius eſſe. Loquuntur ipſæ ſchedæ, characteres, libri; & oculos, manus, animos contrectantium ſuaviſſima voluptate imbuunt. creſcit intuitu legentis deſiderium; & quemadmodum ſuavior è vaſe potio, quod ars aut pretium effert; ita lectio quoq; è libro, quem externa quædam venus. Sic igitur Iuventus noſtra aut occupatur ſuavi Litterarũ commercio, aut alios ſaltem occupat: etſi occupari non poteſt, niſi & occupet; dum ſive

fortaſſis vocor, & ut univerſam Juventutem ambitioſo labore recenſeam? Famæ hoc negotium eſt, nec longinquæ; cui ſe vocis obſequium fruſtra miſceat. Etenim ſi eos intueor, qui è Lipſiana diſciplina prodierunt; ſcribunt omnes, qui prodierunt: ſi eos, qui ex aliena; putes ſtili jure ab ipſo LIPSIO donatos. Bonam omnes famam amant, ſed à vita & doctrina. Pleroſque tamen Militia evehit: in quibus vitam pariter & doctrinam laudamus. cùm ſcribere poſſint, malunt agere; imò, cùm ſcribere poſſint, malũt pati. Sed *agere & pati fortia* Romano more. Sic nati ſumus, imò ſic facti ſumus, uſu & exercitatione. Nam ut Litterarum; ſic armorum quoque Scholas habemus, erectas ſumptu publico; & in urbe quiſque ſua, tamquam in militiæ quadam umbra tirocinio Martis initiatur. Inconcuſſo ſtatu gradum componere, contracti temporis compendio enſem rotare, ictus adverſarii velociſſimo motu elidere, ac denique prœliantis perfectiſſimam imaginem dare,

primum bellicæ virtutis rudimentum eſt. In hunc uſum Martiali Majorum inſtituto Collegia Gladiatorum, Sagittariorum, ſimiliumque habemus, in quibus Iuventutis robur audaci armorum peritia nutritur. Armorum? atque adeò belli. Ordinem ipſum artemq; diſcimus, & ingenium militari contemplatione armamus. Metari caſtra, mœnire urbem, cogere aciem, noſtrum eſt, & omnem, ſeu lineis, ſeu calculis, ludere imaginem caſtrorum. Amœnum, ſed arduum tamen hoc negotium eſt: ut muros flectas, propugnacula erigas, ſitum obſerves. In ordinibus quoque hoſtis & locus variare cogunt, nunc cuneo, nunc orbe opus, nunc in quadrum ſpiſſandi ordines, nunc contracto numero in lineam producendi. omnia cùm feceris, eſt tamen quod agas: omnia cùm ſcieris, tamen quod diſcas. Belga verò tam modeſto ingenio eſt, ut diſcere aliquid velit, etiam cùm ſcire ſe putat; quia neſcire aliquid ſe fatetur, cùm didicit. Sed ne umbram tantùm ornem,

nem, animo & exemplo milites ſumus, etiam cùm non ſumus. Diſciplinam colimus, & intra mœnia caſtra ſunt: ubique Martis ipſe terror, cùm in armis Iuventus, atque adeò cùm inermis. noſtræ vires in manu potiùs, quàm ferro: viribus, non tormentis fortes ſumus; ſed animis invicti. Strenuum poſcis Ducem? Belga dabit. Militem? Belga. atque id inconcuſſi animi ſignum, quando is qui ducit, pugnare promptus peritusq́; : qui pugnat, ducere. imò id faventis victoriæ ſignum, quando commune periculum dux milesq́; ſubeunt, ſine diſcrimine diſcrimen. Si quis ad vocē præcipientis piger, facto concitatur ut pugnet. optima tuba manus & induſtria ducis, cùm exemplum ipſum pro imperio. Belgæ igitur, quia ducendi periti, & pugnandi prompti, quovis militiæ gradu ad gloriam properant, malúntque virtute quàm dignitate eminere. Ambiunt alii titulos, & faſces, ut ita dicam, militares; Belgæ ſola virtutis occaſione contenti. Sic educantur, ſic in-

 ſtituun-

ſtituuntur, ut egregia facinora, etiam ſine præmio, ament audeántque: lætiores, ſi mereantur honorum titulos, quàm ſi accipiant. Igitur noſtræ Iuventuti (Romanum elogium uſurpabo) *non labor inſolitus, non locus ullus aſper aut arduus eſt, non armatus hoſtis formidoloſus: Virtus omnia domat. Se quiſque hoſtem ferire, murum adſcendere, conſpici, dum tale facinus facit, properat. eas divitias, eámque bonam famam, magnámque nobilitatem putat.* Barbarum verò ac planè truculentum, armorum furore ſi quis in civem ſæviat. Hoſtem nemo niſi publicum habet, & inimicitias quiſquis ſuſcipit, imprudentis nomen incurrit; quiſquis longa vindictæ cupidine alit, inſani. Per hanc quidem culpam, ſani ſumus, prudentes ſumus. Innatus candor & niveum illud frigus repentinas omnes ebullientis animi maculas abluit: pedem ira non figit. Si qui pugnant aut rixantur, mox à ferro aut jurgio fœdus eſt, nec fides occulto ullo odio vacillat. In hoſtem

ſtem verò acres & ſævi ſumus, cùm petimur; & cùm pro Patriâ pugnandum ac PRINCIPE, impavidos.

---cruenta

Per medias rapit ira cædes.

Exempla obvia, & cottidiana ſunt; &, ne longiùs abeam, in Patrio meo ſolo. Venlonium laudo, cognominem huic urbem: Funus, flamma, cinis erat, niſi plus pectora Iuventutis noſtræ quàm mœnia valuiſſent. non vim hoſtilem tantùm, ſed pæne Fortunam fregimus: quaſi irato Marte gerere bellum debeant, qui prœlio nobis repulſi. Iam in ultimo noctis ſenio & ſilentio admotæ muris machinæ erant, ſcalæ erectæ, cùm portarum clauſtra, vectéſque, adfixi tormenti fulmine & fragore diſſiliunt. jam in propugnaculum, quod inter geminam portam Moſæ ripam munit, hoſtes evaſerant, patique fortuna properabant in urbem. Reſtitit Iuventutis virtus, votúmque hoſtile, ductu fortiſſimi & inv ictiſſimi Herois

ſtituuntur, ut egregia facinora, etiam ſine præmio, ament audeántque: lætiores, ſi mereantur honorum titulos, quàm ſi accipiant. Igitur noſtræ Iuventuti (Romanum elogium uſurpabo) *non labor inſolitus, non locus ullus aſper aut arduus eſt, non armatus hoſtis formidoloſus: Virtus omnia domat. Se quiſque hoſtem ferire, murum adſcendere, conſpici, dum tale facinus facit, properat. eas divitias, eámque bonam famam, magnámque nobilitatem putat.* Barbarum verò ac planè truculentum, armorum furore ſi quis in civem ſæviat. Hoſtem nemo niſi publicum habet, & inimicitias quiſquis ſuſcipit, imprudentis nomen incurrit; quiſquis longa vindictæ cupidine alit, inſani. Per hanc quidem culpam, ſani ſumus, prudentes ſumus. Innatus candor & niveum illud frigus repentinas omnes ebullientis animi maculas abluit: pedem ira non figit. Siqui pugnant aut rixantur, mox à ferro aut jurgio fœdus eſt, nec fides occulto ullo odio vacillat. In hoſtem

ſtem verò acres & ſævi ſumus, cùm petimur; & cùm pro Patriâ pugnandum ac PRINCIPE, impavidos.

—cruenta

Per medias rapit ira cædes.

Exempla obvia, & cottidiana ſunt; &, ne longiùs abeam, in Patrio meo ſolo. Venlonium laudo, cognominem huic urbem: Funus, flamma, cinis erat, niſi plus pectora Iuventutis noſtræ quàm mœnia valuiſſent. non vim hoſtilem tantùm, ſed pæne Fortunam fregimus: quaſi irato Marte gerere bellum debeant, qui prœlio nobis repulſi. Iam in ultimo noctis ſenio & ſilentio admotæ muris machinæ erant, ſcalæ erectæ, cùm portarum clauſtra, vectéſque, adfixi tormenti fulmine & fragore diſſiliunt. jam in propugnaculum, quod inter geminam portam Moſæ ripam munit, hoſtes evaſerant, parique fortuna properabant in urbem. Reſtitit Iuventutis virtus, votúmque hoſtile, ductu fortiſſimi & invictiſſimi Herois

HERMANNI Comitis DE BERGHE, Equitis Aurei Velleris, Gubernatoris Geldriæ, quàm feliciſſimè eluſit. Mulieres pari audacia, quaſi fatum urbis propulſaturæ, mixtæ viris ac pæne nudæ (noctis negotium erat) rem geſſêre, omnique telorum genere in ſubjectos detonuêre. Igitur ingenti ſtrage hoſtes rejecti; &, verſa rei facie, qui oppugnatum venerant, oppugnati ſunt. Ejuſmodi pericula, imò eiuſmodi exempla, in pleráque Belgica ſunt, & quia cottidiana, minori fama celebrantur. Non minor jam virtus, ſed minoris eſt, quàm olim fuit; quia paria cum Antiquis facimus, neque æſtimantur. Ceterùm, quos vetus fama commendat, Coclites, Scævolas, Clœlias, Belgica noſtra habet, etſi non celebrat; & in omni Iuventute invenire eſt, quos ipſe ſibi Gradivus, ſi bellandum, commilitones adſcribat. Vitam quidem militarem ad hunc modum inſtituimus: an & Ruſticam addam? omnino, ut Pacis imagine quadam frui videamur,

mur, ſepti undique diuturno horrore belli. Nam ſi agros luſtres, & robuſtam illam Iuventutem, in continuo rerum omnium metu ac motu læta tamen tranquillitatis conſilia atque negotia molimur, quaſi cladibus & Fortuna ipſa majores. In vicinia hoſtis meſſem accendit? arvum novo ſemini ſubſecamus. Mapalia exuſſit? horreum excitamus. Armenta abegit? ſpem gregis nova adoptione renovamus. Magnus profectò animus, qui ſub tanto malorum onere non fatiſcit. Sed noſter agricola ingenio calamitatem Fortunæ mitigat, induſtria ſuperat; frumentationes, plantationes, inſitiones, & reliquum rei ruſticæ cultum, pæne invito cælo, invito ſolo, obit. Eundem hortum ad uſum & delicias habet. cùm pulvillos & areolas diſtinxit, languentes alibi herbas immiſſo rore roborat, parturientium alibi florum ſemina excipit, morientium alibi plantarum orbitatem herede ſurculo pellit. Ligone, aratro, raſtro, magnæ matris fœcunditatem

ditatem etiam ſegnem urget: etſi huic maximè curæ intentus, ne ſegnem. Sol aut aura peccet, Patriæ tamen glebæ felices ſunt; quia motu colentis & labore incaleſcunt, ſudore irrigantur. Imò verò pæne infelices ſunt, quòd fœcunditate ſua bellum alant, & longam hanc ſeriem malorum. Rei Ruſticæ Venatio quoque pars eſt, etſi aulæ hæc ſervit hodie, & à meliori Iuventute frequentatur. Seu ludum, ſeu pugnam cenſeas, noſtra hæc ſacra ſunt, & venandi feliciſſimâ peritia Dianæ litamus. ut ſomnum quiſque excuſſit, & in Auroræ conſpectum prodiit,

Aut trudit acreis hinc & hinc multâ cane
Apros, in obſtanteis plagas:
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidúmque leporem & advenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.

Etenim in montibus & ſilvis Patriæ fatum ſiquis examinet, dicat cum ſolis feris nobis eſſe bellum. Sed ſpecies tantùm belli eſt: & hoc velut rudi-

rudimento corpus animúmque Marti præparamus. Accedunt Piſcatio, Natatio, inprimis Navigatio, quibus, non dicam exemplo, ſed miraculo Belgæ ſunt. Audent non audenda, & quaſi extra periculum conatus,

Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Tellus, an Neptunus nos gerat, animi in tranquillo; imò pæne in arbitrio noſtro utrumque elementum. Terræ maríſque incolæ ſumus: & diffuſo, diviſo orbis contubernio fruimur, cauti magis, quàm cupidi, in omni re & merce. Nam & Mercurius noſter eſt; ſed emolumentum, quod cum turpitudine, averſamur. Divitias alii; ſine fraude partas Belgæ glorientur. Maximum damnum, honeſtatis putant; cùm, ut res noſtras augeamus, alienas imminuimus. Cupiditatem nemo fraudibus accendit; ſed ſuæ quiſque utilitati ſervit; ſedulus, ne injuriam capiat; religioſus, ne faciat. In omni commercio honeſtiſſimum Naturæ conſilium ſequimur,

mur, ut turpe lucrum putemus, quod alieno damno creſcit. Scitè Chryſippus apud Ciceronem: *Qui ſtadium currit, eniti & contendere debet quàm maximè poſsit, ut vincat; ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: ſic in vitâ ſibi quemque petere, quod pertinet ad uſum, non iniquum eſt; alteri ſubripere, ius non eſt.* Iuventus noſtra, tamquã in ipſis tabernis Chryſippum audiat, in emundis vendundisq; mercibus ſine mangonio verſatur. Cùm pretium effert, vitia quoque indicat: nec celaſſe tantùm, ſed tacuiſſe, injuriam putat. Nemo verba timeat, aut vocis blanditias damni ſuſpectas: ut emas, non ut malè emas, allectaris. A natura ſua hanc peccandi audaciam impetrare non poteſt, ut fallere Belga, aut alienis velit ſpoliis facultates ſuas augere. Humanus eſt, ſolicitus eſt, ſincerus eſt. Putes non in taberna, ſed in ſchola; non ad lucrum, ſed Virtutem inſtrui. Nulla igitur hîc verborum impoſtura, nulla mentis. Omne promiſſum, omnemque contra-

ctus

tractus rationem Candor & Fides comitantur. Alias artes alibi invenias, apud Belgas magna opes infamiâ laborant, quæ in arcam veniunt fraude. Itaque Iuventutis illa manus, quæ ſacris Mercurii operatur, ſine fraude aſtuta eſt, ſine dolo callida, ſine fuco blanda. Recti honeſtíque ſtudio adoleſcit ſimul & diteſcit. Mores noſtros an leges inſpicias, fallere atque falli alienum eſt. Fallere Belga fugit, falli cavet; gentisq; moribus, imò legibus, Injuriæ damnum, decepti; macula, decipientis putatur. O candorem recti juſtiq; animi! laudandum in ſene, admirandum in juvene, cùm nullæ vitiorum fœtidiores nebulæ ſe admiſcent, aut certè uno hoc radio diluuntur. Vnam aliquam virtutem in Belgis admirari difficile eſt: & tamen omnes, ſuperbum. Omnes laudo, cùm Candorem; quia profectò niveum pectus virtutum omnium domicilium eſt. Itaque in Iuventute noſtra Prudentiam & Iuſtitiam candor, Temperantiam & Fortitudi-

Fortitudinem candor indicat. Quid ſecundi ordinis dotes, Magnanimitas, Liberalitas, Caſtitas? pæne à Natura ſunt, & originem à candore habent. Sed Iuventutem magnanimam eſſe, liberalem eſſe, agnatum quis putet ætati decus? quid caſtam eſſe, & ſevera cogitatione omnem libidinis impetum coërcere? Magnæ & adultæ mentis opus eſt, ideóque inter ſummas Iuventutis laudes habendum. Aliæ virtutes ſemina quædam in omni ætate habent: at Caſtitas vim Naturæ infert; Adfectuum domina, & Voluptatis omne regnum auſteritate ſuâ confringit. In periculis robur laudo, & cùm dejici poſſis, corpore animóque rectum eſſe, immunem ab omni caſu. Iuventutem noſtram. ſcio Iuventutem eſſe: incaleſcere etiam flamma ſua ſolet, ſed honeſta; ignem tangere, nec audiri. Nempe omnis ſine libidine Amor eſt. Dicant alii:

Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucē:
Qui volt cubare, pangit ſaltem ſuavium;

Noſtri

Noſtri Iuvenes puro ore, pura mente libant oſcula, caſti in cottidianis epulis, tripudiis, luſibus: ſed ad exemplum hilares; cùm, ſive in publico ſint, nullis ſpectaculorum illecebris; ſive in privato, nullis conviviorum irritationibus animum ſinant emolliri. Hac ſeveritate integrum corpus ad nuptias ferunt; nec ulla extra matrimonium Venus. Addo felicem thalamum, fœcundum liberorum auſpicium, conſtantem viri uxoríſque copulam, dum pari rudimento tori initiantur.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris.

Apud pleraſque nationes vix pubertatem nuptiæ exſpectant, & præmatura libidine exhauſta Iuventa, in ipſo flore vitæ elangueſcit. Rectè Cicero: *Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti.* Hinc liberorum languidi natales, enervatum robur, brevi limite circumſcripta vita. Noſtris moribus ſimus, ô IVVENES, noſtriſque legibus; poſteritatem habituri, quales ſumus. Illi boni, & hæ bonæ ſunt.

næ ſunt. ſi mores cenſeantur, ſic vivimus, quaſi ſuperfluæ leges; ſi leges, ſic conſtringimur, quaſi corrupti mores. Sed nos Natura primùm, deinde Inſtitutione boni ſumus, morúmque conſtantia omnium legum iram cavemus. Quid impunè audeas, ubi nullum ſine pœna crimen? ſeveram indolem quomodo ad nequitiam deducas, ubi nullo exemplo peccatur? Ariſtippus Philoſophorum præſtantiam æſtimare ſolebat, *quòd ſine legibus bene viverent.* At enim vicinum ſcelus eſt, cùm in fundo & ſinu fomes hæret. Caſta eſſe Iuventus non poteſt, niſi ſobria ſit. Hac vera infamiæ nebula plerique obruimur, quaſi poculis ſtrenui, irriguam Baccho mentem ad omnem vitæ intemperiem ſolvamus. Faceſſat calumnia. Regna quædam vini, ſed velut ſacra, habemus: & incaleſcere vernaculus Patriæ mos eſt; ut contractæ intentiore vita nubeculæ, hilaritate diſpellantur. Quid autem? vitio tu id ducis? ego

ego laudi. Remittendæ quandoque vires, non ſolvendæ; & laxare vino animum honeſtè licet, curis aut laboribus fatigatum. Etiam dico? Suadet Seneca, ſeverus ille virtutis doctor; *nonnumquam & uſque ad ebrietatem veniendum. Eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur: Libérque, non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini; ſed quia liberat ſervitio curarum animum & adſerit, vegetiorémque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini ſalubris moderatio eſt, & Solonem, Arceſilaúmque indulſiſſe vino credunt. Catoni ebrietas objecta eſt: at faciliùs efficiet, quiſquis objecerit, crimen honeſtum, quàm turpem Catonem.* Audiamus porrò Senecam: *Sed nec ſæpe faciendum eſt, ne animus malam conſuetudinem ducat: & aliquando tamen in exſultationem libertatémque extrahendus, triſtiſque ſobrietas removenda paulliſper. Nam ſive Græco Poetæ credimus, aliquando & inſanire jucundum eſt; ſive Platoni, fruſtra poëticas fores compos ſui pepulit; ſive Ariſtoteli, nullum ma-*

gnum ingenium ſine mixturâ dementiæ fuit. Non poteſt grande aliquid & ſupra ceteros loqui, niſi mota mens. Cùm vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctúque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quidquam & in arduo poſitum contingere, quamdiu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet à ſolito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat ſuum, eóque ferat, quò per ſe timuiſſet aſcendere. Vberiùs iſta, non ut ebrietatem, ſed hilaritatem laudem. Nam & virtus delicias aliquas admittit, & Litteræ remiſſiones. Alendus animi ille vigor optimo Telluris ſucco, & calente Bacchi aura, non tantùm ut ſani, ſed vegeti robuſtique ſimus. Siquis tam auſtero rigidóque judicio, ut ne Hilaritatis quidem nomen ſufferat: næ ille Naturæ infenſus, omnis amœnitatis fructu Genium defraudat. Exteri aliqui hac ſeveritate tument, omnémque periiſſe Iuventutem exiſtimant, quæ moderato mero abluere ſubrepentes triſtitiæ imagines

gines ſolet. Non quicumque maduit, merſus eſt. citra ebrietatem hilaritas conſiſtit. Et tamen prodeant in arenam ſobrii iſti, ſicci iſti, & qui pallore boni ſunt, ac de Virtute cum Belgis decertent. Scilicet audiunt, ſed audent quoque ſobrii, quæ noſtri horrent etiam ebrii. In iſtis metuenda & ſuſpecta ſobrietas, in Belgis verecunda & laudata ebrietas eſt: malitia iſti, at hi errore peccant. Id pulcherrimo exemplo Dionyſius olim oſtendit, temulentis conviciis ab adoleſcentulis duobus non leviter laceratus. Re delata, ad cœnam utrumque vocavit, cúmque animadverteret alterum largiùs potum, plana mente, pleno ore nugari; alterum raró cautéque bibere: illum dimiſit, tamquam Natura vinolentum, & temulentia maledicum; hunc interfecit, quaſi ſtudio malevolum & hoſtem. Sed non hoc ago, ut indulgentiam vitiis ab errore conciliem.

Nimis vil' eſt vinum atque amor,

Si ebrio atque amanti impunè facere quod lubeat licet.

Virtutum mater, Sobrietas eſt. Quid ergo? Accuſator, imò caſtigator adſum; ſed, nequis erret, vinolentiæ, non Iuventutis. Et nos ſcimus, voluptates, cùm modum tranſſcenderint, pœnas eſſe; cavemus. Si qui negligunt, & furoris habitu à ſe cottidie exulant, Belgici nominis & laudis exſortes ſunt. Aliquos eſſe non nego; ſed privato vitio, à quo nulla infamiæ nota publicis moribus adhæret. Quid malum! unus aut alter, aut plures etiam, ſuis tenebris univerſæ Iuventutis gloriam involvant? Aureum illud Solis jubar deliquio maculatur, & pallida Lunæ facies noctis colore tingitur: nubes ipſæ ætheris benignitatem remorantur: nemo tamen aut Solem, aut Lunam, aut cælum reprehendit. Quidquid in univerſitate pulchrum, defectum aliquem admittit: & noſtra hæc Iuventus. Sed obſecro, ut in peſſima quæque ſtudium novitatis tra-

trahit! certare poculis magnificum, vincere glorioſum inprimis advenæ putant; & qui accuſare vitia noſtra abſentes ſolent, cùm advenerunt, exercent. Etiam horum inſaniæ adulabor? Cæli & ſoli quadam culpâ fit: & à regionis temperie conſuetudo. Nam ſi curioſiùs ſitum climatis naturámque luſtramus, poculorum uſum etiam ſobrietas producet. Etenim frigida & ſterilis hæc aura, quæ à ſpirante axe conſtringitur ac rareſcit. Turbidas aut nubiloſas fæces excernit Aquilo; & ſic conſtrictus aër alimentum à vicino elemento haurit: pariter corpora humana, à cælo & aëre affecta. Nam velut exhauſta & ſuccicupida, ad omne poculum robuſtam ferunt ſitim; quódque mirandum; ipſo frigore æſtuant. AEſtuat nunc etiam LAVDATIO mea, longo dictorum ambitu, velut flexu. Succrevit enim cum ipſo encomio Iuventutis, etiam Virtus, velut con-

termina ſeris caniſque rugarum annis. Intrà fines igitur cohibendus hic impetus, ne extra ætatem laudes producam. Non enim quæ fiunt egregiè, ſed quando fiunt, explicanda. Ideoque ſiſtet vocem meam Iuventutis ætas; Laudem tamen ſuam non ſiſtet. Felix Virtutis impetus, qui annis non clauditur; inverecundus Vocis, niſi clauditur. Non quæcunque dici poſſunt, dicenda; ſed quæ decorè ac modeſtè dici. Id facio, & anhelantem per longinqua virtutis veſtigia Suadam, intra ætatis laudandæ fines compeſco. Minus dixiſſe turpe non erit, cùm etiam tacuiſſe quædam, Famæ opinionem extendat. Audet alienæ ætatis facinora Iuventus; quæ ſi laudo, aliam laudare ætatem videar. Audet tamen, tamquam ſua, imò tamquam ætati conjuncta; & ſimul florere quis ingenio cœpit, maturuit. Nemo annos exſpectat: vernanti etiam fronti ſeveritatem animus compoſitus imperat, Iudiciúmque Natura, priuſquam

uſquam corpus, firmat. Putes in Bonam ætatem dignitatem ſenii cadere. Quid mirum? in Belgica Educatione atque Inſtitutione, ut prima cura animi; ſic quoque maturitas. Tamquam corpus ſatis anni provehant, pars illa melior omni induſtria nutritur. Arbiter eſto, quiſquis voles, quos Iuvenes cenſeas, Senes ſunt: eâ tamen modeſtia atque induſtria, quaſi in rudi adhuc virtutis limine conſtituti. Hoc pulchrum, diſcere pulchra, cùm acquiſieris; exercere, ne fruſtra didiceris. Sic ætate ſua Iuventus non contenta, ſenilem adfectat; & cùm annos non poteſt, mores exprimit. Paucis: quod Natura negavit, Virtus impetrat cúmque diutiſſimè vivitur, non perfectiorem, ſed diuturniorem Virtutem habemus; Laudem verò pro augmento ætàtis. Nam non remittere vires, cùm firmaveris, arduum; ac pæne difficilius ſiſtere in culmine greſſum, quàm ferre. Lucretii abſolutum dogma eſt:

Sed nil ſuavius eſt benè quàm munita tenere
Edita doctrinæ ſapientum templa ſerena.

Hoc igitur decumanum Iuventutis elogium, Priùs Virtutis Doctrinæq; ornari ſenio, quàm ætatis; ſed nullo ætatis declinare. Tenete hanc viam ô Ivvenes, imò hanc mentem, veræ & indelibilis Famæ ſecuri. Bonam viam bonus ille æternuſq;, quē audiſtis, oſtendit, mentem Natura: ut non minùs facile quàm glorioſum videatur, tenere. Etenim ſequi Naturæ ductum, facile: boni doctoris, glorioſum. Inſevit illa primum Virtutis ſemen, Verecundiam, hic eduxit; dedit illa ingenii vires, hic auxit: omnem illa oſtendit honeſti rationem, hic edocuit. Breviter: univerſam hanc Lavdationem meam utrique illi debetis. Nam eloquium quid ego hic vano ſchemate jactem? Facilis in uberi argumento oratio eſt. Rem verbis ſecutus ſum, & velut qui ſterili imitatione præfixos

ducunt

—-ducunt è marmore vultus,
Inventione abſtinui. Quid laborioſo acumine plauſum ingenii capto? ut ſpeculum, ſic elogium eſt: quam capit imaginem, reddit. Boni, docti, prudentes eſtis? tales laudo: ingenioſi, induſtrii, elegantes? tales orno. Dictionis meæ limites, veſtræ dotes. Alibi læto liberóque motu vagatur elocutionis calor, & luxuriat: cùm laudes pangendæ, caſtis ſobriiſque exempli ſui lineis coërcetur. Ego quidem circumferre Famæ hanc facem poſſum, accendere non poſſum. quanta ſeu gentis, ſeu ætatis cujuſque virtus, tanta lucet; niſi diffuſiore aliquando radio, cùm, remotis ſilentii nebulis, gloriæ viam ſcriptores laxant. Vos quales eſtis, ô IVVENES, eſte, id eſt, quales deſcripſi. Eritis autem, ſi & benignæ Naturæ auſpicio, & magni Doctoris ductu, & nunc LAVDATIONIS hujus velut claſſico animi oriſque rebellantem barbariem ex omni vi-

tæ doctrinæq; commercio depellatis. Non jam domanda, ſed delenda inertis ævi vitia ſunt, ſæpius victa, & incruentis Philologiæ armis magnũ Apollinis regnum conſtituendum. Irrito voto ſcientias diſcimus, priuſquã linguas; & animi exuimus ſquallorem, quàm oris. Magna profectò pars mentis, eloquium eſt, magna ſtilus. Vtroque opus, ut ſupra ſordes ineptiáſque dignitas bonarum artium provehatur; imò utroque opus, ut in Rempub. ſe fructus Athenæi noſtri extendat. Vana ingenium diligentia fatigant, quos immatura magnarum ſcientiarum cupiditas à Muſarum contubernio abſtraxit. Hic Naturæ ordo, imò neceſſitas, ut è flore fructum ſperemus: idem in artibus, quarum pars illa, quæ Mercurium & Philologiam ſpectát, amœna, florida, & maturitatis velut parturiens quædam origo. Nec præmittenda ſolùm ſcientiis Litterarum amœnitas, ſed miſcenda: tamquam Naturæ exemplo, quæ feraciſſimos campos, & flavam illam Cereris faciem

ciem non una colorum venuſtate diſtinxit. Muſarum fontes perennes ſunt, ut in omni ætate, in omni arte libes. Quid opinione decipimur? Sacra, Iura, & quæcumque altioris notæ ſtudia his fulcris nituntur, his deliciis ornantur. Vt rorem & imbrem (ad Naturam iterum eo) etiam adultæ ſegetes poſcunt: ita ſcientiæ Litteras. & extrema quoque ſenecta non minùs ſucco quàm cibo opus, ut alamur. In omni convivio, cui Hilaritas præeſt, poculis fercula irriganda ſunt: & Philologiæ illo nectare magnarum artium ſiccitas aut ſeveritas. Ego nunc vobis, ô IVVENES, poſt magnum æternúmque virum, Promus, ut ita dicam, à Sereniſſimis PRINCIPIBVS, ORDINIBVSQVE conſtitutus, illius, è Muſarum penu delicias daturus ſum. Volentes eſte, frequentes eſte; nec magni illius Doctoris alumnum audire pigeat. Non, quia ille Scholam, urgente fato deſeruit, Litteræ nobis deſerendæ. Cùm Sol receſſit, in noctis præſidium nova lumina Natura accendit

dit. Sed Naturæ exemplum Patria expreſſit, ne illunem planè noctem Litteræ haberent. Hoc agite, hanc vincite, & è vobis ſidus aliquod date, quod redivivum humano generi diem reducat. DIXI.

Digitized by Google

ORATIO X.

LAVDATIO

FVNEBRIS IVSTI LIPSI,

Die anniverſario habita.

QVOD alibi conſuetudo, hîc pietas SOLLENNE facit, AVDITORES, luctúmque publicum ferali pompa inſtaurat, necdum remiſſum. Etiam funus nobis æternus ille LIPSIVS eſt, magnóque vulneri continuus quoque dolor adhæret. Sed quamvis adhæreat, nova, &

Annua vota tamen, ſollennéisque ordine pompas
Exſequimur, ſtruimúſque ſuis altaria donis.

O de-

O deſiderium extincti! redimus ad luctum, quem nondum poſuimus; ad lacrymas, quas nondum abſterſimus. Non hæc SOLLENNIA, ſed PERENNIA ſunt, & magnis, heu! LIPSI unius Manibus debentur. Etenim,

Ex quo relliquias, diviníque oſſa parentis
Condidimus terrâ,

in ſquallore fuimus, Iuſta IVSTO fecimus, laudes diximus, non more, ſed mœrore. Quaſi totius anni funus fuerit, exequias ivimus; & quem quotidie planximus, quotidie ſenſimus mori. Semel LIPSIO parentare, ſatis non fuit: nec ſemel laudare, ſatis. Primus id fecit, piiſſimo vocis obſequio, Clariſſimus Iuriſconſultus, & Anteceſſor, GERARDVS CORSELIVS, & in hoc ipſo loco. Alii deinde, ſed alibi. hic familiam, ille vitam, iſte famam & ſcripta, diviſo veluti eloquii penſo. Totum LIPSIVM nemo potuit, nemo poterit, niſi

redeat

redeat, faciátque ipſe qui extinctus. Laudari tamen vel ſic debuit; ut cujus encomium mortales nulla ingenii felicitate queunt implere, ejus faciliùs exemplum admittant: hominem ſupra homines poſitum non detrectent imitari. Nemo quem agnoſcit parem, ſequitur: veſtigia placent, cùm ſuſpicimus. In LIPSIO verò ſumma omnia, ſummus ipſe: quem exprimere ideò omnes velint, quòd nemo poſſit. integrum nempe, & ſine æmulatione cuique exemplum, quia nemo attingit. Laudari igitur debuit, & hîc potiſſimùm, in meditullio urbis, & Divi Tutelaris æde, ubi tumulum, ſi non habet, habere meruit. Etenim mos vetus urbium Conditoribus ἀμφίπολον τάφον in meditullio dabat: ſed alter Academiæ velut Conditor, conſenſu Belgarum LIPSIVS audit. Item, in urbe, adeóque foro, præter conſuetudinem, unus olim Trajanus ſepultus, quia optimus Imperatorum: cur non & hoc exemplo noſter ille, quia optimus Eruditorum? Contempſit, imò rejecit hunc honorem, quem ni-

hilominùs invenit. Tumulũ hic quoque, quia Encomium habet; & tota urbe ſepultus jacet, qui tota urbe, imò toto orbe claruit. Ergo jam adeſte glorioſi Manes, vocis quoq; meæ pietatẽ excipite, qua inſtaurare juſſus ſum funebrem repentinę Laudationis honorem. Sanè niſi juſſus, tam repentinus eſſe nolim. Iuſſus autẽ, quia rogatus; & ab iis, qui jubere poterant. Apud Athenienſes olim, referente Cicerone li. III. de Legib. *nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi qui publicè ad eam rẽ conſtitutus eſſet, dici licebat.* Hanc legem dictam mihi cenſui; nefas autem, cujuſquam exemplo violare. Nam initiò, fateor, Silentio, non Encomio ornare hæc ſacra animus erat, ſciebam pietate potiùs, quàm facundia Manes delectari. Quia verò & Laudatione indicare ad fectum juſſus ſum, rogatúſque, ne infra Iuventutem LIPSIVM haberem, promptus adſum magis, quàm paratus, uti morem geram. Vos adeſte quoque & cognoſcite, quanto difficiliùs LIPSIVS, quàm Iuvẽtus; Virtus quàm indoles dicatur.

Ego

Ego certè ut pietatē meam probem, oratione potiùs, quàm ſilentio peccabo; & malè laudabo LIPSIVM, quàm tacebo. *Augeatur igitur (* verba Ciceronis uſurpabo Philippica x.) *iſto etiā honore (* honorē certè adfectus facit) *is vir, cui nullus honor tribui non debitus poteſt. grati ſimus in ejus morte decorāda, cui nullam jam aliam gratiam referre poſſumus.* Dabo Lacrymas, dabo Laudes: etſi neſciam, utrę magis in proclivi. illas volo, iſtas reddo, magni doloris indices, ab animo velut fonte. Vos ſinum pandite, ſive mavultis urnulam: adfectū excipite; ſed veſtrū miſcete, qui vidiſtis, qui amaſtis LIPSIVM, & quibus ille bene voluit aut fecit. A lacrymis ordior, & præficam lugubri carmine Muſam ipſam facio, iterumq; facio, ad tibiam, ſed ſine tibia canentem. Ergò querula voce NENIAM repetamus.

Lætam, Muſa, Lyram doloris udo
Conde murmure: Tibiámque prome
Aptam lugubribus Sacris, modisq;.
Gratæ nunc Pietas obire mentis
Suadet officium, Fidesq; ſuadet;
Mæſta voce, Stilóque. nam ſuëtas

 Odit

Odit delicias Loqnela; amatas
Odit delicias Tabella, & hornis
Vrgetur lacrymis. nec ſunt Loquelæ
Iſtæ deliciæ, nec ſunt Tabellæ
Iſtæ deliciæ: at Feraliorum
Atrâ imagine vulnus, atque funus
Heu! magnum, miſerum, atque luctuoſum
Hæc Tabella refert, refert Loquela.
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimúſque; Muſæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetuſtæ;
Ille MORIBVS *inclytus* VETVSTIS:
Orbum lumine qui reliquit orbem,
Orbum numine qui reliquit orbem.
Lumen nam fuit ille Litterarum,
Numen & fuit ille Litterarum:
Ipſe, Muſa, Minerva, Suada, Apollo:
Heu! THALESQVE *meus, Paterq́; ſancto*
Doctrinæ melioris inſtituto.
Duram ô præcipitis neceſſitatem
Fati! quæ violenter æviterni
Carpit exuvias Viri Deiq́;,
Carpit exuvias mei THALETIS.
Quis deſiderio pudor modúſve
Tam cari capitis, Viri Deiq́;,
Tam cari capitis, mei THALETIS!
Largo proluitur dolore pectus,

Largo

Largo proluitur dolore cera;
Et ſulcos tremuli ſtili, frequentes
Preſſi ſtillæ animi replent, PIVMQVE
Laborem violant. Quid ergo? ceſſo:
Nec totum Tabula hauriet dolorem.
Vos mecum querulam mei SODALES
Vocem fundite, quotquot eſtis, omnes:
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus, Optimúſque; Muſæ,
Et Suada, & Sophiæ decus vetuſtæ.

Sed nunc induciæ paulliſper doloris ſint, dum animum colligo, laudéſque pango, velut ex uberi meſſe pauculas ſpicas, in ſolatium; ſive etiam exemplum ævi. Nequis Hiſtoriam exſpectet; Orationem orſus ſum, ſed qualem infelici eloquio, obſitum ſingultibus pectus ſolet eliquare. Cur excuſem? equidem in dolore ſum; nec verè ſim, niſi & eſſe Laudatio videatur. Quem enim lugeo, laudo: & ſic parcendum laudibus, ut dolor minuatur. Ita parcendum; ſed hactenus, ut compendium ſermonis, non adfectus ſit, nulla injuria Famæ. Pleno elogio, cùm nomino LIPSIVM, laudo; & totum noſcit, quiſquis audit.

Aliis magni, & amicti cedant tituli, quibus iners, nec pro fama mens eſt; ceruſſa & fuco vultum, fraude animũ mentiantur, quibus colorem natura negavit. Sine titulo LIPSIVS magnus eſt; ſine ceruſſa elegans; à ſe clarus, quia perfectus, & quem ævi noſtri Socratem mortales indigitent, niſi meliorem Socrate majorémque didiciſſent. Sed hoc, remota invidia, Poſteri magis dicent, vix crédituri, caneſcentibus demùm Naturæ annis, tantum Virtutis decus affulſiſſe. Altioris Genii virum, ævi quoque facient; & quem vixiſſe MORIBVS ANTIQVIS intelligent, Antiquis quoque natum temporibus putabunt. Ille verò exemplo ſuo oſtendit, perennem Naturæ fœcunditatem & æternam eſſe: omni ævo naſci viros bonos, non vivere. Ad virtutem natus, virtutem coluit: vitæ finem huc direxit, & vivendo pervenit. Prima & florida ætas, cùm ingenium vernaret, Muſarum fuit; ſumma Sapientiæ: & utramque celeri greſſu Fama inſecuta. Clarus eſſe LIPSIVS cœpit, etiam cùm latere ſe cenſuit:

ſuit: Nomen priùs invênit, quàm quæſivit; quaſi auſpicio quodã Doctrinæ jam tum ſciri debuerit, qualis quantusq; futurus aliquãdo eſſet. Sed nunc fuit; & eſſe tamen numquam deſinet. Magnus, imò maximus fuit; ut eſſe apud omnem Poſteritatem pergat. Quot libros (non enim liberos,) tot imagines ſui reliquit, quas nulla umquam annórum ſeries abolebit. In CRITICIS, Ingenium, Iudicium, Eruditionem admireris: in EPISTOLIS, Candorem, Modeſtiam, Humanitatem: in POLITICIS, Prudentiam: in CONSTANTIA, Sapientiam: in omnibus, ut paucis abſolvam, LIPSIVM, id eſt omnis perfectionis apicem, hominis Phœnicem, Litterarum Principem, Virtutis Dictatorem. In ſcriptis igitur vivit, imò vivet: & qui Filios non reliquit, Poſteros tamen habebit, ingenii velut heredes & doctrinæ. Quod Natura negavit, dedit induſtria. Sanguine eſſe æternus non potuit; ingenio erit. Divitias reliquit, quibus longùm fruatur Poſteritas; nec tamen ſatietur. Hiſto-

riæ deſiderium pleroſque torquebit; & noſcere tempora Majorum volent, Lipsio ſcriptore. Sed hunc ille laborem prudentiſſimo conſilio ultimę & maturrimæ ætati ſepoſuerat, tamquam optimum, tamquam decumanum. Hæc ſtili velut bellaria atque ſcitamenta Æternitati promiſerat; & niſi ſummo rerum humanarum Arbitro, &, ut ita dicam, Stratego aliter viſum, poſuiſſet. Sed quid eſt? adornavit Hiſtoriam, non exhibuit: incohavit, non abſolvit: & brevi illò ætatis curriculo ad tantæ virtutis faſtigium evectus fuit, ut ſcribi, non ſcribere, meruerit; laudari, non laudare: cùm laudis materiam dare faciliùs poterat, quàm accipere. Itaque cùm inceperit Hiſtoriam, gratiam deſtinationi debemus, quòd perſcribere voluerit; veniam ſorti, quòd non potuerit. Nam finge, retardata fati neceſſitate, inter mortales diurnaſſe, annorum numerum ad dexteram veniſſe; imò & librorum: profectò non expleſſet tamen, ſed irritaſſet deſiderium bonorum; & melioris alicujus ſcri-

ſcripti ſtamen Parca incidiſſet; Fata fanda, imò ſcribenda abrupiſſent. Quieſcat igitur, qui vivus non quievit; & vitæ finem, etiam laborum habeat. Nos verò, ſi expleri libris non poſſimus, legamus oſſa, quódque promptiſſimum ſolatium, à ſcriptis ad auctorem ipſum mentem reflectamus. Etenim Poſteri nobis hanc felicitatem invidebunt, quòd viderimus, quòd audiverimus LIPSIVM: imò rerum Naturam accuſabunt, quòd tantum virum produxerit mortalem. Virum; quem aut omnibus ſeculis naſci oportuit, aut certè numquam denaſci. Colent igitur memoriam Poſteri; nos ſimul imaginem: niſi & nos jam Poſteri, poſtquam præſentia ſuaviſſimæ vocis vultúſque orbati. Sed hæret in oculis animiſque, non tam imago quàm LIPSIVS; & quem vidimus, quem audiimus, abiiſſe non arbitramur. Abiit verò, non dicam obiit; & ipſis quoque obtrectatoribus (ſiqui fuêre) carior clariórque, quia abiit. Quippe

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quærimus invidi.
In remota & longinqua liberum adſpectum mortales mittunt, quietum adfectum. Quantus, quantus erat LIPSIVS, ſciri niſi à morte potuit. Sed ô præpoſterā humanæ mentis conditionem! non amare, cùm licet; frui velle, cùm non licet. Verè ita eſt:

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Nos habuimus LIPSIVM, quem nunc demùm noſcimus poſtquàm habuimus. Habuimus, quem prece & pretio emere, ſuumq; facere conati, quotquot Principes; imò quotquot Academiæ in Europa. Ille ſprevit aut neglexit: Patriam antehabuit: vivere Lovanii voluit, uti moreretur. Felix igitur iſta humus, quæ tanti viri corpus in ſinum ſuum recepit! felix, cui cineres ipſi lumen dabunt & æternitatem! LIPSIVM quidem urbs iſta non genuit; ſed tamen fecit, quia erudiit. Agnoſcit etiam ille parentem ſuam, & cùm ingenium non potuerit, in vicem, claras corporis ſui exuvias reli-

reliquit. quà hærere potuit, noſter eſt; & in urbe hac conſpicuus, quam incoluit. Non tam ubi quis incipit vivere, quàm ubi deſinit, natus eſt: non cùm ſumit animam, ſed cùm ponit, aut potiùs reponit. Nam quem nos ultimum vitæ diem vocamus, novæ & duraturæ natalis eſt. ideóque non naſcentibus, ſed denaſcentibus (ut ego quidem reor) monumenta & ſtatuæ ponuntur: & ſapientiſſimo ritu olim Thraces hominum dies Natales luctu & ejulatu, exequias gaudio & hilaritate proſecuti. Vivendum eſt, agendum eſt, ut Patriam mereamur. Lycurgus, ut eſt apud Plutarchum, Inſtitutiones Laconicis *abolevit & Inſcriptiones mortuorum, niſi ſiquis in bello cecidiſſet: item luctus & ejaculationes.* O prudentiam Legiſlatoris! neſciri volebat, & inter non cives, imò inter non natos haberi, qui pluris vitæ uſuram, quàm memoriam feciſſent: incunabula, quàm ſepulcra. Quaſi Spartani, non Natali, ſed Emortuali cenſeri debuerint; non accipere Patriam, ſed facere; ne tanti nominis dignitas,

tas, ſorti potiùs quàm Virtuti deberetur. Patriam igitur in hac urbe LIPSIVS, quia ſepulcrum habet; & magnam vita, maximam à vita Famam exorſus. Si imagine licet uti, Diogenem liberrimi oris Philoſophum, & LIPSIVM verecundiſſimi componam. illum è dolio, hunc è tumulo; & utriuſque vitam, aut vitæ potiùs pretium arbitrabor. Diogenem Alexander cùm apricantem Corinthi vidiſſet, acceſſit; & Regiæ liberalitatis opem jacenti obtulit, ſiquid peteret. Ille verò, *Hoc peto,* inquit, *ne quid eripias. Solem redde, quem intercipis.* Reſponſum Rex admiratus, imò veneratus, purpuram tot regnis victoriiſque nobilem cum pannoſo palliolo, Regale ſceptrum cum Cynico baculo paravit. infra ſapientiam diadema habuit, pænè parem Alexandro Diogenem. Vox ejus apud Plutarchum, Oratione II. de fortuna Alexandri. Iterúmque, de Exilio: *Niſi Alexander eſſem, eſſe Diogenes vellem.* Sed ad noſtrum veniamus: à Cynico ad Stoicum, à Græco ad Belgam, à Phi-

Philoſopho ad Sapientem. An igitur & ille Alexandrum ſuum habuit? Imò PHILIPPVM, optimum maximúmque Regum, nec unius orbis Monarcham. Majorem illo MAGNO; quippe cujus votum imperio noſter ſuperavit. Adſit novus Anaxagoras, novóſq; & infinitos conſtituat mundos: nos dedimus, aut dabimus, qui ſubjiciat ac regat. Quanti igitur LIPSIVM PHILIPPVS fecit? quanti Diogenem Alexander. Æſtimavit Virtutem viri, Doctrinam, Prudentiam; & quem ſubditum habuit, etiam Amicum voluit, *Imperiúmque Lipſiano minus nomine ſe habere* confeſſus eſt. Non quidem Alexandri imitatione, Alexandri illud expreſſit, *Niſi* PHILIPPVS *eſſem, eſſe* LIPSIVS *vellem*; ſed indicavit. & alium dare PHILIPPVM poterat, LIPSIVM ne quidem promittere. tantò facilius eſt, Regni heredem, quàm ingenii naſci: ſceptrum, quàm ſtilum verſare. Imò tantò facilius, parem ſtirpi filium accipere, quàm factis ſcriptorem. Aut Electio Regem, aut Succeſſio

ceſſio facit; utraque bonum, ſi utraque bona. Nos verò gratulari ævo poſſumus, quòd in maximo orbis ſolio iiſdem virtutibus ſedentem Filium videmus, quibus & Patrem vidimus: quòd in Filio Patrem recepimus, bonum illum, clementem illum PHILIPPVM. LIPSIVM igitur PHILIPPVS Pater, LIPSIVM PHILIPPVS Filius amavit, æſtimavit, admiratus eſt: &, faciente inclyto illo Principe ac Heroë FONTANO, Virtutibus Victoriisq; æterno, Hiſtoriographum Pater ſuum fecit, Filius habuit: ſed habuit, & maximum unà regni ſui decus amiſit. Ille decus; nos ſolatium, nos exemplum, ſive Rempublicam, ſive Academiam intueamur. Erat enim

—doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', ſuo contẽtu', beatus,
Sceitu', ſecunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens anteiqua, ſepolta, vetuſta;
Quai faciunt mores veteresq; novóſque tenentem;

Molta-

Moltarum veterum legum, DIvómque hominúmque (poſſet.
Prudentem, quæ multa loqueive tacereve
Sed quid ago? dum elogium orno, dolorem exulcero. Laudibus Lacrymæ cientur, ſemel repreſſæ. Aliò igitur flectenda oratio; & hûc potiſſimùm, ut ſupereſſe videatur, qui extinctus. Vivit enim, &, abjecta mortalitatis ſarcina, ad originem ſui reverſus eſt. vivit, & ſupra omnem invidiæ nubem poſitus, fama fruitur quam meruit, felicitate, quam quæſivit. Sine nocte mortales diem non habent; nempe *infimi aëris iſta vices ſunt*: nec ſine calumnia vitam, licet optimam; ſic variæ aut iniquæ fluctuantium judiciorum voces ſunt, & laude contemtúque virtus viventis cingitur, velut luce & umbra. Immortales animæ liberum & ſine labe diem habent, cùm ſine labe emigrarunt. Novæ autem hujus æternæque lucis lætiſſimo auſpicio, cadaver induitur, etiam veteri Romanóque ritu, ut Plutarchus ſcribit, Quæſtion. Romanis, cùm involutum albo tegmine ſive ſin-

ve ſindone placuit terræ mandari. *Corpus autem hoc modo veteres ornabant* (Plutarcho teſte) *quia animam non poterant, quam puram volebant illuſtrémque proſequi, tamquam, peracto difficili varióque certamine, jam dimiſſam.* Sed quantò ſatius præſumere ſibi & præſtare pietatis hoc officium, & puræ vitæ lumine animum ipſum, caligine ſeptum corporis, irradiare! Vt Magi olim, pari ferè ritu, adverſus Plutonem & tenebras lucido & illuſtri amictu ſe muniebant: ſic viri Dei cupidi, adverſus mortalitatis horrorem ſe debent, Doctrina & Virtute. niſi faciunt, omnis vita mors erit, oblivio omne nomen. Inter homines homo paret Virtutis præſidium, quo, cùm deſierit eſſe, nitatur: adfectet Doctrinæ præmium, quod cineres ſequatur. LIPSIVS verò tam divina mente, tam ſedulo conatu fuit, ut qualem vitam, talem etiam famam habuerit, dum vixit; paucorum, ſed malorum vaniſſimis offuciis tentatam quidem, non violatam. Virtute & Modeſtia vicit calumniæ machinas,

&

—& per obſtanteis catervas
Explicuit ſua victor arma.

Virum divinum viventes viventem confeſſi ſunt, & hominem homines velut numen aliquod admirati. Etiam legit ſcripta de ſe elogia; imò libros, & *Poſteritati ſuæ interfuit*, vita mortalis, at fama immortalis. Sed iſta prælibatæ æternitatis dulcedine correptus, non corruptus, ad perfecta Virtutis præmia, anhelabat. Quid multis? tranſlatus eſt, & vivere iſthîc cœpit, ubi nunquam deſinet; clarere, ubi *nulla ſerenum umbra turbabit.* Oculis aut mente illuſtrem cæli imaginem uſurpate, & ſidus aliquod putate LIPSIVM, vicinum Deo, & magnis virtutum radiis coruſcum. Iſthîc eſt; hîc tamen reſplendet: & hoc jam obſcuriores hi cerei, hæ faces, quòd in tam illuſtris viri dolorem luceant. Pro cereis facibúſque Elegantiæ Lipſianæ jam poſtumæ ſunt, quibus vel feralis iſte lugentis Academiæ color expugnetur. Imò pro cereis facibúſque ipſum cælum eſt, purum clarúmque à novo & horno iſto ſole. Radios

mittit adulti caloris, ut, geſtiente velut Hora; felicitatem ſuam mortalibus declaret; lacrymas verò noſtras, ſiquæ naſcantur, reprimat; ſiquæ manent, exſiccet. Colligit faciem ſuam ipſa rerum magna parens Natura, nubibus & imbribus nuper deformatam. Faciem, inquam, ut nos animum; & ſeriò tandem vivere eum diſcamus, imò lucere, quem lugemus. Itaque abſit dolor,

Abſint inani funere neniæ,
Luctuſq; turpes, & querimoniæ:

Inter Beatos confidet LIPSIVS; & qui ima deſpexit, meruit ſumma: qui Stilum & Sapientiam coluit, Divinitatem impetravit. Etenim, ſi fas ſcribendo, imò

Si fas vivendo cæleſtia ſcandere cuiquam
eſt,
Huic ſoli cæli maxima porta patet.

Ita dico, ſcribendo, & vivendo. Tales enim viri Mores, quales Libri: tale exemplum, quale dogma: ut ſcripſiſſe moribus, vixiſſe libris; docuiſſe exemplo, præiviſſe dogmate ad honeſta omnia videatur. Præclarum meher-

herclè, bonum eſſe, doctum eſſe: ſed præclariſſimum alios facere, cùm ipſe fueris. Vterque fuit LIPSIVS, & utrumque fecit: Beneficium agnoſcamus, geminóque Laudis ſerto monumentum ejus coronemus; &, quòd perenni induſtria ſtipaverit divinum ſapientiæ cenſum; &, quòd ſtili vocisque libertate; & liberalitate in omnem Iuventutem ſparſerit. Modeſtiam, an Pietatem vocem? hoc totam ætatem conatus eſt, ne ſolus LIPSIVS eſſet; quamvis plures eſſe Natura negaviſſet. Nimirũ hanc ille ſtatuam, hanc imaginem adfectabat, ut in Auditoribus ſuis, Lectoribusq; cerneretur. Sed profectò divinus ille tanti viri animus omni imitatione major, extra ſe imaginem ſuam non invenit. Dare LIPSIVS Lipſianos potuit, Lipſios non potuit. & ſicuti uni Soli æterni luminis beneficium ſtellæ omnes debent: ita ſoli LIPSIO genus humanum rectam & inſtauratam bonæ mentis Diſciplinam. Plures nunc prodeunt micantq;, accenſis velut ingenii radiis, poſtquàm unus ille oc-

cidit; qui latere tamen maluiſſent, ut unus ille luceret. Deus noluit: diem mortalibus ſubduxit, ut velut in noctę ſublucentium ingeniorum imbecillitas notaretur. Quidquid ſit: ſiderum quoque radii à Sole ſunt: & à LIPSIO, quicumque ſive docent hodie ejus exemplo, ſive ſcribunt. Siderum, ſi non lumen, motus tamen & circumvolutio eadem eſt quæ Solis: Docentium, ſcribentiúmque labor & deſiderium idem quod LIPSII, ſi non Fama. Sic igitur laudo LIPSIUM, quem ſequor: neque ideo, quia ſequor. Inſignis virtus laudem poſcit, etiam ab ignoto; ſed Poſſeſſor virtutis laudem negligit, poſcit imitationem. Sequar Poſſeſſorem; nec dicam laudes, ſed exprimam: tametſi exprimendo dicam. Magni enim viri cujuſque conditionem perfectiſſimè celebrat, quiſquis imitatur; cùm in exemplum facta veniunt, atque etiam ſcripta. Sed Lipſiana veniunt: ideo magna, quòd difficulter exprimantur: imitanda potiſſimùm, quia magna. Ita, ita, magna ſunt, quæcumque

aut

aut fecit LIPSIVS, aut dixit; magisq́; nunc erunt, deſiderio extincti: imò magna fuit Academia iſta LIPSIO, & erit (verum augurium ſit!) deſiderio extincti. Etenim, ſi annorum imago repetitur, jacentes vir optimus adventu huc ſuo artes erexit, languentes roboravit, exulantes reſtituit: ubi ſolitudo erat, frequentiam induxit. Longiſſimis itineribus, velut ad glorioſum ſeculi ſpecimen confluebat Iuventus, ad Apollinem Muſæ. non provinciæ unius, ſed orbis Academia videbatur: imò & videbitur, ſi verum & perennem adfectum induamus, LIPSIVM fuiſſe LIPSIVM oſtendamus. Non ad pulpitum dicentis ac docentis; ſed ad tumulum jacentis & quieſcentis concurſus erit. Legere LIPSIVM quiſque volet, ubi ſcripſiſſe intelliget; cogitare, ubi quandoque docuiſſe. Libare veſtigia ſuave erit; pium, præſenti adfectu tanti viri cineres venerari. *Movemur enim* (ut Attici ſententia utar) *neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia.*

ſtigia. Exemplum ipſius Attici videamus: *Me quidem*, inquit, *illa ipſa noſtræ Athenæ, non tam operibus magnificis exquiſitisq́ antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum virorum, ubi quis habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſeq́ eorum ſepulcra contemplor.* Fiet in LIPSIO, quem tanti ferè eſt, conditum Lovanii, quanti docuiſſe. Non tumulum, ſed Pharum lucentē cenſeo; & hoc ſplendore ad trãquillitatem bonarum artium Iuventutem undequaque convocandam. Quid, quòd ipſe monumentum ſcripſit? & in ipſo ſepulchro loqui voluit, ut etiam extinctus doceret? Audite vocem, quam legiſtis: vocem, quam exteri omnes poſteriq; legent, velut à Sapientia ipſa profectam. verbis tumulum transferam, & legere epitaphium pietas mea audebit, ubi inciſum non eſt; colere monumentum, ubi poſitum non eſt: ut inciſum, ut poſitum hîc quoque videatur. Verſiculi pauci, ſed de LIPSIO, & LIPSI ipſius ſunt. Qui viventis aliquando vocem audiſtis, extincti nunc quoque audite.

Quis

Quis hîc ſepultus, quæris? ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & ſtilo & lingua fui;
Nunc altero licebit. Ego ſum LIPSIVS:
Cui litteræ dant nomen, & tuus favor.
Sed nomen. ipſe abivi. abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA *fumus, umbra, vanitas,*
Et ſcenæ imago, & verbo ut abſolvam,
NIHIL.
Extremùm hoc te alloquor:
Æternùm ut gaudeam, tu apprecare.

Apprecemur AVDITORES; etſi gaudeat: apprecemur, & annuo voto, non acerbum deinceps luctum, ſed

—cuncti lætum celebremus honorem.

Lætum dico; tametſi in leto: quia verè lætari à leto ipſe cœpit, & ἀποθέωσι ſua frui. Vos autem ejus quondam amici aut cultores, non jam lacrymas, ſed flores ſparſum ite quos amavit. Tumulum LIPSI, hortulum videri, fas eſt: & inter odorum ſuavitates frigida illa Muſarum oſſa cubare. Sic vale, vale, vale LIPSI: nos te

Naturæ ductu, cùm Deus evocaverit, cuncti ſequemur. DIXI.

ORATIO XI.
DE LIBRIS, ET LIBELLIS:

Præfatio in Taciti Germaniam.

CVM Vere novo, & felicibus anni ridentis natalibus, vetus nunc vobis munus adfero, Auditores; munus inquam adfero; ſed voce, non manu: & quod auribus animisq; capiatis. C. CORNELII TACITI Germania eſt, illa Candoris, Fidei, Virtutis olim & nunc regio, quam philologa interpretatione peragrare conſtitui: noſcere & tradere quidquid in ampliſſima illa terrarum alio ævo fuit. Nemo opinor rationem conſilii mei preſſiori examine

mine urgebit;& verba ex ſupervacuo exiget: ego tamen,ne tacito auſpicio ordiri Tacitum videar,& tanti auctoris, & tantilli libri cauſſa, pauca quædam præfabor. Audite, & ſilentii benignam operam date: oſtendam non indignum eſſe viro magno exigua ſcribere; nec alienum à munere noſtro fugitivam priſcæ, patriaéque Antiquitatis memoriam percurrere, in qua nec Eruditio, nec Latinitas deſideretur. A Romana igitur Hiſtoria ad Germanicam,à Salluſtio ad Tacitum tranſeo: ſi auctorem ſpectamus, cum nullo ſermonis aut elocutionis damno: ſi materiam,cum nullo doctrinæ.De auctore nihil opus nunc quidem dicere;notus eſt,in manibus eſt,in ore hominũ,in uſu ævi. Scholæ & Bibliothecæ paſſim familiarem, & velut vernaculum hunc Scriptorem habent. Nec quiſquam fuit,qui majori aut animo, aut etiam fructu Hiſtoriam concinnavit,quæ quidem noſtris hiſce temporibus aptaretur. Artes,fraudes,vitia in toto illo Hiſtoriæ corpore legimus, & quidquid in iſta

Virtus & Conſtantia poſſint. Paucis: Rerum humanarum momenta velut in exemplum Tacitus expendit. Sed noſtrum hoc tamen, quod ſumpſimus argumentum, peculiare eſt; nobis & origini quoque noſtræ aptum: *De ſitu, Moribus, & populis Germaniæ* Liber eſt, an Libellus? ſed qui tanti Scriptoris famam nullatenus deſtruat. Optima eadem & maxima vix eſſe poſſunt. Divinæ hæc naturæ perfectio eſt, unde & Iovem ſuum Antiqui Optimum Maximum vocitarunt. At verò ingeniorum monumenta pondere & pretio velim, quàm mole & magnitudine æſtimare. Quæ magna, laborem; quæ bona, laudem habent. & Maximi quique Viri minuta quædam elucubrarunt. Hujuſmodi Platonis Dialogi ſunt, pleraque Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, Plutarchi, aliorum: quæ hodie tamen, niſi longioribus etiam Commentariis obruimus, docti non videmur. Adnotare, Animadvertere, Cenſere, Corrigere, Explanare, Eligere, ævi noſtri eruditio eſt. Sic qui ingenio diffidunt, ad laborem

rem

rem confugiunt; & omnem in alieno opere ſpem famæ ponunt. Periculum profectò erat, ne limatiſſima Antiquitatis inventa parvitate ſua evileſcerēt, niſi inſanis æſtuantium interpretum nugis grandirentur. Hic morbus volumina quædam librorum noſtro ævo dedit; cùm nihil faciliùs, quàm de alieno ſapere; non dicenda, ſed jam dicta invenire. Pauci adhuc fuêre, qui, ingenii ſui vires librare auſi, iturum in ſecula opus aliquod condiderint, ſtilo & inventione novum: pauci, qui negata, ut ſic dicam, ire via tentaverint. Agrum ſerere jam ſubactum aratúmque, minor labor; & inſitio adoptivi rami compendio arborem fecerit: ita planè Commentatio in quemcumque Scriptorem, proclivis eſt; & in volumen excreſcit, quia adjicitur. De ſuo profuturum aliquid ſeculis pangere, dare quod Interpretem exſpectet, quod cum utilitate & ſimul voluptate legi poſſit; non cujuſvis eſt. Alienum aliquem librum Scholiis, & Notis, & Conjecturis ſi augeas, & verborum, ut ita dicam, vindi-

vindiciis tuum facias, an mirer? adoptare alienos liberos licet: hoc agis quod fieri ſolet: ſed concipere, aut edere bonæ doctrinæ aliquem partum mens non poteſt, *niſi ingenti flumine litterarum inundata.* Veratro & labore opus. Vnde plerique ad alienam famam velut meſſem eunt, ſpicas collecturi, ut in operoſis commentationibus omne ingenii robur conſumant. *Omnes itaque iſtos*(Senecæ cenſura eſt)*numquam auctores, ſemper interpretes, ſub aliena umbra latentes, nihil puto habere generoſi, numquam auſos aliquando facere; quod diu didicerunt.* Non ego tamen Criticam Philologię hanc rejicio operam, ſine qua nec munus iſtud meum eſſe poteſt; ſed latiùs patere ingenii & eruditionis regnum volo. Aliud in Scholis, aliud domi aut in ſeceſſu Muſa ſuadet: diverſum vocis, & ſtili munus eſt: ut non idem puto viventium, & poſteritatis negotium agere. Qui alium ſequitur, oſtendat quoque, an præire poſſit. Illud explicare & commentari, ſequi eſt: ſuum promere quod ſecula ex-

la excipiant, hoc verò præire. De utroque tamen ſi ſententiam meam roges, præire malim, quàm ſequi; invenire quod proſit, quàm inventis occupari; mereri interpretem, quàm agere: cùm qui meretur, perennis ſit; qui agit, non uno Famæ fato evaneſcat. Qui ſuis fulcris conſtat, & totus totum ſe auctori ſuo debet,

Hic meret æra liber Soſiis, hic & mare tranſit,
Et longum noto Scriptori prorogat ævum.

Vt aliam & aliam veſtem ſumere & ponere ditiores ſolent: ita liber Commentarium: cum annis ferè innovatur. Quiſque ut poſterior interpretatione, ita optimus cenſetur. impendit Scriptori operam, pænè ut perdat: vitam (ſic loquuntur) reſtituit, ſed ne ipſe vivat. Vt iſtuc redeam, veſtis Commentarius eſt: quamdiu novus, placet: mox deteritur, etiam optimus, etiam maximus, imò abjicitur partim legentium nauſea, partim ſcribentium critica æmulatione. Quia verò ex iſta officina volumina enormia, & χαλκεντέρου Didymi

dimi inſaniæ prodeunt. Nil niſi quod magnum, laudem invenit: atque adeò quantæ quiſque molis liber, tanti æſtimatur. Nihil ingenio, aut inventioni, nihil etiam tempori conceditur. Et, ſi res dicenda eſt, iſtuc redigimur, ne legamur. An me occupationes ævi mei fugiunt? Quæ bona & ſalubria elucubraris; etſi pauca, ſelecta, compacta; nimis magna tamen, quàm ut evolvantur: nolim dicere, quàm ut emantur. infra pecuniam Muſarum elegantiæ ſunt, & Sapientię decreta? Quid igitur eſt? volumina quidam poſcunt, numquàm inſpecturi: & ut ſemper ſit quod culpent, quidquid non ſit, exigunt. O felix priſcorum fatum, quòd noſtro iſto tempore non ſcripſerint? Iaceret aureum illud Epicteti Enchiridium, jacerent tot librorum gemmæ & uniones, jaceret hic ipſe, quem explicatum imus Taciti Liber, an Libellus? ille inter ornamenta nobiliſſimæ Antiquitatis, ille dignus cognitione Belgarū, aptiſſimus Iuventuti & Scholæ. Mores & Virtutes Majorum noſtrorum enarrantur,

(Ger-

(Germanos enim ſic habeo) quales aliquando fuerimus, ab accuratiſſimo prudentiſſimoq; Hiſtoricorum narramur: eo ſtilo, cui vis & vigor inſit, & qui unus pro virtute Germanorum videatur: eo ordine, & cura, ut velut in tabula veterem originis vitaéque Germanicæ victuram cum æterna fama imaginem cernamus poſteri. Quod vel eò glorioſius, quia ab hoſte (ut libertatis tunc fata erant) quia à Romano laudamur. Nihil Tacitus negare veritati potuit, Germana fide Germaniam deſcripſit; & pleraque non fando tantùm acceperat, ſed perrando luſtraverat. imò verò à Veſpaſiano Belgicæ noſtræ Procurator datus, rationes Principis adminiſtravit. Quanta Germania, tantus hic Libellus eſt, qui Germaniam continet: ac Taciti famam unus hic Libellus fulcire poteſt, qui Germanorum vindicavit. Te compello nobiliſſimæ hiſtoriæ non tacende Auctor, & tuo Libello explicationis meæ facem devoveo, per crepuſcula illa temporum atq; memoriæ circumferendam.

te duce,

te duce, & te Mercurio, voce & cogitatione peregrinabor : fines circumibo quos conſtituis, imò tempora quæ repræſentas : populos, leges, ritus tuæ acceptos induſtriæ feram, ab interitu & oblivione vindicatos. Veſtrum quoque ſtudium, Auditores, & Tacito, & mihi polliceri audeo, frequentiam addicere: quia hoc jam agitur, ut oſtendatis; non ſolùm quanti eruditionem veterem; ſed originem veſtram faciatis. Amat Virtutem, qui audire ſuſtinet; noſcere nemo non Majores ſuos gaudet. Etenim hæc quodammodò patria, hæc domeſtica, etſi intervallo non unius ſeculi ſecreta. ſi noviſſe detrectamus, injurii impiique in originem ſumus: poſteris indigni. Germaniam ſcire, magna Hiſtoriæ & Antiquitatis omnis pars eſt : neſcire, ſive Belgæ, ſive Germano nefas. Quid, quòd peregrinari in ipſa Patria, adeóque Lingua noſtra, imò exulare videamur, ſi neſcimus? Principio quidem (ut univerſæ ſcriptionis brevem guſtum prælibem) Fines terminóſque veteris Germa-

Germaniæ Auctor noſter conſtituit: quæ vicinę gentes, qui fluvii, qui montes claudāt, quod mare muniat. Hinc de origine populi & etymo: & ut indigenum oſtendat, minimeq́; aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtum; de ſitu, de religione, de diis ducibusq́;, de habitu corporum, de ingenio & indole, & quidquid ad vitam, ad publicos privatóſque mores ſpectat. Mirari licebit, in agreſti adhuc gente tantum Virtutis honorem exſtitiſſe, tantum rerum optimarum velut ſtudium, maximis Martiisq́; animis æquale robur. Qui hodie in noſtro hoc axe candor, quæ contractuum fides, quæ matrimoniorum religio, & olim fuere. Sive gloriam bellicam, ſive virtutem ſpectamus, Majorum nos pœnitere non debet. Bone Deus! quæ voluptas, imò quæ utilitas utramque illam ſive legere, ſive audire! Fit etiam, ut degenerare pudeat. Iam verò nationes ſingulæ ordine quodam Geographicò recenſentur; diſtinctè facta & ritus ſingularum: & quid niſi in exemplum? Vt paucis abſolvam: ſic

Taciti amœniſſimum hunc libellum interpretabor, ut in Germaniam, antiquam illam matrem noſtram, & in vos à quibus audiar, adfectum meum oſtenſurus ſim. Veſtra enim cauſſa hîc mihi labor ſumitur, quos ire ad doctrinam virtutemq; cupio, & plenis quandoque honorum muneribus refulgere. Hoc agite, & benè benignéque conatum meum accipite, ſtudiis commodisq; veſtris (ſanctum numen teſtor) deſtinatum. Sic igitur, & Scholam, & has litteras commendare vobis audeo; imò & modeſtè addam, meum nomen. Litteræ veſtræ ſunt, ſi Scholam facitis: me verò amare quiſque videbitur, ſi audet: ego non amare non poſſum quos doceo, magis etiam facturus, ſi docuero. Hoc nunc rogo igitur, ut frequentia & lubentia mei ſitis, ut Belgæ ſitis, ut ii quos laudavi. Animum virtute, ingenium eruditione excolite. Candoris, Modeſtiæ, Induſtriæ laudem ſervate, linguarum optimarum notitiam addite, Prudentiam & ſimul Iuſtitiam diſcite. His fulcris Patriæ & Reipublicæ tranquillitas

ſitas indiget; ſed vos ſibi deſtinat & vocat, quos in eamdem ſpem Parentes alunt, Doctores inſtituunt; iſti ſumptu, hi labore, utrique cura. Si non negatis, ſecundos in Doctoribus Parentes inveniſtis. hoc incremento eruditio conſtat. Itaque bona, honeſta, & ſic magna, id eſt ingenio veſtro digna cogitate, unicum omnis ſcientiæ ornamentum litteras habituri. Meum hoc munus eſt, ut bonos, doctóſque faciam: votum, ut ex animi ſententia vitæ cuique ſtatus obtingat. DIXI.

ORATIO XII.

EXHORTATIO AD LITTERARVM STVDIA.

ETSI conſtitueram, AVDITORES, ſine omni eloquentiæ apparatu, ad intermiſſum docendi munus redire; fretus diligentia veſtra, & amore erga Litteras: tamen, ut ſollenni ritu, feriarum has reliquias expellerem, heri tandem, mutato repentè conſilio, in animum induxi, pauca quædam præfari. Subitaria dictio, ſi non ornatum, vim interdum majorem habet: & Stimulum admovere, etiam currenti, nunquam non juvit. Meliores ſilentio Litteras habui; & eos, à quibus quotidie audior. Ac ſanè ornari Litteræ debent, ut ſint, qui alacriùs etiam capeſſant. Etenim Res omnes, & ſacræ, & feriæ,

quæ

quæ tum Religionem, tum Rempublicam ſpectant, ab auſpicio quodam, & prævio perſuaſionis ornatu, auctoritatis pondus accipiunt: ſicuti & principii languor, ſive frigus, fatiſcentem in progreſſu deſtituit operam, & frangit. Euntes ad prœlium milites orationis igniculis accendendi, ut hoſtem cupiant, priuſquam feriant, ſudore & ſanguine victoriam paciſcantur. Dux ipſe, qui & militis officium ſubire ſolet, priùs dicit, quàm ducit; hortatur, quàm pugnat; & niſi antè ſuos oratione vincat, fruſtra armis adverſarios adorietur. Hæc quoque noſtra, militia eſt; ſed Litterarum: vos mihi milites, dux ego vobis datus: hîc caſtra & arenam habemus; intra hæc ſepta bellum nobis geritur, & quotidie, ut ſic loquar, pugnandum eſt. Sed obſecro, quibus armis? in quem hoſtem? & qua votorum deſtinatione? Breviter dicam; ſed ne in auram effluere pauca mea verba ſinatis, per has ipſas quas commendo Litteras, vos obteſtor. Sic nati Mortales ſumus, ut niſi philoſophari con-

tingat, veræ vitæ fructum non percipiamus. Philoſophia breviùs definiri non poteſt, quàm ut COGNITIONEM SVI dicam: quæ Cognitio ſine Litterarum adminiculo vix paratur. Etenim, ſi dicendum eſt, Litteræ Sapientiæ quædam inſtrumenta ſunt, atque ut iſtuc redeam, arma ſunt, quibus animi non una ſervitus expugnatur. Itaque hoſtes habemus, imò dominos; & ne quæramus miſeriam, circumferimus: ignorantia, velut nocte quadam, & tempeſtate ſtipamur. Huc illuc viventium fluctuant animi; hoc cupiunt, hoc averſantur; aliud ſperant, aliud metuunt; quódque deterrimum, idem nunc amant, nunc oderunt; quia è caſu, non è cauſſâ; affectu, non judicio res omnes metiuntur. Quis remedio locus ſit? Cæci ſumus, ſed caliginem amamus miſeri, & calamitatem ſequimur; rudes ſumus, & doctrinam aſpernamur. Velimus tantùm boni eſſe, ratio prompta eſt qua ſimus: ad Felicitatem ire, via ſtrata eſt qua eamus. Felices eſſe non poſſumus, niſi ut boni ſimus: nec boni, niſi

bello

bello vitiis affectibúſque indicto, ad Rationis exactiſſimam normam componamur. Quid eſt Ratio? vita Deo & Naturæ conſentiens. Iterum, quid eſt Ratio? Σπουδαίως ζῆν, καὶ εὖ πράττειν. Sed profectò ut in cæca nocte omnis itio error eſt, niſi tedæ tenebras vincant, viam diſtinguant: ſic vita mors eſt, quæ vaniſſimis curis & cogitationibus cæcis fluctuans, ſalutare Rationis lumen ignorat. Hoc igitur accendendum eſt, ut Ignorantia, quæ denſiſſima obſtructæ felicitatis eſt nebula, propellatur; ut ad cognitionem ſui quiſque veniat, & philoſophetur. Neque ſatis etiam diem habere, viam diſtinguere; eundum eſt: & ne erres aut aberres, indices ſive ductores adhibendi. At quinam iſti? boni Libri, Litteræ, Linguæ, quarum tam neceſſarius uſus eſt, quàm jucundus atque copioſus fructus, ſiquis ſive publicam cum dignitate, ſive privatam cum quiete vitam amet. Magnum profectò eum, ac planè divinum eſſe virum oportet, qui Litteris non indiget: humilem verò & abjectum, qui cùm in-

digeat negligit. Sed pleroſque moleſtia quædam abſterret & aſperitas, quæ in Litterarum iſta tractatione ſubeunda. Quid dicam? nemo ad ſuavia, niſi per amara pervenit. *Apes ideò pungunt, quia ubicunque dulce eſt, ibi & acidum invenies.* Quæ excellunt, in ſublimi ſunt; huc autem ſine labore nemo ſcandit. Fateor ego, fateor, ut Virtuti; ſic Doctrinæ, Voluptatem hoſtem eſſe: hoc etiam moneo, neminem magnum fore, ſi corrupto ubique animo obſequatur, & torrentis inſtar, in omnem vitii lacunam præceps ruat. A Prodico Cio (quemadmodum Philoſtratus teſtatur) ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ κακία: id eſt, Virtus & Voluptas amœna orationis imagine ſic deſcriptæ ſunt. Herculem illæ, cùm in flore adhuc adoleſcentiæ ageret, acceſſere, muliebri utraque habitu. altera blandienti & fallaci; altera horrido aut neglecto. Hæc otium & delicias offerebat, illa ſquallorem & labores. Vtrum verò Hercules ſecutus? Bonus eſſe non poterat, ſi Virtutem deſeruiſſet; imò nec Hercules, ſi Volu-

Voluptati ſe junxiſſet. *Hercules enim* (ut Phornutus tradit) *eſt Ratio in omnia diffuſa, ſecundùm quam Natura fortis, & firma eſt, & invicta.* Vel etiam, Omphale Ratio eſt: *huic ſervivit Hercules; ut qui fortes Rationi ſe ſubjicerent; & quodcunque illa dictaverit, viribus exſequerentur.* Fugitivæ verò omnes Voluptatis blanditiæ ſunt; ut imponant, pelliciunt; ut fallant, adulantur. Contrà Virtutis vultus aſperior, paratum quærit animum quem exerceat: ſic confert felicitatis dona, ut promerenti videatur conceſſiſſe: ne dare aut donare cenſeas, ſolvit: præmium, non munus eſt; labore, non otio obtinetur; vigiliis, non inertia aut torpore. Supereſt, ut Herculem, id eſt, verum ſapientem imitemur, noxia, lubrica, & quæcumque à Virtute abducunt, declinemus. Mille, ita me Deus, ducentis ad perniciem vitæ illecebræ ſunt, quas & fugere Mens Honeſta debet, & ut fugiat ſcire: ſciet autem, ſi nocere intellexerit. Vt aliquod autem inter Virtutem & Doctrinam diſcrimen conſtituam, Blandiori orationis

mulſo hanc ſapientiæ acrimoniam mitigabo. Nullus in Litteris horror eſt, nulla aſperitas: amœnæ ſunt, jucundæ ſunt; & ſic tamen virtutem ipſam docent, & honeſtatis leges. Quis unquam vel levi Muſarum aura afflatus fuit, qui ſic non judicarit? Quis Philologiæ fragrantiſſima vireta ingreſſus, qui hærere non optaverit? Magnorum virorum hæc vota ſunt, & qui omnium ſcientiarum circulum feliciſſimo conatu emenſi, redire ad has amœnitates properant; & quod imperiti auſpicium ſtudiorum, ipſi finem & perfectionem interpretantur. Quid priſcis & decantatis exemplis utor, & è dubia memoria teſtimonia colligo? Vivunt verò, & lumina quædam orbis & ævi ſunt, quorum auctoritate fulcire ſermonem meum poſſum. Sed ne plures producam; tanti nomen unius & exiſtimatio apud vos meritò erit, quanti eam & virtus, & eruditio apud viventes omnes fecerunt. Is FREDERICVS BORROMÆVS eſt, S.R.E. Cardinalis, & Archiepiſcopus

pus Mediolanenſis,ille dignus Majoribus ſuis heros,quem ut amicum nominem, incredibilis ejus humanitas & benevolentia permittunt; ut Litterarum Patronum ac Vindicem, Virtus, Facundia, Doctrina, Elegantia,& quidquid laudari in ſummo ſanctiſſimóque viro poteſt, merentur. Verba ejus referam, quæ auribus his percepi, pectori huic inſculpſi; digna mehercle, quæ celebrentur in hoc linguarum Athenæo,& ab omni porrò Poſteritate audiantur. Meliores ferè artes (inquit) & ſcientias, pro ingenii mei modulo abſolvi, totámque encyclopædiam, beneficio parentum, & magni Beatique CAROLI BORROMÆI, Patruelis mei; diligentia autem præceptorum didici: hoc potiſſimùm fructu, ut æſtimare Litteras incœperim,à pleriſque neglectas. Itaque Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudiis abſolutis & exhauſtis,redire ad Ciceronem, Salluſtium, Cæſarem, ſimiléſque non pudet: illud diſcere, quod neſcire plerique, argumentum magnæ doctrinæ putant:

tant: & ab iis diſcere, quorum paſſim libros pueri evolvunt. Sed ego virum me præſtare non poſſum, niſi cum pueris ineptiam: nec capere pueri hós theſauros, niſi poſtquàm viri, denuò ſcrutentur. Quid huic ſententiæ addi poteſt? quid non exemplo tribuï, quod negligere nemo poteſt, niſi ut peccet: ſpernere, niſi ut inſaniat? Idem autem ille Vir, ut publicè hunc in Litteras affectum teſtaretur, in urbe ſua Bibliothecam meliorum artium, ac linguarum exſtruxit & ornavit, idque ſumptu centum millium, & ampliùs, Aureorum: victúmque viris Eruditis, in Muſéo, tanquam in Prytanæo conſtituit. Scilicet hæc augeo, & adorno verbis, inquiet aliquis, & ſermonem re majorem effero, ut amœnioribus ſtudiis animos conciliē. Imò verò infra rem loquor; ac fidem niſi facio, tacere cupiam: tacere, ſed ut ipſum audiatis, qui ſi loquatur, ruborem incutere hoſtibus omnibus litterarum poſſit. Et quidni loquatur, quem audire velint etiam qui virtutes omnes oderunt? quaſi ſupra virtutes virum

virum habeant, qui cæleſtem in terris vitam agit. Verba ſunt epiſtolæ conſignata. Audite, ſic Cardinalis ſcribit, ſic litteras amat, ſic me quoque complectitur.** Reſpicio clauſulã, & ſententiam expendo. Nam profectò vos quoque Epiſtola hæc ſpectat, ſi amare, ſi tractare litteras vultis, & aut totas colere, aut aliis ſcientiis jungere, ſubſidii atque ornatus cauſſa. Quidni velitis, cùm aridæ imò ſiccæ ſcientiæ reliquæ ſint, niſi hoc velut ſucco imbuantur? Philoſophus nemo (de Peripateticis loquor, quorum in Scholis hodie regnum) ſine Ariſtotele eſt; & ſiquis erit, miraculum arbitrabor: at verò ſine Litteris linguiſq; Ariſtotelem intelligere, tam facilè eſt, quàm ſcire quod nuſquam eſt, & cælo ſtellas eruere. De Iure etiam dico, quod plerique veſtrum auditis, & in quo ſummam ſtudiorum ponitis, non poſſe ſine Litteris ſubſiſtere. Diſcenda diſcite, agenda agite: niſi qui Antiquitatis & Hiſtoriæ cognitione inſtructus ſit, Iuriſconſultus nequaquam erit. Quis candor, quæ puritas Latinitatis

&c elo-

& elegantia in Legibus illis priſcis & Reſponſis! At nos ſatis habemus, ad lucrum ſapere, & virginem, ut ſic dicam, Artem ſordidiſſima barbarie inquinare. Qui ſic inſtituuntur (Arbitri verba uſurpabo,) *non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere qui in culina habitant.* Saltem ſi exemplum placet, priſcos illos laudatæ famæ Iuriſconſultos exprimite, quorum peritia ſapientia quædam fuit; oratio puriſſimo fluentis eloquii rore tincta. Non quia in foro verſandum eſt, ſtrepitus & inconcinna verborum pugna placeat, aut cruda ſcientia aliqua juris: qui eruditione promptior, & facundia accuratior, & cauſſarum cognitione generoſior, à reo ſordes & lacrymas amolietur. Iam in curiam ſi adoptari votum eſt, Viam Litteræ aperiunt, & animus rebus aptus, id eſt uſu peritus, & lectione formatus. Princeps ipſe & Reſpublica Litteris indigent; ut æquo animo evehi patiaris, qui Litteris inſtructi ſunt. Si Legatio obeunda, ſi verba facienda, ſi epiſtola exaranda, Principis ſive juſſu

ſive

ſive cauſſa, qua ſupellectile utaris? Litterarum. Ac ſanè ſine his adminiculis ſcribere, & pro dignitate rem adumbrare, & eloqui juxtà putes, ac ſine alis volare. Neſcio equidem amplius Philologiæ, an Iuriſprudentiæ, tali occaſione tribuam, quando non quid ſentias loquendum eſt; ſed quid loquaris eloquendum. id verò præſtare nemo poteſt, *niſi ingenti flumine litterarum inundatus*, niſi in Hiſtoriis, in Ethicis Politicisq; inprimis exercitatus. Ite nunc ad magna, ô Iuvenes, & ſolo barbaróque jure ingentia vota alite: niſi hanc viam capeſſitis, bullæ omnes cogitationes ſunt, & nequidquam ad honeſti nominis umbram adſpiratis. Ampliſſimi Viri, & ingenti nuper damno ſublati exemplo libens & gratus utar, Præſidis Io. RICHARDOTI, quem à litteris laudare extinctum audebo, & magis nunc repetere voces, quas viventis modeſtia recuſabat. Magnus fuit, conſilio ſuo res maximas geſſit: Gallicam, & Britannicam Pacem, & demum, nequid ad gloriam deeſſet, Fœdus Belgicum nobis

bis dedit, non profectò peritia juris; ſed doctrina,ſollertia,prudentia:quas omnes dotes ſic litterarum beneficio ſive auxit, ſive acquiſivit, ut docere has ipſas potuerit, quas promovit. Etenim quid viro illo terſius, quid accuratius, ſive ore, ſive lingua utendum eſſet? ac ſanè producere litteras ejus teſtes poſſim, niſi ſtultum putarem,manifeſtam hominis ſummi gloriam, tanquam dubiam, confirmare. Et referebat ille has animi elegantias Muſarum ſtudiis acceptas: imò promovere meliores omnes artes, illum pectoris linguæque cultum conatus eſt: ut plures, ſi non nomine, ſaltem re RICHARDOTI provenirent. Ego, quòd honeſto hîc ſtipendio habear, quòd Muſis vobiſque ex animi ſententia vacem, eidem debeo: ac ſanè vos quanti Litteras facere debeatis, ex ipſo hoc quo fruor honorario colligetis. Neque mea, ſed veſtra cauſſa publici iſti ſumptus fiunt; ut exiſtant, qui ornatam cultámque docto eloquio Mentem Principi, & Patriæ poſſint devovere. Benè de Republica,
benè

benè de vobis tantum virum meritum eſſe, is intelliget, qui fructum bonarum Litterarum aliquando percepturus eſt; qui Scholam hanc amabit, illam tot illuſtrium animarum ſedem, in qua neſcio majores fuêre qui docuerunt, an qui didicerunt; niſi viri Principes, viri Magnates & faſces, & prætextam, & purpuram Præceptoribus ſuis ſubmiſiſſent. Tanti Litteræ erant, ut pari Doctores pretio æſtimarentur; tanti Doctores, ut locus ipſe honorem inveniret. Locus, inquam, nunc ornatior, poſtquam reſtitutus; & ſplendidior (orationis cauſſa periclitari paulliſper modeſtiam meā ſinam,) poſtquam Profeſſorem accepit, quem ſuum fecerat Princeps, Ordines amplexi erant. Antehac enim vocem privata conductam mercede doctiſſimi clariſſimiq; homines Collegio huic impenderunt: ego, ut oſtenderem quanti ubique faciendæ Litteræ, publici ſtipendii fructum in hūc locum intuli; &, ut GOCLENIVM, NANNIVM, VALERIVM, HVYSMANNVM æſtimarem, dignam oſten-

S ditot

di tot virorum cathedram, ex qua doceret is, cui ſucceſſor datus ſum. Venit ad hanc urbem nuper clariſſimæ doctrinæ & prudentiæ vir, DOMINICVS BAVDIVS; venit & paullo pòſt illud ingenii, eruditionis, omniſque elegantiæ merum miraculū, DANIEL HEINSIVS, ſuaviſſimus & integerrimus Amicus meus, flos ævi, Sol Muſarum, amor omnium: venit inquam, & hanc uterq; cauſſam habuit, ut Scholam, BVSLIDII inſignem nomine, inſignē ſcriptis nobilium Profeſſorum; tum quoque ut PVTEANVM ſuum videret. Honorē accepimus, ego, ſchola, &, ſi me ſcholámque amatis, vos pariter, Auditores, quos ut præclariſſimis parentum votis pares reddamus, indefeſſa hîc quotidie opera erudimus. Sed amatis; & ſic eos meritò, qui, pro humanitate, & candore ſuo, tam luculenter & me, & Scholam ſimul amant. Hanc etiam uterque ille veneratus eſt, & quid niſi diligentiæ veſtræ commendavit? Ita, commendavit Scholam; ſed unà Litteras, unà Linguas, quibus ſine famæ damno carere

rere ipſa Academia non poteſt. Quid igitur eſt? Retineamus priſcam illam Scholæ gloriam, illam tot virorum illuſtrem memoriam, quorum ſtudio & induſtria Mentis Linguæq; cultus promotus eſt, & quaquaverſum propagatus. Nam, ut liberè dicam, Vbi habitarè Muſæ poterunt, ſi hinc exulant? invitas arcemus & repellimus, quæ ſedem hanc ſibi elegerunt: colles ſuos, ſilvas, fontes, rivos cogitant: venient, ſi invenient Cultores. Quare hoc agite, & amorem Honeſti concipite & Humanitatis. Scire velle Litteras, magna eruditionis pars eſt, multúmque profecit, qui deſiderium profitetur. Nemo eſt, qui non horam unam alterámque amœnitati poſſit impendere; in his Litteris amœnitas eſt: nemo, qui pauxillo otio non frui; Schola otium eſt. Sed & ipſa neceſſitas urget. ſine Litteris doctus eſſe nemo poteſt: & tamen hoc omnes agunt, ut erudiantur. ſine Litteris, ut cum Seneca dicam; *Ipſa vita mors eſt, & viventis hominis ſepultura*: & tamen nemo tam ſtolidus, ut tanquam ca-

daver velit ambulare; aut ſiquis velit, eum ego hominem non hominem pronuncio, & ab omni humanitate alienum. Sed nòn tam malè nobiſcum agetur, ut barbarie merſi & ſepulti, adſpirare ad mitiores Litteras non debeamus; aut tam ſtrenuè inſaniemus, ut bonæ ſanæq; Mentis cultum pertinaci ſuffragio proſcribi patiamur. Quamdiu in Patria bellum, languor etiam in hac Schola fuit: triginta & ampliùs jam annorum damnum nova reſarciri induſtria debet, Litteræ reſtitui, poſtquam miteſcere exulcerati Belgarum animi cœperunt. Feciſtis hactenus, quod exigere mos & conſuetudo temporum potuit: & hunc mihi honorem iviſtis habitum, ut pari ingeniorum felicitate Litteras hîc docuerim, qua aliquando didici. Sed generoſior jam cupiditas ſtimulare indolem veſtram debet; ut, quod ipſæ belli feriæ ſuadent, triſte luſtrorum aliquot vincatis exemplum, &, pulſo ſqualløre, priſtinam Litterarum majeſtatem reducatis. Sic puniendi, qui *inertiam*, *libidinem*, & *bonarum ar-*

tium

tium odium, vobis objiciunt, quia ferre LAVDATIONEM meam non poſſunt. Agite, agite; tam inſignitam calumniam in auctores torquete; ſed Virtutis & Litterarum ſtudio. Vnica hæc, & pulcherrima vindicta erit. Nec ampliùs torqueri Livor ipſe poterit, quàm ſi dignos vos præſtetis, ô IVVENES, quos LAVDARE in hoc ipſo loco potuerim. DIXI.

ORATIO XIII.
DE PALAESTRA BONÆ MENTIS.

IN re nova inſolitáque, AVDITORES, ſiquid præter morem, aut conſuetudinem meam, hodie faciam, nemo ſeveriore, opinor, examine urgebit. Temporis imaginem conſilia humana ſumunt:& quotidie,quod non fuit, varietas inducit. Mitto continuas cæli aëriſq; vices, dierum noctiumq;: in homine ipſo quàm multa, & quàm brevi tempore Natura mutat! A flore ad ſenium cùm anni properant, vivendi quoque ratio matureſcit. Sed & ſine vitio gravior inhorreſcit ætas, poſtquam vigorem & venuſtatem corporis contracta rugarum ſeveritas delevit. Iam verò in negotiis conſiliiſque mortalium, juventam ſenectámque unus

unus ſæpè dies diſtinguit. Agere, dicere, ſtatuere, nunc vetat neceſſitas, nunc imperat: nec propterea tamen à conſtantię recedit officio, qui neceſſitatem ſequitur. Vt enim perenni anfractu, nunc mites Auſtri plagas Phœbus luſtrat, nunc in æſtivos tranſvectus fines, frigida quoque ſidera accendit, neque lineam tamen ſuam aut legem deſerit, qua cæli via ſtrata eſt: ſic Litterarum & Eloquentiæ Profeſſor, ubicumque dicit, recedere à munere ſuo non videtur. Ego verò, etſi pulchrum ſciam loqui quotidie, ubi linguæ ipſæ coluntur; tamen è valle, ut ſic appellem, Academiæ, ſcandere hodie in ipſum collem volui, ut auguſtiùs dicerem: & à more meo recedere, ut novum auguſtumq; oſtenderem eſſe, quod dicturus ſum. Ejuſmodi enim nunc mihi locus eligendus erat, in quo docere poſſem, ſi quãtum modeſtiæ, tantum rumori tribuerem. is locus, qui ſi totã Vrbem Academiámque non caperet, maximus tamen, aut certè magnus eſſet: in quo cùm ego loquerer, nemo nõ audiret; intelligero

omnes poſſent; Litterarum hactenus languentium ſalutem, ſeculi felicitatem, Poſteritatis ſpes omnes, ab Exercitationibus Bonæ Mentis pendere. Vt igitur anguſtias vitarẽ, dicere iſtic volui, ubi quàm plurimi ſederẽt. Aliàs enim quoties cum querela, AVDITORES, benignitas veſtra fuit! ſine voluptate præſentia! cùm velut ab exercitu aliquo obſeſſum Linguarum atriũ reperirem, & unuſquiſq; etiam non audire mallet, quàm nõ adeſſe. Sic extra parietes quoque auditorium fuit, & quoties ad dicẽdum procederem, per denſiſſimum agmen quærendus ſuggeſti locus. Area oppleta, ędibuſq; farctis, dubitare poteram, in limine, an in ſchola Schola eſſet. Ingẽs verò & baſilicus hic locus eſt, &, quod magnitudinẽ ipſam auget, frequentia ſua dignus. Neminem aut veſtibulum premet, aut aſcenſus collidet, aut prothyron rejiciet. Sine cuſtodia fores ſunt, ſubſellia porrecta, ſtatio ſpatioſa: ut vires meas novi, majorem voce Scholam ingreſſus ſum. Quid igitur? oſtendam præſens Muſarum numen eſſe, nec fatiſcere

ſcere dicentis conatum poſſe, nobiliſſimi argumenti fiducia fultum. Tanquam ſolida & compacta quædam navis, per incluſum vaſtiſſimis parietibus æquor, pérque tot capitum undas feretur oratio, & à ſubſultu motum viréſq; accipiet. Verba ipſa benevolentiæ veſtræ alis aucta ſe tollent, & præpete volatu in totum immiſſa aërem, atque in lacunaria ſubvecta, ſententiarum velut imagines quaſdã conſtruẽt. Atque ego, ſi quorundam etiam aures animóſq; difficiles aut moroſos, quod abſit, experiar (neque tam felices litteræ, ut omnibus placeant;) columnis, poſtibus, trabibuſq; vocem imprimã, ut quid in gratiam Academiæ ac Iuventutis, vel cum quietis meæ damno aggreſſus ſim, boni omnes ſciant; ligna & lapides, ſi opus, loquantur. Etenim publica utilitate compulſus, cùm omne otium meum juvandis Litterarum ſtudiis conſecraſſem, vaſta cogitatione priſcam aliquam ingeniorum felicitatem complexus ſum: & cùm vix ulla pars temporis, ſive negotiis, ſive ſtudiis vacua eſſet, quam mihi darem;

ſubtraxi negotiis ſtudiisq́;, quam juventuti impenderem. Itaque quaſi ſatis occupatus non prodeſſem, adjungere quietem meam volui : & ne fructum è ſolo Diſcipuli auditorio exſpectarent, PALÆSTRAM BONÆ MENTIS inſtitui, in qua honeſtorum animi juvenum Eloquentiæ & Sapientiæ cultu matureſcerent, & è ſordibus contemptuq́; tandem publicè emergeret nomen Litterarum. Negotium profectò arduum ac difficile, ſive mores alibi inſanientis ſeculi, ſive curva aliquorum judicia reſpiciam; qui ut ſeveriſſimè videantur ſapere, optimam ſine flore ac venuſtate ſcientiam putant. Satis eſt, inquiunt, pigmentis remotis & inutili verborum fuco, nudam ſimplicemq́; rerũ faciem proferre; & quaſi homines aliqui ſili, ſtrabi, aut buccones, ſolo ingenio pulchri ſint; ita præſtantiſſimarum diſciplinarum pretium nulla ſermonis illuvie retardetur. Sed nos, ut ingens cenſemus naturæ beneficium, præclaras animi dotes venuſto vultu exprimere : ita perfectiſſimam rerum cognitio-

gnitionem, quæ in ipſo Eloquentiæ ornatu relucet. Quid Litteræ autem facerent, Exercitatione deſtitutæ? PALÆSTRA opus erat,& Minervæ Mercuriiq; erudita copula, ut Mentem Bonam juventus coleret, honeſtisque ad verum decus ſtimulis graſſaretur. Quid vererer, aut deliberarem ampliùs? Nemo è bonis, nemo è magnis, nemo è doctis fuit, qui ſummis laudibus conſilium non extolleret: ſiquis etiam deſpicere auſus, & adunco naſo ſuſpendere; ſatis ille affectum ſuum erga Litteras patefecit. Sed ego, quanto cum honore PRINCIPIS, ſplendore Patriæ, commodo juventutis Exercitationes deſignaveram, intelligere cœpi, poſtquam reſilire ab Inſtituto non potui. Ergo ſubeunda hæc alea fuit: cúmque non unius ſermo conſiliis meis robur adderet, peculiariter Ampliſſimi & litterarum cognitione præſtantiſſimi Viri, CAROLI MALINÆI, Ærarii Brabantici Præſidis, prudens me auctoritas animavit. Ergo Ampliſſimo BALTHASARO ROBIANO, Supremo Belgi-

Belgicæ Theſaurario, PALAESTRÆ inſtitutum commendavi: qui ut ſummum munus pari prudentia & innocentia adminiſtrat, doctrina ac modeſtia ornat; ita inſigniter de Republica ſe meriturum exiſtimavit, ſi Bonam Mentem promoviſſet. Quo affectu litteras colat, juventutem complectatur, hinc conjicite: difficillimo tempore, & in creſcente armorum ſtrepitu, Pacis hoc negotium egit, ad PRINCIPEM retulit, & quaſi fundamenta ſatis non eſſent, etiam ornamenta impetravit; præter Diploma, Numiſma aureum, ſummum honoris inſigne. Profuit etiam FRANCISCI KINSCHOTI clariſſimi Iuriſconſulti, & Finantiarum Graphiarii ſingularis induſtria & humanitas: cui cùm tantum debeamus, quantum ne referre quidem poſſumus, hanc PALÆSTRA gratiam tribuet, ut intellexiſſe ſaltem beneficium videatur. Quia verò Litterarum ipſe Genius adfuit, & Sereniſſ. PRINCIPIS auctoritate, honeſtiſſimæ molitiones meæ perrupêre difficultatem temporum; veſtro quo-

que

que favore, Viri graviſſimi doctiſſimiq;,fulciri debent;veſtra,nobiliſſimi lectiſſimique juvenes, diligentia creſcere, ne ſterili aut inutili opera exercere ingenia pergam. Dicam igitur, quid illud ſit, quod tanta cura inſtitui; & quomodo gloriam Vrbis atque Academiæ, fructum ſtudiorum omnium felici ſegete PALAESTRA nutriet; quomodo è Bonæ Mentis Contubernio ad Rempublicam & honores facillimo Fortunæ beneficio cultores ſuos litteræ evehent. Oſtendam honeſtas,utiles,neceſſarias has Exercitationes eſſe, quas, ne ipſe quieſcerem, juventuti præſcripſi; & ut per otium & oblectamentum ea proficeret, certo ordine, & leniſſimo quodam vinculo Legum complexus ſum. Hæc enim jam ratio inventa eſt, ut ſuavi nexu ſcientiis eruditio poſſit jungi,doctrina ſapientiæ,&,quod difficile hactenus, ſine Diſciplinarum damno Eloquentia excolatur. Auribus animiſque adeſte AVDITORES, & benigno ſilentii conſenſu verba mea, quemadmodum ſoletis, excipite.

pite. Ea, juvante Suadæ Genio, proferam, quæ mulcere ingenium ſeveritate obductum poſſint : & ut in auſpicio Mens Bona placeat, liberiori veſtigio orationem circumducam. De Litteris enim agitur, & harum defendere cauſſam non poſſum, niſi Litteris utar.

Ab ipſa origine ſtatum Academiæ ſi percurtere ſibeat, quibus auxiliis creverit adoleveritq;, qua felicitate floridæ juventæ robur aſſumpſerit, deniq; qua injuria temporum ſenilem aliquem ſqualorem induerit; tam mirum videatur, innovari nihil in re ſtudiorum poſſe, quàm cœpiſſe aliquid, quod antea non fuiſſet. Non ſtatim à fonte flumen eſt; non in ipſo naſcentis diei auſpicio æſtus; nec in cunis infans loquitur. Ad perfectionem per gradus itur. Florebat vario artium genere Lovanienſe Athenæũ, & Theologia nondum docebatur : imò docebantur Litteræ, & Collegium Trilingue non erat. iterum jacebat illud, vigere tamen Litteræ poterant: quemadmodum nunc quoque evile-

eviléſceret ibidẽ omnis dignitas, niſi eſſent, qui docerent. Ego verò, ut oſtendam, me æſtimare locum, in quo quotidie doceo, ſeparari à Linguarũ Sacrario PALÆSTRAM BONAE MENTIS non ſinam. & loqui hoc exemplo ipſa juventus volet, ubi publicè eruditur; exerceri, ubi doctorem conſpicit. Sic & à meo Inſtituto accedet Collegio Trilingui, quod hactenus non fuit; & Buſlidianum nomen famam quoque Bonæ Mentis recipiet. Hoc inculco videlicet, res humanas vario ſemper momento librari: *nec quicquam omnium eſſe, quod poſſit in primordio ſui perfici.* Tot Collegia, palatia, ornamenta, paullatim bonorum doctorumq; hominum induſtria & liberalitate, Academiæ adjecta ſunt; & tanquam gemmæ per floridam ſparſæ veſtem, in Grudiorum hoc Lycéo, variæ ſtudiorum Palæſtræ emicant: quibus ſi illa nunc BONAE MENTIS jungatur, non video profectò, quid retardare deinceps felicem ſtudiorum omnium meſſem poſſit. Capitolium quondam plura delubra

bra & numina Romæ habuit: comitéſque Deos Iovi ſociavit Antiquitas; quaſi ne in terris quidem ſolus habitare potuiſſet, qui non ſua tantùm in cælo majeſtate cingebatur. Itaque ut Fidem, Salutem, Concordiam omittã; Menti quoque fanum ſtructum dicatumq;. Rectè quidem. Nam Deum quomodo mortales colerent, ſi Mentem neglexiſſent? Sed vos nunc in hac urbe Capitolium aliquod fingite, & hoc ipſum eſſe, quod Doctrinæ, Doctorúmq; hominum domicilium vocamus. Varia numina, varia ſeveriorũ ſcientiarum artiúmque nomina ſunt: ſed niſi Bonæ Mentis, Suadæq; familiaritate miteſcant, perpetuo horrore & cruditate obſidentur. Ego etiam, Academiam quoties intueor, rerum naturam cogito, quæ flavas ſegetes florum quadam purpura diſtinxit; quæ non in poma tantummodo alimentum concedit arboribus, ſed in ornatum; & commendare, imò munire fructus gratiſſima foliorum amœnitate voluit. Nobiliores illæ diſciplinæ velut ſegetes ſunt, ſed Litterarum

Gra-

Gratiis ornantur ac rident: fructus ſunt,ſed eloquii velut præſidio ſtipantur. Ipſa terræ facies quàm vario colore,quàm diverſa imagine allubeſcit! in una Cerere, aut Libero, aut Pomona, totam ejus benignitatem capere non potuimus:ſilvis veſtitur,rivis perluitur,ęquore ſternitur,collibus aſſurgit; & in ſingulis iterum varietas eſt. Ergo & Terræ ſimilitudinem Minerva noſtra admiſit: Scholis diſtinguitur, Collegiis ſuperbit, Viris claret, Diſciplinis floret; & in his diſcrimen niſi ſit,tantæ famæ dignitas laboret.In qua urbe Sapientia habitat, ſine obſecro & Bonam Mentem eſſe: ubi Trilingue eſt, Palæſtram vigere. Fruſtra linguæ, niſi loquaris: ſed loqui Mens ipſa Bona docet,imò ſapere. Non impeditum magnarum vota cogitationum imus, ſed promotum: inſtrumẽta ſuggerimus,quibus verum doctrinę decus paretur; & ornamenta, quibus ambitioſæ cedere prætextæ cogantur. PALAESTRA faciet,ut, ſi divina placent ſtudia,eminere in numero tuo & manipulo incipias, & geſtientem ad

laborum præmia ætatem præcurras: ſi Aſtræam ſequeris, & ducentem ad civiles honores viam, ut certiſſimo veſtigio pervenias: denique, ſi Æſculapii ſacris operari, ut non minus è Litteris ſubſidium, quàm lucrũ è morbis colligas. Recenſete præſtantiſſimos Theologos, Iuriſconſultos, Medicos, & exempla ſequimini, quorum nomina ſuſpicitis; ut queri tandem de ſterilitate ingeniorum Scholæ deſinant, & diſcentium errorem ſeculo imprimere. Nam ab omni antiquitate doctiſſimi habiti, qui feliciori, ut ſic dicam, auro doctrinæ ſuæ gemmas inſeruerũt; qui partem ſtudiorum elegantias habuêre. Fruſtra, fruſtra ſine Litteris nomen ullum ſperes: ut Medici negant, *ſine nervis quemquam ambulare poſſe*. Fruſtra magnæ dotes ſcientiæ jactes, niſi depromas: fruſtra faces illuni geras nocte, niſi accendas. Deum loqui, primũ Theologi munus eſt, niſi recedere à nominis dignitate velimus. De Iure reſpondere, & laborãti Aſtrææ incorruptam vocis operam impendere, Iuriſconſultus debet, aut certè à foro & patro-

patrocinio omni ad ignobile otium redire. Medicum niſi inſignis polumathia inſtruxerit, Fama ſimul & Fortuna inter experimenta deſtituet. Quid? an tu neſcis eundem Apollinem à Muſis & Æſculapii familia coli? A verborum etiam ſive dulcedine, ſive ſuſurro medelam eſſe nemo ignorat. Ampliùs dicam: in Litteris ſuis Amator Bonæ Mentis omnium munia uſurpat. De Deo cum Theologo diſſerit: cum Iuriſconſulto Iuſtitiam inveſtigat, Legum arcana explicat: cum Medico morbos & remedia loquitur, & quicquid in humano corpore homo admiratur: denique cum Philoſopho Naturæ tranſſcendens fines, cuncta comprehendit. Hoc profectò agit, quod ſinguli. Sed ſacrarum quoties litterarum limina peculiariter ſubit, & vireta luſtrat, videri poſſit tanquam civis ad familiares delicias admiſſus. Etenim Philologum agit, quiſquis linguarum rituumq; ſtudioſus, divinę paginæ ſenſum explicat, & magnorum virorum divino exemplo, ſacram illā Antiquitatem illuſtrat. Propono vo-

bis è Græcis Baſilium, Chryſoſtomũ, Nazianzenum ; è Latinis Hieronymum, Palæſtræ noſtrę tutelarem, tum Ambroſium atq; Auguſtinum, ne omnes recenſeam : qui primas certè in Scholis obtinent, ſed ſine hiſtoriarum veterum, imò ne fabularum quidem cognitione intelligendi. Nunc verò quid fit? profanam amœnioris eruditionis hanc operam cenſemus fatui, & ignorare ſcriptores ſacros malumus, quàm elegantias æſtimare. imò quid fit? odiſſe in civibus audemus Litteras, quas in adverſariis veremur. Ne Religionis quoq; inducias eſſe cenſeas, & quietem inertiamq; moliaris; in Scholis templisq; adhuc bellum eſt, & periculoſiùs pugnatur. Eloquentiæ armis inſtructa Hæreſis, validiùs in Deum nunc aſſurgit; & à Litterarum linguarumq; cognitione vim & victoriam colligunt, qui cauſſæ fiducia deſtituũtur. Sed hæc jam opinio invaſerat juvenum animos, ut ſummam doctrinæ ſuæ putarent, nec ſcribere poſſe, nec loqui: quaſi bullam prætextamq; puerilem nemo poſuiſſet, niſi omne ſimul

ſtudium

ſtudium ſermonis. Itaque diſcebant pleriq; bonas Litteras, ſed ne ſcirent: & ſic adibant Muſarum ſacraria, ut deſererent. Nimirum, ſi res dicenda eſt, ſatis amaverant, ſi odiſſe iterum poſſent. Intumeſcunt verò in primis ſtudiorum liminibus pueriles animi, & ad forum curiamq; acerba tollẽtes vota, deſpicere artes audent, à quibus ordiuntur. Nimis facilè mehercle tenella & prætextata adhuc indoles, ſi vel minima ambitionis afflețur aura, luxuriat: & parentes tamen, ut videantur generoſo quodam voto filiorum ſtudia promovere, onerant. Vnde cùm malè ingenium nutritur, ipſum quoq; animum morborum ſemina corrumpunt. Fit etiam, ut qui magna ſpirant, verum ingenii cultum nunquam capiant; & cùm ex umbra & luce ad Libertatem Academiæ transferuntur, putent ſe ad alia non ſtudia tantùm, ſed caſtra commigraſſe. Quòd ſi modeſtiæ fundamentum diſciplina acciperet, & rudis puer nihil eſſe ipſa virtute doctrinaq; melius diſceret; jam ad ſolidum laudis decus ſe cõponeret; a-

maret litteras, ſine quibus reliquæ artes non ſubſiſtunt: & Scriptores, qui Litteras illuſtrarũt. Nunc ab ipſis quoque doctoribus, error ſive vitium ævi magnificentiam aliquã exegit: nec ſevera lege erudiri pueri volunt, quorũ antè infantia deliciis domi ſoluta eſt. Sic verò niſi blandam diſciplinam inveniat, qui eruditur; niſi miti freno ducatur, qui cogi recuſat. regulam omnẽ aſpernatur ingenii: niſi talis exiſtat Præceptor, qualis fuit Pater; luctandũ eſt. At verò in magno numero aliqui ſemper, qui melioris ſequuntur naturæ ductũ, Mentemq; ſeriis amœnitatibus applicant: illi videlicet, qui ab Amore ipſo Litteras aggreſſi ſunt, & in Litteris magnorũ virorum, & per tot jam ſecula loquentium ingenia ſuſpiciunt, nomina colunt, æternitatẽ venerantur. Florem juventutis noſtræ laudo, ſuavi Litterarum rore imbutã; & meliora illa pectora, in quibus habitare cum ipſo rationis auſpicio generoſus honeſti amor cœpit; ſed ne migraret. Laudo, inquã, & hoc nunc ago, ut qui ſapere ſupra vulgũ deſtinarunt,
prom-

promptam & exercitatam ad ſeveriora ſtudia Eloquentiam adferant. Nec video profectò, quam morā eunti ad Academicos honores PALÆSTRA injiciat, in qua Mens Bona colitur; niſi exulare hāc ipſam à ſeveritate magnæ ſcientiæ ſeculi mores poſtulent. Nulla vita tam ſeria, aut negotia tam ardua, aut ſtudia tam ſublimia, quæ Litteras non admittant. Proficere in Scholis, & exerceri ſimul in Palæſtra juventus poterit: imò verò, ut liberiori ſententia blāditias amoliar, & invidiæ voces expugnem, exerceri in Palæſtra juventus debet, ut in Scholis proficiat. Quę imperitus impedimenta clamat, auxilia ſunt: ad magna Litteræ mentem præparant, non occupant. Nemo, ut opinor, in itinere viaticum rejiciat; aut ſi in rigidi montis verticem difficili per ſalebras anfractu ſcandendum ſit, vehi nolit, & conductis equi ſudoribus ærumnam ſuam redimere: at profectò, ſi rectè calculū ponis, in ſtudiis iter eſt, & in arduo ac prærupto Honoris pręmia Virtus collocavit. Vt igitur viaticum habeas, Litteræ tibi tractandæ

ſunt: ut vehiculum aut jumentum invenias, peculio Philologiæ opus. Ego ecce, ut ad vota ſua properent juvenũ animi, auxilia ſuggero: & horas aliquot, quæ honeſtè etiam perire poterant, Palæstra occupat, otio, luſui, libertati velut manu injecta. Nihil de ſtudiis; de tempore aliquid detrahitur: quod niſi tam Litteris, quàm otio poſſit dari, videant obſecro, ne ad vitiorum illecebras generoſa impellãt ingenia, qui Palæstram Bonae Mentis ſupervacuam arbitrantur. Enimverò, ut ſpes Academiæ univerſę effloreſcat, ducentes ad ignaviã occaſiones omnes præcidendæ ſunt: occupanda juventus, quæ quoties nihil agit, ad noxia dilabitur: ut ſtare nemo poteſt, niſi vigilet, & iners otium rectè ſomnum voces. At verò quàm facilè nihil agit, quiſquis otiatur? Ipſum igitur otium ſuccuti & exerceri debet, ut à torpore, & quod ſequi ſolet, à vitio vindicetur. Si ampliùs inveſtigas, honeſtiſſimum otium Palaestra Bonae Mentis faciet: optimæ remiſſiones, Exercitationes Puteanicę erũt. Suavi-

Suaviter occupabit otiũ ſuum, qui ad BONAM MENTEM ſe recipiet; negotiũ autẽ inveniet laborioſum non eſſe.

Otio qui neſcit uti, plus negotij habet,
Quàm cùm eſt negotium in negotio. (tio
Nam cui, quod agat, inſtitutũ eſt, nullo nego-
Id agit; ſtudet ibi, mentem atque animum
oblectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit quid velit.

Suus igitur erit, quoties operam ac diligentiam majora Academię munia exigent: amœnus erit, quoties in Muſarum contubernio reſpirabit. Nemo diem in popina ſepeliet; honeſtiorem voluptatem PALÆSTRA propinabit. Nemo vitæ ſtudiorumq; ſubſidia alea, aut pila, decoquet; frugalitatis exactiſſimam regulã PALÆSTRA præſcribet. Nemo Veneri Laſciviæq; mores ſuos credet; BONÆ MENTIS amorem PALÆSTRA in pectoribus omnium accendet. QVAS PRIVATIM LITTERAS TRACTENT, MORIBVS PVBLICE OSTENDVNTO: BONA MENTE IN IVVENTVTE EMINENTO. SOBRIETATEM, MODESTIAM, HONESTATEM COLVNTO. Demus

etiam, non ſine impedimento aliquo Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, Exercitationes Litterarũ eſſe, aut inſtitui: an ergo ſatis robuſtam cenſes accuſationem, quâ PALÆSTRA ſubvertatur? Quidquid detrahunt diſciplinis aliis mitiſſimæ Muſæ, iiſdem addunt. In convivio omni non cibi tantùm, ſed & pocula ſunt: non ſine ſiti fames venit. edendũ eſt, ut ſuaviter bibas; bibendum eſt, ut poſſis edere. vices iſtæ voluptatis inſtaurant regnũ, ac reſtituunt: & idem tamen venter Cererem Bacchumq; capit. Nemo de ferculis partem ſibi periiſſe conqueſtus, ſi ciathum exhauſerit. hæc ſubſidia hilaritatis ſunt. nemo Litteris doctrinam impediri; inſtrumenta ſunt, & in partem igitur temporis admittenda. Omnium ore confirmatum eſt, fruſtra addiſci artes, niſi exerceas: ſed Eloquentia, ut artibus omnibus ſufficiat, peculiarem etiam uſum poſcit. Non quicunque docentis mulſo aures implet, mox facundus eſt: expedire linguam ipſe debet, & maturum animi ſenſum elaborato verborũ includere ambitu,

ambitu, ut inter Suadæ alumnos nomen ſuum profiteatur. Vt ſcias quàm difficile ſit loqui; hoc ante omnia agimus, & in crepuſculo rationis molimur. Nondum pedem puer figit, aut veſtigia premit, & voces rudi conatu concitat. Vix oſtendit natura hominem, cùm frangere infantiam incipit: ſed ne ſic quidem, cùm ingenium maturuit, ſermo adultus eſt. Totam ætatẽ profectò, niſi exerceas, balbuties occupat; & niſi loqui puer orſus ſit, etiam in ſenectute infans erit. Totum hoc tamen, quod dico, Eloquentiæ duntaxat rudimentũ, & velut limen eſt: arte & exercitatione opus, ut pervadas, ac tandem diſertus fis. Sed quos limites ſollertia humani patitur ingenii? Poſtquam primum ſive naturæ, ſive induſtriæ miraculum eviluit, ſcribere; tentavit quiſq; etiam ſine voce loqui. Linguæ oriſq; vices ad manum tranſlatæ ſunt, & ſermonis picturam niveum papyri æquor excepit. Parum erat, indicium animi miniſterio formare vocis, niſi & abſentes poſteriq; audirẽt. Prorſus imperfectum linguæ ingeniũ mortales

tales cenſuerũt, niſi & calami uſus accederet. Quàm verò id arduum, loqui, etiam cùm non loqueris; imò quàm laborioſum, niſi longa exercitatione ſcriptionis ager ſubactus ſit, is judicet, qui æternitatis agere negotium conſuevit. Stilus profectò niſi manum exarantis quotidie laſſaverit, tabellamq; litterarum impleverit ſulcis, eniteſcere non poteſt. Scribendum eſt, ut ſcribas: & jugi exercitatione opus, ut fructum ingenii colligas. Ab agro nemo exſpectat ſemina, ſed exigit: minimũ eſt quod ſeris. Sic arborem plantare ſatis nõ eſt: rigare debes, putare debes, & pertinaci cultu quidquid ſperas urgere. Hæc quoq; docentis conditio eſt: in Scholis ſi dictet ſtrenuè, aut dicat, promittit tantùm, quid præſtare debeat. ſeorſim aut privatim quiſque prodeſt. Bene eſt. invitãt me induſtriæ circumquaque exempla, ne ignavus ſim; & cùm vos intueor, Viri eximii clariſſimiq;, ad Exercitationes accendor. Sic igitur, paucorum neglectis judiciis, illud uſurpare audacter pergã, quod faciunt omnes, qui juventutem amant:

amant: & hoc agam, ut quàm maximè proficiant, qui æſtimare otium ſuum incœperunt. Sanè, ne fruſtra ego doceam, alii audiant: tanti quiſq; humanitatis ſtudia faciet, ut digna exercitatione videantur. Quo in munere verſer, & quantum vobis debeam, Generoſi juvenes, perpendā potiùs, quàm quid fieri aliqui nollēt. Debeo, ut cum elegantia docti ſitis; & hoc ipſum aliqui nolunt. Quis affectus animos concitet? placere aliquibus non potui, poſtquam corrigere defectum aliquē Philologiæ cœpi; & vel ideo jam PVTEANVS peccat, quia in litteris juventus proficit: proficit autem, quia exercetur. Non jactabo ingenii mei vires. induſtria aliqua ſi ſuperavi quos ſecutus ſum, memoriæ beneficium à Poſteris exſpectabo. Diatribas ſuas alii habuerint: Palæſtræ ſanè exemplum à nemine accepi. & ut LIPSIVM divinæ mentis virum excipiam, quis ab Academia condita tam liberaliter Muſarum ſacra explicuit, ut publico vocis magiſterio, Palæſtricas *Diſſertationes, Recitationes, Lectiones, Diſputationes* adjiceret?

ceret? aut quis tam generosè formavit juventutis indolem,ut cùm manũ, etiam otium ſuum, neglecta utilitate privata, impenderet? Docere mehercle multis facilius fuit,quàm *Dirigere.* Alii quoq; Litteras in Academia diſcere, turpe arbitrati; ne excolerent, quas didicerant; ac tandẽ ut contemnerent,quàs ignorarent. Dicamus etiam, fuiſſe Exercitationes Eloquẽtiæ; fuiſſe, qui elegantiarum illam Spartam exornarint:Palæſtra tamen æquè ignota fuit, ac non intelligunt, qui nollent inſtitutam. Ad nomen provoco: BONÆ MENTIS indigetavi, & quod in homine ſummum eſt,colendum propoſui; ut Virtutis inſtrumenta Litteræ fierent, & Virtus Litterarum. Mores docemus, cùm eloquentiam, atque è veteri inſtituto univerſam eruditione ſapientiam occupamus.Etenim Oratorem priſca illa ſeveritas *virum eſſe bonum, dicendi peritũ* definivit, & quaſi eloqui ſatis nõ eſſet, etiam animũ, & compoſitæ officia vitæ exegit. Poëta talem omnino propoſuit, qui ſapienti facundia ſeditionis

nis aliquam flammam compeſceret.
Tum pietate gravem ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisq́ auribus adſtãt.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Vir pietate gravis ac meritis, vir ille *bonus* eſt ac ſapiens; ſed qui regit mulcetq; dictis, *dicendi peritus* eſt. Nec fruſtra apud Satiricum Rhetor Eloquẽtiæ arcana traditurus, *Adoleſcẽs*, inquit, *quoniam ſermonem habes non publici ſaporis, & quod rariſſimum eſt, amas Bonam Mentem, non fraudabo te arte ſecreta.* Eloquentiæ legibus honeſtæ omnes artes obnoxiæ ſunt; nec Litteris excellere quiſquam poteſt, niſi odiſſe vitia inceperit. Fruſtra feliciſſimæ ſpei ſurculum vitioſo trunco inſeveris: Difficili nimis veſtigio iter carpit, qui ſub onere deſtinavit proficiſci. Ingenii autem ſarcinæ vitia ſunt, & euntem ad Muſarum voluptates impediunt. Liber & expeditus ille, qui pravas cupidines omnes projecit; qui ſemel ſtatuit, à multorum exemplo recedendũ eſſe; nihilq; in omni doctrina putat ſolidi, quod virtute non ſtipetur. Sic enim

enim Antiquitas tradidit, *Rem pulcherrimam, eruditionem; cum vitiis mentis non poſſe miſceri.* Vitæ igitur, morumq́; ſordes quicumq; expurgaverit, facilè bonarũm artium limen inveniet; cùm citiùs etiam inſepultorum manes ſeverus Cocyti portitor cymba exceperit, quàm improbum ingenium Minervæ favor complectatur. Sed Rhetorem noſtrum audiamus, qui divino planè ore ſententiam hanc extendit: *Ne ſtudio quidẽ operis pulcherrimi vacare Mens, niſi omnibus vitiis libera, poteſt: primùm, quòd in eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpiumq́; conſortium; & cogitare optima ſimul ac deterrima, non magis ſit unius animi, quàm ejuſdem hominis, bonum eſſe ac malum. tum illa quoque ex cauſſa, quòd mentem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpâ carentibus curis oportet. Ita demum enim libera ac tota, nulla diſtringente atque aliò ducente cauſſa, ſpectabit id ſolum ad quod accingitur. Quòd ſi agrorum nimia cura, & ſolicitior rei familiaris diligentia, & venandi voluptas, & dati ſpectaculis dies, multum ſtudiis auferunt (huic enim rei perit tempus quodcunque*

que alteri datur) quid putamus facturas, cupiditatem, avaritiam, invidiam, quarum impotentiſſimæ cogitationes ſomnos etiam ipſos, & illa per quietem viſa perturbant? Nihil eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus cōciſum atque laceratum, quàm mala Mens. Nam & cùm inſidiatur, ſpe, curis, labore diſtringitur; & jam cùm ſceleris compos fuerit, ſollicitudine, pœnitentia, pœnarum omniū exſpectatione torquetur. Quis inter hæc litteris, aut ulli bonæ arti locus? non hercle magis quàm frugibus in terra ſentibus ac rubis occupata. Quid igitur eſt? MENS BONA ad animi pariter ingeniiq́; cultum refertur, & noxia, imò tarda omnis eruditio, niſi mores conſpirent; ut nulla eloquentia, niſi virtus ſocietur. Imò MENS BONA, ipſa Minerva eſt, & è capite Iovis nata. Minervæ nomē, ſi ad ſtudia referam, an quis reprehendet? Iam verò PALÆSTRA Exercitationem animi ingeniiq́; comprehendit. IN PALÆSTRA BONÆ MENTIS ANIMI INGENIIQ. CVLTVS ESTO, id eſt Doctrinę ac Virtutis, Sophiæ ac Suadæ. Græcorum conſuetu-

 dinem

dinem exprimere Lege volui, & in mores noſtros transferre. Græcorum inquam, qui etſi Palæſtras, ſedes, porticus, corporis cauſſa invenerint ſtruxerintq́; tamen, ut exercerentur & delectarentur nobiliùs, eundem Rhetoricæ & Sapientiæ eſſe locum voluerunt. Verbis meis facilem Vitruvius fidem facit, Palæſtrarum ædificationem explicans: *Nunc mihi videtur*, inquit, *tametſi non ſint Italicæ conſuetudinis, Palæſtrarum ædificationes, tradere explicatè, & quemadmodum apud Græcos conſtituantur, monſtrare. Conſtituuntur autem in tribus porticibus exedræ ſpatioſæ, habentes ſedes, in quibus Philoſophi, Rhetores, reliquiq́, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Dignam verò etiam Ciceronis teſtimonio antiquitatē iſtam cenſeo, qui ut Oratorem ſuum formaret, loco Palæſtræ ac nomine uſus eſt: *Num tandem*, inquit, *locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipſa, ubi ambulamus, & Palæſtra, & tot locis ſeſſiones; Gymnaſiorum & Græcarum Diſputationum memoriam quodāmodo commovent?* An & reliqua adjicio? imò potiùs

tiùs excerpo. *Primùm Palæſtram, ſedes, & porticus, etiam ipſos Græcos exercitationis & delectationis cauſſa, non Diſputationis, inveniſſe arbitror. Nam & ſeculis multis antè Gymnaſia inventa ſunt, quàm in his garrire Philoſophi cœperunt; & hoc ipſo tempore, cùm omnia Gymnaſia Philoſophi teneant, tamen eorum auditores diſcum audire, quàm Philoſophum malunt: qui ſimul ut increpuit, in media oratione, de maximis rebus & graviſſimis diſputantem Philoſophum omnes unctionis cauſſa relinquunt. ita leviſſimam delectationem graviſſimæ, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt.* De Gymnaſiis mehercle novum hodie non eſt: & quidni igitur eodem ac pari in Scholam jure nomē PALÆSTRÆ migret? Ejuſdem uti auctoritate Ciceronis poſſum, ad Atticum: *His temporibus tam dubia vita optimi cujusq., magni æſtimo unius æſtatis fructum* PALÆSTRÆ PALATINÆ. Græcanicum ecce inſtitutum, etiam Romanum facit, & Orbi Latino imitandum proponit. Quinimò in Oratore ſuo *Nitidum quoddam genus verborum & lætum, ſed Palæſtræ magis & olei, quàm hujus*

civilis turbæ ac fori, diſtinguit. Sermonis Deum, Mercurium eſſe, fabuloſa eruditio voluit: ſic & Palæſtram ejus filiam, quia ab eodem inventam. Reddat gratiam inventori ſuo, pietatem parenti; & ab Athletis ad Suadæ Alumnos redeat, Mercuriiq; Myſtas. Oſtendam ego utiliùs jucundiúſque animum litteris, quàm corpus lucta exerceri: alienis laboribus meos jungam, & in PALÆSTRA BONÆ MENTIS ſudare paratus ſum, *ut apta Reipub. grata Principi, Iuventus exſurgat Belgica, & ut aliquo etiam incremento Nobiliſſimæ Academiæ fama producatur*. Vbicunque terrarum vel levem eruditionis umbram mitior barbaries reliquit, inſtaurari pridem amor ingenii cœpit: ſed ab hac felicitate pertinax belli calamitas Lovanium nuper removit. Vixit potiùs quàm viguit inclytum Athenæi nomen: & quemadmodum in morbo aliquo fieri videmus, corpus ſine flore ac venuſtate fuit. an aliud extorquere à fato ſuo Belgica potuit? Nunc vires aliquæ redierunt, & priſca dignitas eas iterum artes complexa eſt,

eſt, ſine quibus eſſe Academia non poteſt. Sed novem Iovis filiæ, quaſi majori temporum ſqualore involutæ, induere priſtinæ dignitatis ornamenta non potuêre, averſum quibus ævum pellicerent. Ergo florent ſtudia, ad quæ concurrunt indigenæ tantùm, aut finitimi: ſtudia, quæ in ſuis quæq; finibus gens inveniat. Sed quid eſt? non noſtra tantùm, ſed aliena quoque florere juventute Lovanium debet: non Belgas tantùm, ſed orbem univerſum erudire. In Scholis noſtris, niſi Gallus, Germanus, Sarmata, Iberus, Italus ſedeat, adhuc ſolitudo erit; niſi diſcant quidquid uſquam eſt hominum, tueri nomen ſuum Academia non poteſt. Fulgens illud Rectoris Magnifici ſceptrum, & purpureum inſigne, reliquámq; pompam quanti cenſes? non hæc unius provinciæ aut populi majeſtas eſt: ſtipari univerſa Europa debet, ut in una & Academica purpura ſummum Pontificem, Cæſarem, Regem, Principem revereare. Adſit è toto orbe Juventus, & ſplendorem ſuum Schola inveniet: æſti-

mentur bonæ Litterę, nemo non concurret. Etenim hoc ſtudiorum genere nobiliſſimi quique eliciuntur; & peregrinari ſolent, quos aut generis ſplendor, aut honeſta ſciendi cupiditas excitat. Lucri doctrinam ibi ferè quiſque diſcit, ubi & præmia exſpectat: ſed cùm ſupra fortunam ſe indolis nobilitas erexit, etiam in extremis, & ſejunctis mari terris BONAM MENTEM quæret. Iam virorum Principum filii Litterarum has elegantias inveſtigant, ut Eloquentiam Hiſtoriámque diſcant, & amœna eruditione viam ſibi ad Ethicæ Politicæque templa aperiant. Hinc Chriſtianæ totius Nobilitatis veſtigiis Italia premitur, Gallia pererratur; quaſi priſcæ eruditionis aliquæ utrobiq; reliquiæ ſint, & in ipſis ruderibus ac monumentis imago ſaltem ſpiret ſanguinis decorisq; Romani. Quid dicam? in ipſa hac urbe Galliam, hiſce mœnibus, velut Alpibus cinctam Italiam habebimus, ſi PALÆSTRAM: Litteræ floreant, & Roma hîc erit: eruditio vigeat, & ad veterem illam frequentiam

quentiam civitas reſurget. Hæc inſtituti mei ratio eſt, ut exercere Iuventutem non poſſim, niſi de urbe & Academia bene merear: nec promovere Eloquentiam, niſi ut diſcentium numerus augeatur. Novum ac vicinum Batavorum Athenæum quid tantopere auxit ornavitque? Illices hæ Litteræ: quæ inſigniter evectæ, à novo nũc Atlante, DANIELE HEINSIO, ſuſtentantur. Sed & Mediolanum, urbs maxima, toties ruinis ſuis aucta, nunc tandem ad felicitatis faſtigium uno Muſarum domicilio ſurrexit, poſtquam in Litteris Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Cardinalis FREDERICVS BORROMÆVS invenit, quod maximæ urbis gloriæ poſſet addi. O Litterarum, non ædificium dicam, ſed miraculum! quod Orbis totius, & Antiquitatis theſauri videntur adornare. O Virum, ſeculi non ornamentum dicam, ſed numen! à quo tantum exſpectare beneficium æternitas ingeniorum potuit. Sed nos ſi optimi Antiſtitis veſtigia ſequimur, quid nî & profectum aliquem ſpere-

mus? Aliquis hîc quoque BORROMAEVS erit: aliquis Patrocinium Palæſtræ ſuſcipiet: & cùm primùm pubeſcentibus adhuc alis ſe BONAE MENTIS Fama tollet, ingeniorúmque auſpicia quædam explicabit; neſcire Litteras nemo volet, ignorare Lovanium nemo poterit; & huc tandem velut ad portum ſe recipient Litterarum amatores, qui tempeſtate quadam ſeculi ubique ferè jactantur. Alios quoque ſpes boni victuriq; nominis trahet, cùm pulchrum putabunt, in BONAE MENTIS Gymnaſio, tanquam in theatro verſari, & à doctis omnibus conſpici. Nam ſive linguæ facundo conatu volet innoteſcere; publicus dicendi campus apertus erit: ſive ſtili; pangere poterit, quod exacto quoque Solis curriculo edatur. In hunc quippe finem ſecunda menſis cujuſque hebdomade Recitationes inſtitutæ, ut & illæ, ſi tamen digne inveniantur multorum oculis, Famæ quotannis mantiſſam conſtituant. Et quantam, Bone Deus, è laudabili hac ſcribendi conſuetudine lu-

cem

cem juventus colliget! Studiorum ſpecimina producent Diſcipuli; ſed nomen Doctores ſimul omnes invenient. Mirabuntur profectò exteri, non minùs immortalitatis, quàm eruditionis hîc negotium geri: nec tam prolixam Scholæ felicitatem intelligent, in qua qui diſcunt, etiam Famam non vano ſtili tirocinio audent provocare. Tanquam λαμπαδηδρομίαν omnes inſtituant, Promethei quandam facem per vices accipient, & lucebũt. Sed egregio præibunt exemplo Honorarii; in hunc quoque numerum, diſtincto ordine, partim ſcripti, partim adſcribendi; homines ſtilo induſtriáque prompti: & florebit BONAE MENTIS hoc agmen, etiam iis, qui non aderunt. Rempublicam aliquam cenſete hanc PALÆSTRAM; ſed Litterariam. Extra mœnia, atque toto adeò terrarum orbe quærendi cives, ut potentiam augeas: qui naſci non potuerunt liberi, ſolent adoptari. Æſtimabimus ingenia, etiam quæ non fecimus; quid moliamur, abſentium & adſcriptorum virtus eruditio, mo-

res indicabunt. Paratus profectò non unus, dare nomen, ut extendat quoque; immittere lumen, ut recipiat; ibi promere ingenii ſui cenſum, ubi pretium exſpectat. Sed Sereniſſ. favor PRINCIPIS mox frequentiam faciet; ut Phœbus diem: & tali lumine felices ſe putabunt, quicumque litteras tractant.

Signa igitur BONÆ MENTIS nemo non ſequetur: ſcribet mittétque quotannis quod è PALÆSTRA prodeat; & Solem adorabit, ut diem mereatur. Sic ubi nec erit PALÆSTRA, nominabitur; & erit tamen, ubicumque terrarum doctis facem pectoribus inclyti Patrocinii æternitas ſubjiciet. Quid etiam? Viſent quandoque hanc BONAE MENTIS arcem tam ſtrenui bellatores, hanc tironum cohortem, illi emeriti; & ut quàm optimè militiæ noſtræ conſulant, præſtantiſſimos undequaque ſubmittent juvenum, qui exerceantur. Ab iſto flore celebritas pendet Academiæ: & ut à fœcunda ſegete laudare agrum ſolemus; ita Lova-

nium

nium extollent exteri, ubi pari unumquemque gradu proficere in optimis animadvertent artibus, & ſimul inclareſcere. Fallor, an in his ſubſelliis jam ſedét, qui, niſi PALÆSTRA eſſet, Lovanium fortaſſis nunquam cogitaſſent? Multorum ſanè adventum velox Fama prænuntiat; & mox aderũt, qui partem putabunt eruditionis, in hac urbe didiciſſe.

Parate hoſpitia cives, inſtruite domos, & alibi ruinas inſtaurate: contubernia veſtra PALAESTRA BONAE MENTIS implebit. Conſpexiſtis quandoque, & aluiſtis meliorem orbis juventutem, Minervæ velut exercitum aliquem; & quam multæ alibi urbes non caperent frequentiam, hæ Scholæ capiebant. Numerate florentis pridem Academiæ populum, provinciarum omnium florem; XIV. imò XV. millia invenietis. Belli furor diſſipavit tam nobile & copioſum agmen, cùm Litteræ omnes fugerent: ſed ſi quies faveat, & Muſarum iterum amœnitatem ſeveriores artes induant, novo concurſu multitudo

tudo coaleſcet. Rerum humanarum iſtæ vices ſunt: nec Fortunam novit, qui vel in adverſis conſtantem arbitratur. Pro ſuo quiſq; munere Vrbem & Academiam cogitabit: ego, ut honeſtiſſimo exemplo exteram juventutem excitem; noſtram, ut dixi, *aptam Reipub. gratamq; Principi* conabor reddere. Iis potiſſimùm ſtudiis togæ ſagiq; fulciri decus, quibus Humanitas nomen dedit, illuſtria tot Romanorum Græcorumq; exempla docuerũt; ſed an ſcienda hæc ipſa, ſi Litteras neſcias? Nondum ab omni Antiquitate mores ſeculi receſſerunt: nec tam beati mortales naſcimur, ut carere illuſtrium rerum & ingeniorum memoria debeamus. Si naturam interrogas, nunc etiam homines ſunt, quibuſcum vivis: ſi rationem, nunc etiam cives, quibus cum agis: AT INTER HOMINES, INTER CIVES EMINERE, PALÆSTRA BONÆ MENTIS docet. animum ſuggerit, quo explere virtutis munia audeas; tum ingenium, quo eruditionem, eloquentiam, ſapientiam capeſſas; tibi, ac Reipublicæ

utilis

utilis ſis. Quippe hæc veri hominis civiſq; officia ſunt, ut quæ factu optima, loqui ac præcipere; quę dictu pulcherrima, facere pari promptitudine poſſimus. Et quàm multa in communi vitæ uſu ſunt, quæ ſine Litterarum cognitione non habentur! quàm multa in Litteris, quorum pulcherrimum uſum à ſola Exercitatione ſperes! Minuta deſpicio, ne infra indolem ſuam nobiliſſima hæc juventus occupetur. Quæ Principis dignitatē vicino tangunt gradu, ſi in ſinuem ſaltem, laudē apud magnos PALÆSTRA hæc inveniat. Itaque tutiſſimam gubernandi formam prudenti ſermone quis aperiet, niſi regum & populorum Hiſtoria dicentis conſiliū inſtruxerit? Quis in ſeditione aliqua repentina ad concordiam civium militumq; animos reducet, niſi efficaci exemplorum præſidio fulta oratio, fluctibus illis concitatæ multitudinis ſe audebit committere? Quis Principis ſui perſonam decoro ſatis habitu Legatus repręſentet, niſi culta ac nitida Suadæ pompa mādata veſtierit? Etiam epiſtolarum ac-

curato

curato nexu maximarũ rerum dignitas conſtat: & in hunc præcipuè maximi ſolent honores confluere, qui ſtilo quàm feliciſſimè utitur: qui in aula agit, quod in Academia tanquã puerile imperitiſſimi aliqui faſtidiunt. PALÆSTRA certè non pudendam cenſebit operam, etiam quæ epiſtolæ impenditur, cùm & continuũ ſtili commercium cunctis præſcribat. COMMERCIVM EPISTOLARE INSTITVVNTO. Audéſne ſcire, quî cum maximo fructu eruditus ſis? promptũ ad omne argumentum ſcriptionis compara obſequium; & hoc age, ut intelligi poſſis, cùm non audiris: ut venuſtè tranſmittas ſecreta animi, & ſermonẽ etiam ſine voce formes. Præcipuus hodie Eloquentiæ uſus ad epiſtolam traductus eſt: & hæc ferè una, quidquid publicè privatimq; geritur, gubernat. Pacis arma, & militiæ conſiliũ ſiquis Stilum vocet, neceſſitatem expreſſerit. Vnde ſi forũ ingreſſus fueris, & tribunalia excuſſeris; ſi Curiam & Senatum luſtraveris; putes hoc unum utrobiq; negotium eſſe, ſcribere. In caſtris

ſtris verò non gladio omnes, etiam calamo pleriq; accincti ſunt. Milites hîc Suada, imò Epiſtola ſuos habet. Neq; enim is ſolus pugnat, qui in acie ſtat, & cornu dexterum lævumq; defendit; ſed & qui Duci aſſiſtit, qui mandata ejus ſcribit, qui conſilia novit, & à-Secretis eſt. Nimirum & hæ vigiliæ quædam ſunt, & in ipſo prętorio ſtationes: belli miniſteria, ſed incruenta; & ſic tamen ſtipendiorum honore & emolumento digna. De Advocatis, quid olim ab Imperatoribus conſtitutum, meminiſtis: *non minùs provident humano generi, quàm ſi prælijs atq; vulneribus patriam parentesq; ſervarent.* Cauſſam, vicinis depromptã verbis, adjicio: *Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, thoracibus nituntur; ſed qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt.* Vt igitur in ipſo foro nomen & imago militiæ eſt: ſic in ipſis caſtris togati pugnant, ſtilo velut telo inſtructi. Neque enim corpora hîc feriuntur hoſtium, ſed conſilia; & fiunt ea, quæ faventem rebus Fortunam conciliãt.

Monen-

Monentur ſocii; evocantur præſidia; paratur commeatus: unius Epiſtolæ beneficio ſummus Imperator belli ubique præſens eſt. quod tanti olim Cæſar fecit, ut cùm ſcriberet ipſe, etiam otiari ſibi viſus ſit, niſi plurium ſimul manus dictando occupaſſet. Longum exiſtimo per omnia Reipubl. ire munia, & ut PALÆSTRAM cōmendem, Litterarum utilitatem perſequi: præmia maloꝗque parata ſunt, ſi quis amare BONAM MENTEM inceperit. Etenim quod longa alibi laborum temporisq; periodo quæri ſolet, ut PRINCIPI PATRIÆQ placeas, hîc citra tædium invenies; & tanquā ne vota quidem ulla Fortuna exſpectet, in limine & veſtibulo honeſtiſſimarum Exercitationum benignitatem ſuam expromet. Non torquebo per ambages animoſam verborum fiduciam; quam toties nomino PALÆSTRAM, luculēto ſtabilire Diplomate Sereniſſ. noſter PRINCEPS voluit; & ut omnia BONÆ MENTIS Amatoribus promitteret, Imaginem quoque ſuam dedit. Agnoſcite ſacratiſſimum vultum, & ſtrenuè hanc

hanc Spartam ornate, in qua non minùs ipſe PRINCEPS, quàm Litteræ coluntur. Illius benevolētiam, harum fructum ęſtimate, & ab hoc auro diſcite, etiā in BONÆ MENTIS domicilio divitias habitare. Arbitro quidem inſigne deſtinatum eſt, honor omnibus; ut Virtutum perfectiſſimū exemplar unus aliquis oſtenderet, omnes intuerentur; unus gereret, omnes poſſiderent. Et quos non ſtimulos animo cujuſq; imprimat perpetuum hoc honoris pignus? Liberè dicam: Principem ipſum ſiquis deſpiciat, negligere aut irridere optimarum deinceps Litterarum ſtudia poterit: ignaviæ aut inertiæ ſiquis animum devovit, tutiſſimū ingeniorū aſylum ſubſannare. Eja agè, da nomen, quiſquis generoſam alis indolem: ſume ſcitum, ſuſpende Symbolum, ut emineas: & tu Arbiter eſſe poteris, ſi in BONÆ MENTIS iſto pulvere ſudabis: inſignire auri fulgore pectus tuum, ſi priùs bonis artibus feſtinas. Hoc etiam certiſſimo polliceri vaticinio poſſum, magnum te quandoq; in Republ. fore, ſi in PALÆSTRA fueris;

aptum negotiis, ſi Litteras excolueris: cùm & in Palæſtra, velut umbra Rempubl. & in Litteris negotia, tanquam in Ethicæ Politicæq; officina tractemus. Bonos formamus Patriæ cives, Principi ſubditos: & bonos cenſemus, qui doctrina & prudētia fiunt; qui magnæ Virtutis inſtrumenta Exercitationes Palæſtricas habent. Vt enim picturę pretium, non colores, ſed imagines faciunt, & felicitas artis: ita Litteras, niſi ad vitæ morumq; ornamenta referantur, frigidè æſtimamus. Porrò quid non à PRINCIPE tuo ſperes, cui priuſquam innotuiſti, placere incipis? Amplectitur omnes, quotquot meliore ducti inſtinctu ſe PALÆSTRÆ conſecrarunt, quotquot conſecrabunt. Et ut intelligas quæ promittat præmia, jam ſtudia tua æſtimat: imò ut intelligas, quibus promereri Fortunam artibus poſſis, ad BONAM ipſe MENTEM adhortatur. Quærit videlicet è tota iſta juvētute viros, quibus faveat; & jam exſpectat, quos læto benignitatis ſuæ affectu circumfundat. O magnum igitur Litterarum beneficium,

quæ

quæ facilem Principis dignationem impetrant; & eò ducunt, quò per longiſſimas ſolet ambages iri! Quotus nõ quiſq; aut magnatum terit limina, ut viam votis aperiat? aut favores emendicat, uti commendetur? aut amicitias emit, ne repulſam petitio patiatur? Has moleſtias anfractusq; homines amuſi ſubeunt, & tamen magnæ doctrinæ opinione fulti. Qui ſeriis amœnitatibus pectus imbuunt, rectam ad Principem, honoresq; publicos ſemitam inſiſtunt. Odioſa periodus, & fugienda, quoties compendium offertur: compendium Litteræ faciunt. & quemadmodum purior è fonte quàm è rivo aqua bibitur, quam fundus atq; ripæ lutulant: ſic luculentiſſimum favoris auxilium ab ipſo omnis dignitatis capite promanat. Itaque ſudat in eo ſtulta multorum aviditas, ut quò pervenire recto vitæ ſtudiorumq; itinere non poſſunt, obliquo tramite penetrent. obtinuiſſe honores divitiasq; ſatis eſt; & ut malis artibus plures decipiant, à ſummo ordiuntur. Quantũ ſeculi mores poſſint, in PRINCIPE

audent experiri. Sed neq; hoc tamen improbitatis auſpiciũ eſt: cùm à Numinis contemptu conſcientia occalluit, fas putant, quidquid impunitum eſt. In iſto verò animi tumultu, tranquillitatem homines mali, & innocẽtiam, quantum licet, mentiuntur: magni ſcilicet beatiq;, ſi populo imponant; ſi deſpicere poſſint, à quibus ęſtimantur. Sed quid fit? cùm in ridenti fortuna poſiti ſunt, hoc tamen aſſequi non poſſunt, ut pectus vindicent: cùm in multos imperium habent, ſibi tamen ſervi ſunt, quia felicitatis rorem, quo nutriri præſtantiſſima virtutis ſolent ſemina, in fomentum vertunt vanitatis. Etenim quemadmodum aurei Solis radii denſum Æthiopis colorem non mutant, ſed oſtendunt; in nivem autem immiſſi admirabili candore feriunt oculos: ita pravum ingenium, & omni Litterarum cultu deſtitutum, emendare nullus honor poteſt; rectũ candidúmq; omni Virtutis & Sapientiæ ſucco imbuit. Vos alloquor, ô lectiſſima & nobiliſſima juventus: vos adhortor & rogo, ut boni eſſe malitis

quàm

quàm magni; ut ea ametis ſtudia, quæ bonos faciunt: hanc PALAESTRAM, in qua Litteras exercere nemo poterit, niſi ut Virtutem diſcat; nec Virtutem diſcere, niſi ut PRINCIPI ſuo placeat. Laboribus ego præmium, voluptatem ſtatuo: ille ornamenta adjiciet; prætextam alibi, trabeam, latūq; clavum donabit; & ut compendio abſolvam, eminere in Republ. te volet, ſi exercitatus acceſſeris; amare volet, ſi Litteras colueris; complecti volet, ſi pectus prębueris. Sed quid ſermonem ego ultrà necto, ubi PRINCEPS loquitur? quid verba ego paro, ubi ille promiſſa? quid ſtimulos ego, ubi ille honores? Audite vocem: ſic ad BONAM MENTEM hortatur, qui docere eam exemplo ſuo poteſt: ſic Litteras & eloquentiam commendat, qui tantum in iiſdem profecit, ut intelligat ſe florentem rerum ſtatum habere ſine Litteris & eloquentia non poſſe. Recitare incipio: vos Diploma expendite, & blanda majeſtatis aura deſideria acuite; ut, ſi quis honoris aculeus honeſtā ſtimulet indolem, tanti jam à vobis

benignitas fiat PRINCIPIS, quanti ille Litterarum dignitatem fecit.

Non adjiciam Soli lumen, nec fonti aquam: hi radii à majeſtate funduntur PRINCIPIS; hi latices perenni ſcaturiunt origine; nec illuſtrem tantùm, ſed æternam BONAE MENTIS PALÆSTRAM reddunt. Vos, quibus nobili vigore calet ſanguis, pari librate lance, quid promittat, ac ſimul quid exigat, publica illa ſolennium tabularum auctoritate Optimus Sereniſſimusq; PRINCEPS. Quid promittat? ſuaviſſimis Exercitationibus præmia; & ut majus etiam conferat beneficiũ, animi ingeniiq; cultum exigit, & hoc agit, ut præmia intelligas. Maxima felicitatis pars eſt, ſcire quàm felix ſis: nec Fortunam ſuam capit, qui minorem animum poſſidet. Quid igitur? Animũ cole, & Litteras diſce, ut Fortunam ſcias; imò PRINCIPEM audi, ut Fortunam merearis. Operam cujuſq; poſcit ille, ſed & deſignat, paratus in Rempubl. Curiámque Academicas illas adoptare laureas, ſi in PALAESTRA BONAE MENTIS maturuerint: fructum ſine his Litteris ferre nullum

poſſunt. Etenim ut in bello fruſtra procerus,& membrorum firmitate ac robore miles dotatus eſt, niſi caput galea, pectus lorica clipeusq; muniāt; manum deinde enſis, haſta, telum armet: ita in rebus agendis, populisque gubernandis, non ſola ſcientia, ſed quæ eruditioni, prudentiæ, eloquentiæ, ac demum BONAE MENTI jungitur, valet. Cogitate Numiſma, cogitate Diploma, & honeſtiſſimo amœniorum artium deſiderio animos accendite, ut EMINERE inter homines, intérque cives poſſitis. Vtrumque facile, ſi audere tantùm unuſquiſque incipiat, & ingenium experiri. Nam de iniquitate temporum queri, moroſum eſt: felices jam in ipſis Litterarum reliquiis eſſe poſſumus, & vel Antiquitatem provocare, ſi ſequimur: imò, digni eſſe, quos Muſarum fama reſpiciat. Ergo projicite humiles cogitationes, & hoc ſemel ſtatuite, puerile non eſſe, quod in ornamentum omnis ætatis, in ſolatiũ omnis ærumnæ diſcitur: neceſſariũ eſſe, ſine quo ut maximè vivas, à morte non diſtinguaris; ut maximè

ſapias, infans & imprudens ſis. Hominem, imò, virum Eloquentia facit, ad quam duco; imò ne infra vota poſitus videare, qui Palæstram adis, novus Litterarũ ſplendor efficiet. Quod ſummum eſt, Principem cogita; & quantum ille ſtudiis tribuit, tantum rebus quoque tuis acceſſurum. Iterum dico: Principem cogita; & hoc fundamento Palæstram Bonæ Mentis niti, Leges fulciri, decreta ſtare: quæ ejuſmodi ſunt, ut ſiquis jam Litteras ab Academia removeat, videatur in ipſo Reipublicæ corpore caput, in Muſarum ſacrario Apollinẽ Herculémque aſpernari. Principis auctoritate opus erat, ut fundamenta Palæstra acciperet: imò, ut ſtaret, longiq; ævi injuriam vinceret. Ne fruſtra inſtitutæ viderentur nobiliſſimæ Exercitationes, tranſmitti ad poſteros debuerunt: ſic inchoari, ne unquam deſinerent. Sed hæc quoque optimi & incomparabilis Principis noſtri virtus eſt, ut omnibus prodeſſe velit ſeculis, & infra magnitudinem ſuam putet beneficium, quod nullum non popu-

populum, nullam non ætatem obſtringat. Sed in PALÆSTRA ſolum ſi Sereniſſimum PRINCIPIS nomen eſſet, perennaret dignitas Litterarum: nunc quem non fructum perpetuus favor promittat? Vt ab uno Sole lumen & vigorem Stellæ omnes accipiunt, ac deinde transfundunt: ita ab uno capite origo erit omnis gloriæ, ab uno fonte perennitas tot rivorum, quibus rerum, ut ſic dicam, temporúmq; Oceanus impleatur. Me certè pœnitere deinceps conſilii mei non poterit: pergam in munere quod ſuſcepi, & quemadmodum navem gubernator ſolet, univerſam PALAESTRÆ machinam ſtrenuè minantibus fluctibus procellisq; objiciã. Nullum ſine tempeſtate mare eſt; & ut ſcias nihil non periculo obnoxium, etiam in Litteris Scholisque publicis Æoli furor graſſatur. Quas ſulcare undas cœperim, è portu quiſque ſtudiorum aut littore animadvertit: & quorum induſtria aliqua mea invidiã exacui, timere audaciam poſſem, ſi tam facilè me virtutis oblivio caperet,

quàm malè agunt, qui delicias ſuas putant, eruditionem cõtemnere. Sed aliqui tamen ſic affecti ſunt, ut omnes exulare Muſarum elegantias malint, quàm PALÆSTRAM non deſpicere; parati, publicum BONÆ MENTIS fructum obſtrepentium verborum illuvione mergere, quò Famæ favorem à conatu Dirigentis arceant. Sic paullatim quid agam, ex ipſis impedimentis intelligo; ac bene mereri de juventute videor, quia nonnullos offendo. Pergam verò, & auctoritate nixus PRINCIPIS, quas doceo publicè artes, attollam; quam erudio juventutem, exercebo. Sed & vires favor veſter addit, Viri vivendo Optimi, docendo Clariſſimi: quibuſcum tam ſuavis mihi vitæ ſtudiorúmque toto jam quadriennio fuit familiaritas, ut nemo de me, de nemine ego conqueſtus ſim. Omnibus hic ſcopus eſt, prodeſſe: ut meliores ornatioréſque ex urbe & Academia recedant, qui ad Rempublicam acceſſuri ſunt. Me quidem quotidianus Scholarum fervor, & exercitationum celebritas accendunt,

ut quo

ut quo ſtudio & felicitate alius Theologum format, alius Iuriſconſultum, alius Medicum aut Philoſophum; pari ſaltem conatu, quantum debeamus neglectis pridem artibus, experiar; ut attollam elegantias, ſine quibus reſplendere ſublimium ſcientiarum dignitas non poteſt. Etenim Litteræ omnis doctrinæ velut colores ſunt, gemmæ ac deliciæ ſunt, & picturata quædam veſtis. Cogitet juventus, cui in pretio ornamenta eſſe ſolent: hæc aſſumat, quæ vera exculti animi inſignia ſunt, ut ſive in Republica verſari velit, benevolentiam populi; ſive in aula, oculos Principis mereatur. Arborem ſine cortice nec formoſam, nec fœcundam dixeris: ſic neque doctrinam, ſine eruditione. Quare doctrinam quiſquis æſtimabit, eruditionem junget; amare Academiam non poterit, ſi PALAESTRAM oderit. Agitè Nobiliſſimi ornatiſſimiq; juvenes, qui in ſolatium cariſſimorum parentum Patriæque creſcitis, nomen BONAE MENTI date, animi & ingenii agrum ſubigite: ut uberem quiſque fructum carpat,

carpat, ut honores ſperet, ut famam apud ſuos inveniat, ut Patriæ & Principi placeat, ampliùs ignorare Litteras non poteſt. Quòd ſi anguſti etiam Belgarum limites, & ubique terrarum præmia eruditio poſcat; jam vota omnium, Orbis compendium, Italia implet, & ab ipſis Alpibus favor & honor PALAESTRAE allubeſcunt. De Viris aliis magnis & amicis quid dicam? SACCO, SEPTALIO, MONTORFANO, SILVAT. CANTONIO, BIFFIO? quid de Principe juventutis Inſubricæ, Illuſtriſſimó Comite VITALIANO, Vicecomite Borromæo, omnis ingenii & eruditionis ornamentis inſtructiſſimo, & ut breviter totum laudem, ſtirpe & fortuna ſua digno? Amicitiæ & hoſpitii jam vobis limina, qui teſſeram fertis BONAE MENTIS, aperuêre. Ipſe Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus FREDERICVS BORROMÆVS, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, Auctor Bibliothecæ Ambroſianæ, pro incredibili humanitate ſua, in Athletas meos pronus eſt, & jam affectu munificus.

Quid

Quid mirum? abire ab ingenio ſuo Vir optimus doctiſſimusq; non poteſt; nec ſatis attollere in Italia ſibi Litteras viſus, niſi & in Belgio juvaret: quaſi totam humanitatis ubertatem condere in me non potuerit, etiam eos complectitur, quos diſciplina & exercitatione meos hactenus feci. Meminiſtis plerique veſtrum, ô ſeduli Suadæ Sophiæq; alumni, qua facilitate alloqui nuper abſentes dignatus eſt; quàm ſuavi ſcriptionis aura properantes ad honeſtarum artium ſtudia animos afflavit. Amorem effudit; & ut maximè hortaretur atque impelleret, etiam præſidia obtulit. Contemnant hunc honorem, qui velut terræ quædã pondera depreſſi jacent, & in vitæ ignavia mortuum nituntur otium abſcondere: ſed vos, qui vivere, non eſſe tantùm inter homines ſtatuiſtis, placere terrarum Dominis, & innoteſcere humano generi pergite; ut quantum Litteræ poſſint, Apalæſtrorum quandoque infelicitas fateatur. Tanquam faces eſtis, & tot jam annorum caliginem vincite, quæ Mu-

ſarum

ſarum triſtiſſimum vultum involverat. Quæ mora igitur? quod repagulum? Solvite, ſolvite, qui nondum ex numero meo eſtis, ligatum fallaci opinione animum, quaſi difficilis aut ſupervacua PALÆSTRA ſit: & amœniſſimo Exercitationum genere gaudium, decus, gloriam parate. Si vitæ ſtudiorúmque tranquillitas placet, nobile ſecurúmque otium in PALÆSTRA invenietis: ſi armorum adumbratus aliquis ſtrepitus, Palladis militiam hanc dicetis. Signum noſcite, imò Ducem, quem ſequamini: non tam ad prœlium, quàm ad victoriam eundum eſt. Facem capite, & in hoc certamine, in hac Palæſtra currite, ut BONAM MENTEM paretis. Famam promittimus. Ite ergo: non ſine laudis veſtigio via erit; non ſine Sapientię voluptate labor. Plura ſi dicam, dubitare de indole & induſtria veſtra videar: res ipſa incitare unumquemque debet & neceſſitas, ut Exerceatur. hoc enim nunc agitur, ut, qui in juventute iſta ſtrenui & excitati; contrà, qui ignavi & abjecti cenſeri debeant, ſciat ipſe

ipſe PRINCEPS, nemo non intelligat. Vos ſtrenui ſperate laudem: ſi qui ignavi, timete labem: hæc PALAESTRAE BONÆ MENTIS auſpicia ſunt. Tu nunc Arbiter ſurge, inſigne tuum cape, & PRINCIPIS Imaginem indue, ut quam egregio muneri diligentiam debeas, vel à pectore tuo diſcas; reliqui novam iſtam, & Diplomate conceſſam auctoritatem æſtiment. DIXI.

ORA-

ORATIO XIV.

IN SCLOPVM DECLAMATIO.

SIQVIS in hanc togam, & hoc PALLADIS ſignum oculos conjiciet, ô IVVENES, tacito poterit animi decreto armorum uſum averſari. Meum, ſilenti imagine adumbro munus, veſtrum indico. Suum intelliget, quiſquis meum penſitabit. Adſpice tranquillum Pacis habitum, ut Mars diſpliceat; hanc lanam, ut miteſcas; hanc furvam coloris ſeveritatem, ut lene docentis imperium æſtimes. Rigidus haud ſum, aut aſper: malo in veſte, quàm in fronte rugas. Lætam ingenii amœnitatem profiteor: ſtimulantis eloquii ſchemate ludo tantùm,

tùm, & PALLADIS SCLOPUM nuda oppugnatum voce eo, ſed ingenii aut orationis cauſſa: qui aliter interpretabitur, mihi vobiſque injuriam faciet, & in ipſam Eloquentiam peccabit. Sinite, ſinite Suadam ipſam paulliſper prœliari: in vocibus & ſclopus & bombus eſſe poterit. Sic verò ut fictam bilem conciſo nixu ejiciam, ecphonêſi inſurgo. O Muſæ, ô Litteræ ubi eſtis? In urbe, an in arce verſor? in ſcholis, an in caſtris? Ut qui è ſomno excitati, dubiis luminibus caligant & errant: ita poſt iteratam feriarum & modicam quietem, inſolenti rerum facie perturbor. In oculis armorum circumfero aciem, in auribus ſtrepitum. Belli, an Pacis eſſe debeam Myſta, neſcio. Dicere ac diſſerere ſoleo; nunc ad milites ſi verba facienda, aptam, quâ utar, orationem non inveniam. Orator non omninò imperitus ſum, fateor; ſed martiales alloqui animos necdum adſuevi. Togata mea PALLAS quam colo, & tranquillas docet artes, turbulentas dedocet. Quid ergò? Furiæ, publicaéque

 irarum

irarum tempeſtates profligatæ ſunt; & noſtris in manibus ferrum hæret? Arma ſaltem deteſtari liceat, quæ irati projecerunt. Quo diſcrimine miles cenſebitur, ſi in Academia Philoſophus furit, Orator pugnat; & pleraque PALLADIS corona prœliatur? Scilicet non ſine fructu Prætorianæ cohortis præſidium fuit; bellare didicimus. Sed monſtrum meherclè, ſiquis in toga pugnat: ſcelus, crudelitatem ſiquis in Pace ſpiret. Diſſidere felici ſidere Belgæ deſierunt, & ferrum tractant, qui bonarum artium ſtudiis operantur? Patria quieta eſt, & Academia æſtuat? Sedem ubi tranquillitas inveniet & Concordia, hîc ſi collidimur? Satis nimirum non periimus, niſi & litteræ intereant: nihil adhuc actum, ſi vires ſumere & vigere Muſæ audeant. Sed hæc improborum hominum vota ſunt, quibus ſervire Iuventutis furor ſi incipiat, cogemur faſces ponere, quicumque in re litteraria nomen aliquod

quod decúſque adepti. Diſcentium vitia noſtra fiunt, cùm non corripimus; veſtri à Doctoribus mores exiguntur. Mali ſumus, ni bonos facimus, quos erudimus: ſic ſatis nequaquam, doctrinam capeſſere, ſi mores dediſcantur. Mores autem quî boni ſint, cùm pravò armorum uſu in licentiam diffluunt? Non eadem ubique proba aut licita. Bellona terrorem poſcit, Pax quietem. Vis & vindicta, niſi in publicum hoſtem, ſcelus eſt. Facere adverſarium, ut perludum ſævias, peſſimæ indicium indolis & nota. Vindictam quærere, ut armis agas, humanitatis certè leges non permittunt. Saltem, ſi crudelis eſſe ſtatuiſti, ferro decerne; dignum oſtende hoſtem, quem ſine fraude ferias. O anni, ô mores! Iuvenilis iſthæc PALLAS SCLOPO inſtructa eſt, & qui in caſtris jam obmutuit ſonus, in Athenæo ſtrepit. Vnde hæc peſtis, hæc pernicies? Auctorem ſcio, ſed ſilentio ſupprimo: quem punire generoſiùs

roſiùs non poſſum, niſi ut taceam. Saltem in hoc vobis gratulor ô IVVENES, Belgam non eſſe. Habuiſtis quem ſequeremini. Etjam in peſſimis & apud peſſimos facilius eſt exemplum, quàm ſcelus. Malum, cùm originem habet, facillimè profluit; & arripiunt plures, quod uni impunè ceſſit. Malum cenſeo, inducere & ſuadere machinam, quam ſine piaculo, ſine periculo non tractes. Inſpice & conſidera quid geras, ut deteſtari incipias. Non ad pugnam, ſed ad lanienam inſtructus es. Si arma ſpiras, ab injuria abſtine: injuriam bombus, & miſſa ex inſidiis glans habet. Non ſic Majores noſtri pugnarunt; non ſic antiqua nobilitas parta. Nos ignobiles, niſi omnem Martis aſpernemur audaciam, quam SCLOPVS docuit. Nam pugnare quomodò deinceps libeat, ſi vincere ſine ſcelere non licebit? per infamiam ad victoriam ire, ſcelus eſt. Non vincis hoſtem, ſed fallis; nec manu tua cadit, quem interficis. Vir fortis deſpiciet arma, quibus & ignavus fortis ſit. Excute caſtrorum leges & ſacramen-

cramenta: non militis, ſed latronis hoc facinus eſt. Timere videris, quem ſic aggrederis. Generoſus animus experiri virtutem hoſtis ſui cupit, ut ſuam explicet. Pecudem, non hominem lanias; in quem, ne pugnes, ſævus eſſe ſtatuiſti. Fugit hoſtem, qui ſic vincit: amolitur enim, ne conferre greſſum cogatur, aleám que ſubeat; occîdit, ut cum ſcelere ignavus ſit. At inimicum habeo, adverſarium metuo, percuſſorem tollo: licet, ſed ne ipſe ſis. Scelera ſunt quæ puniuntur, non quibus punias. Deinde, turpis victoria, quæ in ſola vindicta poſita eſt: punienda vindicta, quæ infamiam unà trahit. Quod robur, quas vires jactes, ſi quem oderis, ſic ſternas calcéſque? Vivere velis, imò ſtare, ut pugnes: vivere velis, imò ſtare, ut timidiſſimæ audaciæ maculam evites. Hæ tibi voces exſpectandæ ſunt: Suſtulit, quem timuit; nefario facinore interemit, quem ſuſtinere auſus non fuit. Vir fortis non pugnando eſſe deſiiſti. An ſatis ferrum non erat, niſi ut igni crudeles mortales eſſemus ac nefarii?

An parum, eruere è terræ viſceribus audaciæ inſtrumentum, niſi æthereis quoque radiis ſæviremus? Et quid agis? ne tu pugnes, arma capis: ut homo in hominem ferus ſis, ipſa rerum principia committis, frigus flammámque conſeris, Naturam violas, & invitam ſervire ſceleri tuo facis. Bombus ipſe, quod celas, indicat; nec loquitur tantùm homicidii immanitatem, ſed clamat. Animus ſi obriguit, terror & ſonus exploſi SCLOPI monere te debeat, quod facinus conſignes, ut exhorreas. Quaſi ſatis non eſſet hominem tollere, in elementa peccamus. O audaciſſime mortalium, qui tantam primus peſtem otioſâ crudelitate, & crudeli otio commentus es; qui tot funerum auctor, tot cadaverum laniena, novum mortis genus oſtendiſti! Vtinam ſaltem ſine probro ingenioſus fuiſſes! ſine impietate crudelis! Eripuiſti Iovi ignem vindicem, & divino furore mortales armaſti dexteras, ut numen ipſum temerares. Tonantem cælo quis credet Io-

vem?

vem? in terris fulmina ſunt: Cyclopes mortales omnes facti. Ardentem igitur Vulcani officinam producis, &, ut arma hominibus cudas, Dei terrorem convellis. Tonate mortales; habetis, quod invenire Claudius ille Pulcher non potuit, cæleſtem cum fragore ignem adepti. Sed tu quidem nefandæ machinæ ſacerrime inventor, induſtriæ iſtud præmium meruiſti, ut ignotus lateas, pari cum Heroſtrato, qui Dianæ Epheſiæ templum incendit, flagitio & fortuna. Hoc ipſo ingenio opus erat ut perires. Crudelis in totum humanum genus ſit, qui in te mitis. Cerillus taurum primus expertus eſt quem conflarat: tu perire tuo illo inſtrumento debuiſti, quod fabricatus es; aut tamquàm Salmoneus alter,

Qui flammas Iovis & ſonitus imitatus olympi,
---qui nimbos & non imitabile fulmen,
Ære & cornipedum curſu ſimularat equorum,

rubente Iovis dextera proſterni. Nunc auctori pœnam remittamus: uti, & abuti cœpimus, quod damnamus; & iniquum eſt, omnium in unum culpam referre. Quoties uſurpas noxiam terribilemque machinam, invenis; auctor es, quoties explodis: ſi animi cauſſa, turpis & pernicioſus iſte ludus eſt: ſi vindictæ, fœda & tyrannica hæc pugna. Læſus fui, injuriam accepi: remittere potiùs debes, quàm ſic ulciſci. Infert ſcelus, qui ſic vindicat; facit injuriam, qui ſic punit. Quò te mentis morbi agunt? Si dignum pœna adverſarium judicas, vince, ut glorioſè poſſis occidere. Sciat ſe perire quem percutis: ſentiat mortem, ut herbam porrigat, & victum ſe fateatur, priuſquàm exſpiret. Poſtremò, agnoſcat vindicem, ut cujus ira cadat & manu, moriens intelligat. Si decretum eſt ſævire, quære quod in ipſo fato adverſarium cruciet: ſic occide, ut victorem te agnoſcat qui moritur. Amplius dicam: minare priùs exitium, quàm inferas. Nam mori qui cogitur, hoc quærit, ut una plaga pereat: ſed

ſed hoc ſimul ſtatue, mori non debere, quem non poſſis occidere. In hoſte aut inimico ſi vires quæris & æſtimas, arma ejuſdem experire: ſi negligis aut metuis, quid invadis? Ita me Deus! non pugnat, qui ſic trucidat, ut extra aleam ſit: & qui vincit, ne fortiter agat, victoris nomine indignus eſt. Imbelles gaudete, & ſperate gloriam: nocendi modò ſi adfertis audaciam, fortes ſine viribus cluetis. Quid nervi & lacerti præſtant, & quadrati corporis firmitas? vincere ignavis licet; & ne pugnent, debellare. Vide quid arma poſſint: SCLOPUS fecit, ut ante pugnam vulnus fatúmque ſint. Perire cogimur, pugnare prohibemur. Iſthuc redeo: quocumque tentas modo vim injuriámque pellere, SCLOPO inferis: nec nomen vincendo potes obtinere, cùm ſine turpitudine non vincas. Apud pleraſque gentes ſervare aut gerere hanc machinam capitale eſt: tam enorme putant, ſuis viribus non uti. Quantum corpore valeas, vulnus adverſarii loquatur, non quo inſtrumento uſus ſis. Gloriosè

pugnat, qui præter arma habet quod jacet; qui ſibi fidẽs, vulnerare inermis armatũ audet. Nunc fruſtrà in arenã deſcendimus bellatores: eandem tiro cladẽ faciet. Hoc martiale cenſeo, non inferre tantùm ictũ, ſed elidere poſſe, cùm viribus, aut agilitate præſtas. Solis armis qui fortis eſt, fortis non eſt. Alienæ iſtæ, non tuæ vires ſunt, quibus ferox es: &, ut ſcias quantum ſuperbire poſſis, paria aut puer, aut etjam mulier præſtabit. A puero igitur & muliere periculum tibi ſit, pariter ſi armentur; & utriuſque ſumes ingenium, ut fugias. O virum fortem! tuis jam viribus ignavus & imbellis es; & in armis ſitum, ut vincaris. Etenim ſi fugare, non occidere poſſe, virtus eſt; puerum SCLOPVS mulierémque Militem faciet: te puerum mulierémq;, niſi intereas; aut cadaver, niſi fugias. Ergò, ut ingenio pugnaremus, virtutem deſeruimus. Deſides & inertes eſſe malumus, quàm cum periculo vincere. nec timere pudor eſt, quos, ſi robore decernendum, poſſis cõtemnere. Hoc potiùs age, ô Iuvenis, quod forti-

fortibus cōceſſum eſt: ſic pugna, ut tuis viribus ferias. Arma ſume, quæ nec ipſe exhorreſcas, ſi petaris: gere, quæ nec oſtentare turpe ſit: oſtenta, quibus uti cum gloria poſſis. Quòd pallio involvis, aut ſago occultas, ſatis docet, ignominioſum eſſe quidquid latet. Si terrore legum: quid per vetitum ruis nefas? Damnant leges, quæ ſive turpia ſive noxia ſunt. Vtraque exulent, nullæ minæ, nullæ pœnæ ſæviant. Quod uſus evicit, concedamus: Mars & Bellona SCLOPVM habeant, & quæ olim arma geri ab aquila ſolent, nunc aquilas ſequantur: in prœliis hoc ipſum crudeliſſimum ſit, quo pugnatur: at Minervam noſtram, illam pacis, & manſuetudinis parentem, terrore inquietari ac metu, quî ſuſtineas? Vt in mari nemo tempeſtates amat, cùm navigat: ſic nec in curſu debemus, quo ad doctrinæ, virtutis, honoriſque portum properamus. Turbæ, rixæ, pugnæ, ingeniorum pericula ſunt: SCLOPVS, naufragium. Seu ferias, ſeu feriaris, periſti. nec tuo minùs

minùs quàm alieno infortunio univerſæ Academiæ tranquillitatem violas, omniũ ſimul famã lædis. Si nec ferire, nec feriri amas, quorsũ arma? Aut vulneris tui, aut ſceleris hoc inſtrumentum gerendo facis. vulneris, ſi feriris; ſceleris, ſi feris. Quid? ſine flagitio gerere non potes, quod ſanctiſſima Academiæ ſcita condemnarunt. Muſarum hic locus eſt: funeſtum ſtrepitum arcet. In Martis palæſtra ſacri ſulphuris ignes debacchentur, ubi turbare, ſternere, ſævire, glorioſum eſt. Quam quiſque colat vitam, & quę ſtudia, cogitet: ſic vitam, ut tranquillus ſecurusq; ſit; ſic ſtudia, ut fructum ſperet. E littore nemo ſegetem exſpectat, ex agro nemo gemmas: Terræ indolem Natura diſtinxit. In Athenæo arma, in littore ſegetes ſunt; aut in agro gemmæ. Vt doctus, non miles fias, hîc agis: ut in vitia pugnare, non in homines diſcas. Caſtra petet, imperatorem deliget, qui in militem evaſurus. Militiæ partem Venationem eſſe cenſeo; in parte tamen Litterarum alumno uſurpandam. Nimirum

Plinius

Plinius olim expertus eſt, *non Dianam magis montibus, quàm Minervam inerrare.* Quid igitur eſt? non eripio ſuam iuventuti voluptatem, ſed tempero: ſine SCLOPO antiquitus Venatio fuit, lancea, venabulum, rete, canis feram domuerunt. Si etiam SCLOPUM poſſeis, indulgeo. Volatilem ex aëre prædam collige; ſpumantibus feris ignem tuum objice. Hoc nolo, homines tamquam feras habeas; hoc volo, in ſolis ſaltibus montiúmque jugis, ut cruentus ſis. Profanare fœdiùs Muſarum ſanctiſſimum hoc templum non potes, quàm ſi paratum fragorem inferas, ubi quieti operamur. Projice, projice turpe & ignobile ſceleris inſtrumentum: meliores illæ manus, quàm ut ſic vileſcant. Ad militiam provoco: Calônes & lixæ, aut ſiqui è fæce exercitus, hoc onus bajulant, hunc ſtrepitum hauriunt, hanc fuliginem concoquunt: ſic pugnare fœdum eſt. In bello, qui nobiles, qui benè nati, clypeum, enſem, haſtam geſtant. Si meminiſſe Majorum lubet, picta producite arma, avitæ luſtrate nobilitatis

veſtræ ſigna: ecce galea, criſta, clypeus eſt, coloribus & imaginibus ſuis diſtinctus: ubi SCLOPVS, ubi bombarda, ubi tormentum? humiles, terraéque filii hæc uſurpent, qui nocere poſſunt, vincere autem non poſſunt: qui à ſcelere nominis aliquod lumen ſperant & nobilitatis. Vbi eſtis Germanæ mulieres, quæ, ſcribente Tacito, dotem à maritis capere olim ſolitæ, *boves & frenatum equum, & ſcutum cum frameâ gladióque*? quæ nec alia nuptiarum admittere munera, niſi quæ virtutum inſtrumenta eſſent? Etenim ſi nunc vivant, hæc arma in dotem collata videant; & SCLOPVM repudient; & maritum. Sed nec Germanus adferre tantum dedecus poſſit, etſi fuit qui invênit. Siletur enim auctor, & ne gentis indoles maculetur, totam ſolus ignominiam exhauſit. At pulchrum eſt hoc ornamento cingi, geſtare machinam, ut terrori ſis. Timere debes; qui ſic percellis. tibi à teipſo periculum eſt; ne lædaris glande quâ nocere ſtudes. Levi colliſu organum ſolvitur; hauris ipſe

ipſe vulnus quod deſignas; & victima hoſti cadis, quem ſola mente peremiſti. Hoc miſerum eſt; cogitatum, non perfectũ ſcelus pœna antevertit: imò quæ nondum eſt plaga, vindictam invenit. Neq; hoc ſolum in SCLOPO infortunium eſt. Fidere quoque non audeas. Nolo arma, quæ in periculo decipiunt. Vt ſcias, quæ immaniſſima, cum damno facientis eſſe; incerta ſunt. Sæpè qui occidere voluit, peremptus eſt. Hanc culpam machinæ debes: non quando voles feries, ſed cùm ſorti placuerit. In ipſo SCLOPO ſitum eſt, non ſolùm ut lædat, ſed an lædat. Nihil eſt quod à dextera exigas: hic ſolum inſtrumentum pugnat. Fruſtrà oculum collimes, & tubum collinees: adhuc deliberat machina, an morem geret. Nequidquam uncum incurvas, & ictum deſignas: nondum Fortuna ſtatuit. quot ferramenta & laminæ, quot partes & membra, etiam impedimenta ſunt: ab uno pendet, an moram reliqua capiant, & ignava ſint. Si digito indice lingulam trahas, & rotulæ ſufflamen laxes; ſequi tamen ipſa non

non poteſt: ſæpe & ſilex ignem negat: ſæpe irrito incendio foculus deflagrat: ſæpe reſidet in tubo plumbum, omníſque per luminis aditum ſtridenti cum ſibilo flamma redit. Iam ſi violentiam pulveris onuſta nimiùm fiſtula non ſuſtineat, & rumpatur; quis fragor, quæ calamitas? de cælo tactus fulmine videaris. Aude Laurum opponere qui Apollini familiaris es: remedium non reperies. Sic puniantur, quibus ad ſcelus ſatis non eſt, niſi infami inſtrumento crudeles ſint. Et fac pro voto rotam volvi, ſilicem teri, pulverem incendi, glandem emitti: aberrare ab adverſario potes. Et hîc Fortuna ludit: perficere facinus tuum non potes, niſi ut pericliteris. Furit igitur, qui ſic pugnat: caſurus, niſi occîdat. Reparare ictũ, aut repetere longum eſt: nam è lagunculâ ſive cornu, in tubum priuſquàm pulverem emetiaris, & radio cogas, glandem priuſquàm adigas, & clave rotam tendas, foculum inſtruas, uncum inflectas, objicem removeas, denique explodas; tranſverberatus & confectus es

ctus es. Certa, & expedita malo arma, & quæ minori violentia feriant: arma, quæ virtuti, non ſceleri ſerviant; quę pugnę potiùs, quàm cædi. Hæc verò quem apud bonos uſum habeāt? omnium flagitiorū inſtrumenta ſunt. Sic latro graſſatur, effractor furit, thraſo tumet: ſic mœchus audax, ſacrilegus impius, parricida reus. Fruſtrà damnamus venena, & repertos ad exitium humanum ſuccos: ampliùs armis nocere improbitas didicit. Compendium ſceleris SCLOPVM puta. In ſulphure & nitro venenum eſt; ſed turpius, quia commune: imò turpius, quia non auro, ſed ferro propinatur, fiſtula non cratere. Flammam, non liquorem hauris, plumbum, non vinum. Minuta glande, quam deglutire poſſis, vulnus infligitur, viſcera figuntur, anima ejicitur: integro corpore mori non licet. Lex Cornelia te appello: nemini jam ſecura vita eſt, quæ eripi promptiſſimo poteſt pharmaco, modò inveniatur qui occidere impunè audeat. Ergò Principes videant, quibus peti armis

ſolent; proſcribant, quibus perire. Peſſimum venenum eſt, quod non in ſolo convivio temperatur; quod citra potionem extinguit: & ſic tamen funeſta jam ſæpius aut cruenta in Chriſtiano orbe ſceptra habuimus. Prohibete qui poteſtis terrarum Domini, & arma publicè noxia, à veſtris primùm corporibus avertite, ut ſecuritatem omnes habeant. Fulmina ſua Iovi reddite, cujus ſolius imperio eſtis obnoxii. Mortali manu & machina Principem perire, fas & jus vetant: Tyrannum verò Deus ipſe punit. Sed nunc ad vos venio, ô IVVENES, qui animũ colitis, Virtutis & Doctrinæ via ad Honorem itis: ſpernite nefandum violenti ſceleris ferrum: & ſi Militia cordi eſt, dignos vos armis reddite, quibus nobilitas paratur: armis, quæ Litterarum tamdem ſtudiis ſuccedant. Nunc quies placeat & togata hæc vita, à qua Sclopi, bombardæ, tormenta aliena eſſe debent. Nec longior oratio mea erit: apud Palladiam & Academicam juventutem loqui de armis pudet. Satis etiam ab humanitate

nitate veſtra impetravi, quòd auditus ſum. Nunc damnate ſermonem, ſi res ipſa diſplicet: perire quæ dixi ſino, ſi indignum manibus veſtris ſtatuetis quod audiſſe grave fuit; perire, ſi & SCLOPUS pereat. Ego, Martis, an Minervæ alumnos adhortatus ſim, ex hâc ſententia intelligam. DIXI.

ORATIO XV.

DE SAPIENTIA MYSTICA.

In Griphum Auſonianum Præfatio.

NE ſine auſpicio pulcherrimi laborem argumenti ſubirem, Auditores, pauca hodie præfari viſum eſt, oratione non tam ornata, quàm neceſſaria, nõ tam officioſa, quàm amica. Etenim quæ dicturus ſum, repentino quodã ingenii impetu deſignavi potiùs, quàm expreſſi: ab ore, non calamo fluent pauca, nec ornata ſatis verba. quæ talia profectò erunt, qualia dicendo faciam. Meditari & præparare Suadæ pompam, per temporis anguſtias non licuit: deinde naſci & in hoc ipſo poſſunt pulpito, quæ placeant. Ego verò ſi non ſplendo-

ſplendorem, affectum certè meum, in vos promam: ex animo dicturus ſum, quia ex tempore. Sed & apud bonos benignosq; facilis apparatus eſt. Oratorem aget, quiſquis conatus fuerit; & laudem hic inveniet, qui contempſerit. Sic dicam igitur, ut docere videar: non promittam fructum, ſed proferam. Et quia Ternarii numeri GRIPHVM promiſi, illum ab Auſonio deſcriptum, conabor Sapientiam myſticam familiarem vobis reddere, & antiquiſſimæ pulcherrimæq; doctrinę ænigmata expedire. Rogo igitur, ut audiendo benigni ſitis, utq; documenta potius, quàm ornamenta exſpectetis. Res cùm ſuapte natura bona eſt ac ridet, facili oratione laudatur: ideoq;, quia tam lepidum deſignavi Scholæ argumentum, de Præfatione ſolicitus non fui. Cùm hoc dico, orationem adumbro: & ut hinc ordiar, æmœnus eſſe volui poſt ſeveram Virtutum vitiorúmq; explicationem. Quemadmodum pictores oculorum aciem nimia intentione vacillantem in virides colores tranſ-

verè aurea, è quibus pauca ſeligo & examino, totidem oracula, aut ut veriùs dicam, totidem Ænigmata & Griphos. Quia Plutarchum auctorem ſequor, liberior ſum: quia ſic ille de liberis educandis ſcribit. non opinor equidem hanc à juventute doctrinam eſſe alienam. Quomodo igitur Philoſophatus eſt Pythagoras? quomodo locutus, qui vocem ſuis interdixit? Audite, magnum eſt quod proferam: ſilete, Pythagoricum eſt. Μὴ γεύεσθαι μελανούρων. *Ne guſta ex iis, quibus nigra cauda eſt.* Involucrum removendum, ut quid velit præcipiatq; Sapiens ille, manifeſtum ſit. Quod malum eſt, nigri vocabulo ſignificari, nemo ignorat: cauda ad rumorem ſive famā refertur. Non aliud igitur γεύεσθαι, quàm probrum & infamiæ nota, qua qui laborat, ab omni conſuetudine removendus eſt. Etenim ſic ſe res habet: vitæ fuligines vitia ſunt: facilè inquinant; & malus aliquis malum niſi invenit facit. *Serpunt vitia* (ut è Porticu hoc proferam) *& in proximum quemque tranſi-*

tranſiliunt,& contactu nocent. Prorſus non ſine contagione improborum familiaritas eſſe poteſt: conſpurcatur qui cœnum aut lutum contrectat. Cæterùm qui animum robuſta virtute munitum habet,tutus eſt;& vincere mores poterit,quos ſemel in Sapientiæ tribunali condemnavit. Mens bona velut ignis eſt: guttæ paucæ & maculæ ardens illud flammæ aurum non inficiunt: infuſæ pereunt, ac pænè priuſquam infuſæ: colorem ſuum, imò vigorem ſuum tam coruſcum elementum ſervat. At verò cùm dubius adhuc ignis eſt, & naſcentes à fomite flammæ circumpoſitam adumbrant potiùs ſtruem, quàm irradiant, facili injuriâ ſive aeris ſive aquæ perit quicquid incenſum eſt. Quid opus eſt verbis? Ignem probitatis lumen puta. Lumen inquam, & in media malitiæ caligine durare ac vigere, ſed adultum. quod ſi multo adhuc miſtum fumo,facilè involvitur & exſpirat. Iuvat verò in hoc ſermone eſſe, & Griphi cauſſâ porrò explicare, quæ primus ille philoſophiæ nuncupator

&con-

& conditor doctrinæ velut ſindone quadã nupſit. Μηδὲ ζυγὸν ὑπερβαίνειν: *Stateram ne tranſgrediaris.* Iuſtitiæ commendationem, vides, quæ expendit, quid æquum & iniquum eſt, quid fieri, quid non fieri debet. Iuſtitiam, cùm dico, vitæ morúmque regulam dico ac normam; ut honeſtè vivas, alterum non lædas, ſuum cuiq; tribuas: quæ tria juris præcepta Vlpianus nominat, & univerſam legum Iuſtitiæq; naturam & conditionem ternario numero complectitur. O igitur mirabilem ſanctamq; Triadis vim ac potentiam! Iuſtus eſſe non potes, niſi & pars quædam fias Griphi Auſoniani, ternariúmq; exprimas, honeſtè vivendo, neminem lædendo, ſuum cuique tribuendo. Atque hoc ipſum Pythagoræ eſt; qui cùm numeros figurasq; appellationibus Deorum ornaret, ut Plutarchus de Iſide & Oſiride refert, Ternarium titulo Iuſtitiæ dignatus eſt, & quidni rationem quoque delibemus? Plutarchum exprimo. *Æquitas, ſive æqualitas in medio poſita eſt, ejus quod injuſtè fit, & ejus quod*

contra jus toleratur , ab exceſſu vel defectu. Quaſi dixeris , quod æquum juſtúmque eſt, tertium eſſe,& hinc monade tanquam defectu , illinc diade tanquam exceſſu ſtipari. Non invitus equidem in medium iſta profero, cùm ad excolendum ingenium faciant; & libenter dico , cùm à Iuſtitiæ alumnis juríſque Candidatus audiar. Siquis fortaſſis erit,qui infra dignitatẽ ſtudiorum ſuorũ Trilingue hoc pulpitum,& Ternarii numeri myſterium deſpiciet ;. videat ille, ne nimium ſapiendo deſipiat; neve præcepta illa trina, honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, à ſe aliena putet. Quibus cogitationibus aut votis pleriq; mortalium æſtuent, ipſi viderint: ſed niſi conſilia actionéſque ſuas omnes ſtatera hac Pythagorica librent & æquent, doctrinæ & virtutis nomine indigni ſunt, atque adeò humanitatis.Ergo & Iuſtitiam linguæ noſtræ loquuntur, quia Ternarium explicant: & dignus juventute numerus eſt, qui Gripho continetur. Ad tertium bono omine &

no-

nomine ſymbolum ſermonem converto. Μηδὲ ἐπὶ χοίνικα καθίσαι. *Chœnici ne inſide.* In verbis, & ipſo ſenſu caligo eſt, ſed brevi facula diſſipanda. Si verba conſiderem; Chœnix menſuræ genus apud Græcos, qua ſervis frumentum domi in cibum admetiebantur: Vnde Chœnici inſidere, ut ſenſum jam illuſtrem, nihil aliud, quàm murem eſſe, quemadmodum Comicus loquitur; ac rodere alienum panem. Id ignavi & paraſiti faciunt, fœdum hominum genus, & fungino genere. Quantò melius, de ſuo quemque ſucco victitare & ſtrenuum eſſe: labore & induſtria parare unde vivas: inter menſarum aſſeclas umbráſque nequáquam cenſeri? Menſæ ſtudium turpe niſi eſſet, Paraſiti facerent. ſed qui veterem artem ad turpiſſimum adulandi genus converterunt. Artem namque fuiſſe Lucianus tradit. & quia eſculentorum, poculentorum ſermonúmque fuit, unámque ſpectabat voluptatem, videntur plures hodie, etiam qui convivium præbent, Paraſiti eſſe.

His

His nunc & Chœnicem tribuo, miſsáque menſa, amicitiam velut lùſtro. Etenim hæc illa eſt, quæ felicem hominis vitam reddere poteſt, quam poſſident probi, mentiuntur improbi, Di hominesq; colunt. Hæc virtutis ſoror eſt, naturę filia, Sapientiæ pediſſequa. Hanc ut religioſiſſimè veneraretur Pythagoræ ſchola, non temere contrahendã cenſuit. Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν. *Ne cujvis dexterã injice.* Quid autem aliud eſt, dexterам injicere, quàm animum devovere, quàm amico totum te credere? Sine fide hæc ſacra non conſtant: fidem autem dextera pangit: heu, non ubique bonam, niſi noveris, quem amare incipis. Non omnes in vultu animũ gerunt: ſimulare, fallere, decipere in proclivi eſt. Non omnes tam boni ſunt, ut amari mereantur: non omnes dextera tua digni. Sed quoniam de manu ſermo eſt, non indecorè annulus ſubjiciatur: & quia fidem laudavimus, libertatis ſymbolum ſolenni digitorum ornamento exprimemus. Sic igitur Philoſophus. Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον. Anguſtum

ſtum annulum ne geſta. Id eſt, genus vitæ ſectare liberum, vincula devita. Vincula verò vitæ humanę varia ſunt, quemadmodum & ſervitus non una. Ne à Ternario abeamus, triplicem conſtituo: Mentis, Corporis, utriuſque. Mentis ſervitus interna eſt, & partim à metu, partim à ſpe mala imponitur. Nam ut ſapienter Horatius,

--qui cupiet, metuet quoque. porrò
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Corporis verò ſervitus, fortunæ, non naturę iniquitas eſt, & à Iurisconſultis definitur, Conſtitutio juris gentiũ, quâ quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur. Natura enim liberos omnes eſſe voluit, & ſanctiſſima Religio noſtra fecit; niſi hoc etiam pejores hodiè, quòd in liberos ingenuosq; ipſos ſuperbo imperio, tanquam in ſervos interdum ſæviamus; quòd qui divitiis ebrii ſunt, & indole feroces, petulantem libertatem exerceant: quaſi homines duntaxat ſint, quibus fortuna arriſit; non homines, qui in vinculis,

culis, ut ſic dicam paupertatis. Sed ô bonę opes tamen, quę bonum & humanum poſſeſſorem nactæ ſunt, aut faciunt! quæ inſtrumenta virtutis, & honeſtæ elegantiæ fiunt! Inſtrumenta? imò ornamenta, cum modo & conſilio adhibenda. Carere, & non uti divitiis, juxtà puto: niſi hoc etiam ſtultius, parare uti careas; ſtipare uti ſepelias. Peſſima in rerum copia paupertas eſt, miſerrimúmque in ipſis cum Tantalo aquis ſitire. Hæc miſeria à ſtulta cupiditate naſcitur: cupiditas cum fortunis creſcit, haud aliter quàm cum mole & acervo qui in ſole ſtruitur, umbra. Febricitantis æſtum vino nemo reſtinguit, ſed accendit. Si rectè expendimus, cupiditas quædam mentis febris & cauſſus eſt, cum divitiarum ignea & anhela ſiti. Imò cupiditas, ignis eſt, & quia in aurum fertur, eodem colore lurida. Denique ignis velut aurum eſt, & ſic à Pindaro laudatur. Sed opportunè: Iræ ſymbolũ igni expreſſum eſt: πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, *Ignem ferro ne fodias.* Quaſi dicas, iracundum & furentem homi-

hominem aſperis verbis irritandum non eſſe. Humanitate vinci & leniri quidam debent, quorum ſtomacho *majorem inſani leonis vim Prometheus appoſuit.* Flamma enim quò magis agitatur, magis exardeſcit. Finde, fode quantum potes, non franges aut ſternes: ampliùs ignis poteſt. Antiqui autem, ut in Athenæo eſt, per ignem iram, per gladium ſive ferrum litem & contentionem denotarunt. Ignis etiam, ſcribente Porphyrio, divinæ naturæ ſymbolum fuit. Hinc in templis aſſervari ſolitus, & extingui, nefas erat; quæ apud Romanos culpa in Veſtalibus morte ſolebat expiari. Itaque, maledicentia ſive linguæ acumine Deum ſiquis petit, ignem gladio fodere videatur: quæ impietatis omnis ſumma eſt. De Ira dixi, & ſedes ejus in Corde eſt. Cor igitur ipſum nunc ſymbolo ſuo orno, μὴ ἐσθίειν καρδίαν. *Cor ne edas.* Purum putúmque ſenſum quæris? Plutarchi verbis exprimam: Μὴ βλάπτειν τὴν ψυχὴν, ταῖς φροντίσιν αὐτὴν κατατρύχοντα. *Animam curis ne affligas ſive lancines.*

Addam

Addam vulgatiſſimum illum, κυάμων ἀπέχεσθαι. *Fabis abſtine*. clara verba, quæ tamen quàm diverſum innuunt! Suadet, adminiſtrationem Reipub. vitandam eſſe, vitæ quietem & felicitatem ſiquis quærat. Ergò ad Magiſtratum fabæ faciunt? omnino, & creari ille fabis tanquã ſuffragiis ſolebat. Quid perſequor? Myſteria, non verba auditis; nec myſteria, niſi ſic lateant; quæ vel maximè in Ternario iſto numero invenias. Hunc igitur ab Auſonio deſcriptum, & Griphi titulo inſignitum, explicatum imus. *Veſtrâ*, Auditores, ſed *& loci hujus cauſsâ*. Veſtra quidem, quos recreare à ſevera virtutum meditatione volui, & imbuere eleganti & curioſâ quadam doctrina, ad omnem ſive ſermonem, ſive ſcriptionem utili. Quid dicam? Griphum iſtum mihi auditor meus expediat, & docti nomen laudémque non injuria tuebitur. Griphum dico, & difficilem dico, in quo & mihi laborandum, ut examuſſim explanem omnia, & explicem. Conabor certè, & cunctas difficultates tollere ſi ne-

quivero, adnitar, ut quàm pauciſſimas relinquã. Oedipus non ſum, nec Sphingi interpres fui: Oedipi tamen provinciã capiam, ut quod involutum eſt exſolvam, quod conſtrictum diducam; hoc etiam periculo meo, ut, ſiquid minus rectè aut féliciter, ſermonibus quorundam lacerer, velut Sphingis præda. Hæc quidem ἀπὸ τοῦ σφίγγειν dicta, id eſt, *à conſtringendo*, ſive vinciendo, ut in fabulis eſt, quæſtiones velut vincla prætereuntibus nectebat: ſiquis captus atque irretitus eſſet, hunc alis unguibusq; lacerabat. O monſtrum! quî cum & mihi res nunc erit, & quod in calumniam ſe transformet, niſi vicerit. Sed juvabit induſtriam meam & ingenii conatum veſtra humanitas facilitáſque, quam antehac expertus ſum, & qua fretus, laborem iſtum non invitus reſumo. De Loco verò addideram, & ejus etiam appellatio, ad hunc laborem invitabat. Auditorium TRILINGVE eſt, & Gripho iſto Ternarii numeri dignum; imò Auſonio dignum, quem Latinum nomen ipſum facit, &

ſic meæ explicationis. Carmen ipſum, Latinum eſt, ſed theſaurum omnis eruditionis comprehendit. Quid verbis opus eſt? Minervam, velut ſtudiorum præſidem agnoſcet, quiſquis ſtudiis operatur: Minerva ipſa, Ternarius eſt; ut ſi numem colimus, numerum quoque debeamus. Etenim Pythagorici, ut eſt apud Plutarchum, De Iſide & Oſiride, *Triangulum æqualium laterum, Minervam nominarunt, illam è vertice natam, & Tritogeniam.* Rationem addo, & ſic finio: In Triangulo Ternarii quædam Divinitas eſt. Tribus enim perpendiculis dividitur, è tribus angulis eductis. Sed hæc & plura in Craſtinum, rejicio. Adeſte qui Gratias amatis, ternę ſunt; imò adeſte, qui Muſas amatis, ter ternæ ſunt, & in ipſo Griphi limine atq; penetrali morantur. Quæ repentina cogitatione congeſſi, ſic DIXI.

ORA-

ORATIO XVI.

DE RISV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

An Virum Gravem ac Sapientem Riſus deceat.

AD delicias & hilaritatem venio, AVDITORES, ut quæ hactenus ſeveriora viſa, lepore ſuo condiantur. Etenim jucundiores abire, quàm veniſtis, quàm adhuc ſediſtis, cupio. Sermone reliquo & argumento ſuavis ero, & vos quoque faciam; omnéſque è fronte delebo rugas, ne inveniam; meum in veſtro vultu videbo. Etenim niſi lepos amœnitaſque auribus omnium inerrent: niſi ipſe alas Iocus expandat, animóſque bona voluptas imbuat; condemnabo ipſe quæ dixi, & dicturus ſum, & infeſtam Suadæ Sapientiam arbitrabor. Alibi Auditorum curioſitatem

tatem erudire pulpiti conatus ſolet: hîc quoque debet delectare. Nemo dolorem, aut damnum cogitet; DE RISV dicturus ſum: nemo paupertatem, aut alia vitæ incommoda; meliorem fortunam RISVS amat. Dionyſia olim cum Riſu Græci celebrabant: nos Saturnalia. VIRVM producam; ſed omnem ætatem Quæſtio complectetur. SAPIENTEM producam; & in tanti nominis umbra ludet, quiſquis Hilaria amabit. Vt Gravitatem & Sapientiam oſtendas, ridere poteris: quod fieri hîc ſolet, & animi causâ inſtituitur, Virtuti adſcribam: imò quod olim apud Athenienſes in Academia non licebat, extra culpam collocabo. Ridere illic nefas erat. *Nam*, ut Æliani verba repræſentem, *ab injuriâ & ignaviâ purum & inacceſſum ſervare hunc locum conabantur.* Sed, ſi res dicenda eſt, tam graves & ſerii eſſe voluerunt, ut deſiperent: & cùm Sapientiam vultu affectarent, homines ſe eſſe obliti ſunt. Nos tam tetricam Minervam non habemus. Sapientiæ Muſas jungimus & Gratias: ſed Ridere, imò

ludere

ludere hæ amant. Ad rem igitur. Riſus à gaudio: gaudium ab eo quod jucundum eſt. Nam quoties ſuavitas pectus imbuit, cor ſe laxat, & jucundo fervore hilaritatem exprimit. Animi motum vultus indicat, cùm agitatione viſcerum, thoracis, adeóque oris muſculi tenduntur. Quàm ſuaviter natura ludat, ignorare nemo poteſt, niſi cui cornea fibra eſt. Gaudium certè nemo Sapienti eripit; ſed gaudii fructus Riſus eſt, ſicut & doloris lacrymæ ſunt. Si fructum proſcribimus, cur arborem toleramus? Lacrymas certè nemo reprehendit: cur Riſum? & apud Homerum ſapientiæ exemplar Vlyſſes lacrymarum ſæpe imbrem effudit. Quid ſi lacrymarum quoque vicem Riſus occupet? Nam & hi affectus, ſtimulante naturæ genio, in contrarium erumpunt: in lacrymas gaudium, in Riſum dolor ſive pavor. Ita Apuleius de Ariſtomene narrat, quem inverſa lecticula evolutum & excuſſum humi obtegebat. Loquentis, an potiùs ridentis? verba audiamus: *Nam ut lacrymæ ſæpicule de gaudio prodeunt: ita & in*

illo nimio pavore, Riſum nequivi continere, de Ariſtomene teſtudo factus. Sic igitur communis interdum lætitiæ & triſtitiæ affectus Riſus eſt, ut & Lacrymæ: cùm & gaudentium & dolentium ſæpe ſtillent oculi, rivulóſque ab eodem animo educant. Spartanos omnes cives, illos ſeveritatis alumnos, Xenophon ſcribit neſcio quo victoriæ nuncio repentè in gaudiũ & in lacrymas actos; & cauſam adfert: *Ita lætitiæ & mærori communes lacrymæ.* Ne miremur, Riſus ipſe amat lacrymas, & cum lacrymis frequenter erumpit. Etenim originem & fontem illæ quoque à corde habent, & hinc ſcaturiunt. Ab oculis deinde fluunt, & torrentem faciunt, quo gaudii atque etiam triſtitiæ affectus vehatur. Volunt autem Æſculapii filii, tres in humano corpore exhalationes humidas eſſe, à Stomacho, Iecore, Corde; & ad totidem membra ſuperna ſeu receptacula educi; ad Nares, Aures, Oculos. A Stomacho mucum, & per nares effundi: à jecore Cremium, & per aures expurgari: à corde denique Lacry-

Lacrymas, & per oculos manare. Quę cùm ita ſint, videant obſecro triſtiſſimi homines, ne mœroris damnent voluptatē, dum Gaudio infeſti. Riſus è pectore vultúq; ſi ejicitur, in exilium pariter Lacrymæ ibunt, quas amant. Vir Gravis & Sapiens tamen homo eſt: homini natura Riſum dedit; quia Hilaritatem. Os cujuſque & vultum examina: non ridere, vitium potiùs corporis dixeris, quàm venuſtatem. Quoſcumque tales Vetuſtas recenſuit, Auſteros potiùs, quàm Graves, & Moroſos Difficiléſque quàm Sapientes accepimus. Nec enim poteſt ſerenus eſſe animus, ubi frons nubila: quemadmodum ubi perpetuo gelu rigent omnia, nulla amœnitas faciem telluris imbuit. Agelaſtorum agmen Heraclitus ducit, ille tam à Riſu alienus, ut fleret continuò: & ſic quidem *ipſe*, ut Seneca ait, *inter deplorandos*. Sed profectò *Mirandum eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor*; niſi aqua intercus fuit, quâ & obiit. Hunc certè Sapientem atra bile laboraſſe Theophraſt⁹ olim ſcripſit. alii, odio hominū,

in avios montes, & remota teſqua ſeceſſiſſe, ut paullatim à ſe abiret, & qui ſuavitatem exuerat, jam quoque humanitatis oblivіſceretur. An & arrogantiam compungo? Cogitate quàm Sapiens fuit, qui ſuæ ſe auctorem ſcientiæ fecit. Fecit Heraclitus. Talis eſſe debebat, qui nunquam rideret. Nihil verò ſtultius, quàm quod ſenex jactaret, *ſe nihil ignorare; cùm juvenis nihil ſciviſſet.* Verbo complectar: ne rideret, delirus fuit; ut ſciret omnia, ſtultus. Multa eum ignorare oportet, qui ſe unum æſtimat: atque tantæ quoque dementiæ Heraclîtus fuit, ut omnes omnino contemneret; Homerum autem, Heſiodúmque, divinos homines, dignos verberibus cenſeret, & qui è certaminibus, ut Laërtius refert, ejicerentur. Sic verò qui Riſu caruit, morbo laboravit; & qui ſeveriſſimus eſſe voluit, Riſum omnibus movit. Anaxagoram Clazomenium Ælianus ſcribit, *Nunquam ridere viſum eſſe, neque omnino ſubridere.* Ariſtoxenum etiam *admodum à Riſu abhorruiſſe.* Sed iſti quidem tantò fortaſſis Hera-

clito

clito meliores, quòd ſaltem non fleverint. Dionyſium etiam Siciliæ Tyrannum idem Ælianus tradit, *amaſſe Tragœdiam, & aptaſſe cothurno dramata; à ſocco autem & Comœdiâ alienum fuiſſe; quòd non eſſet ad Riſum proclivis.* Sed Tyrannum nominavi. Marcum Licinium Craſſum, avum ejus, qui bello Parthico periit, alii ſemel, alii nunquam riſiſſe volunt. Nunquam, Plinius: *Ferunt Craſſum, avum Craſſi in Parthis interempti, nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum.* Et Solinus, in eadem propemodum verba. Semel, Sidonius ſcribit:

Tam Cenſorius haud fuit vel ille,
Quem riſiſſe ſemel ferunt in ævo.

Agelaſti autem olim credebantur reddi, qui in Trophonii ſpecum oraculorum cauſsâ deſcenderant. Vnde Parœmia: *In Trophonii antro vaticinatus eſt*, de homine triſti, tetrico, & moroſo. Ridiculum, quod de Parmeniſco Metapontino Athenæus refert. Is poſtquam in ſpecu Trophonii Riſum amiſerat, Apollinis percunctatum ivit remedium. Apollo reſpondit,

Dandum à Matre Riſum: hanc veneraretur. Reverſus ad Penates parentemque, cùm ridere nihilominus non poſſet, à numine ſe deceptũ cenſuit. Sed quid? interjecto temporis aliquo ſpatio, fortè in Delum venit, ubi Latona, mater Apollinis, colebatur. Ergo curiosè luſtrans cuncta, tandem ad ſimulacrum ductus eſt. Vbi ligneũ ac deforme vidit, præter opinionẽ in Riſum ſolutus eſt, & ægritudine ſua liberatus. Qui nõ Riſerunt, iſti quidem ſunt: ſed tales, ut exemplo ſuo, aut potiùs vitio, delere hilaritatem noſtram non poſſint. Hæreo tamen, & jam exſpecto, ut Iesvm Christvm, omnis Sapientiæ & Virtutis, imò omnis Lætitiæ & ſalutis fontem, mihi repræſentes, quem fleviſſe inter homines legimus, non Riſiſſe. Quid dicam? In homine Deum agnoſco: ſanctitas hæc fuit, & divinitas. Quod mortalibus à natura conceſſum erat, noluit uſurpare; imò quod dederat ipſe omnibus, ſibi negavit. Ad dolores, opprobria, tormẽta, ad crucẽ deniq; mortemq; natus, ampliùs præſtare quàm homo voluit, etiã *Non ridere.* Vt

re. Vt ſcias quantæ molis ac momenti erat generis humani ſalus, nullas delicias, ac ne ſigna quidẽ ulla jucunditatis admiſit. Et ſanè, ubi Deus hominẽ induerat, & æternæ Sapientiæ Bonitatiſq; radius tenebrarum cœpit vilitate circumdari; ne Ridere quidem rerum Natura debuit: niſi debuit tamen, quia Auctorem ſuum complexa. Sic igitur, quod Æternitas non fecit, facere mortalitas potuit, ac deinceps perenni lætitiæ geſtu exſilire. Hujuſmodi certè vox Genii Numiniſq; ad Paſtores fuit, Chriſto jam nato: *Annuncio vobis gaudium magnum. Gaudium* ecce *magnum; & quod erit omni populo.* Atque hæc lætitia, ut magis animos hominum excitaret (quantum opinor) Riſu quoque, ceu veriſſimo typo figurata fuit, in Patriarcharum geſtis. Etenim Chriſtus ad hoc natus, ut Deo victima eſſet, & immolaretur: ſed tanti tamq; horrẽdi myſterii imago Iſaacus fuit, quẽ unigenitum à patre Deus in holocauſtũ petiit. Tertullianũ audiamus: *Cùm Iſaac à Patre hoſtia duceretur, & lignũ ipſe ſibi portaret, Chriſti exitũ jã tunc denotabat*

denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum Paſſionis ſuæ bajulantis. Quid autem Iſaac? Chaldaïcè *Riſus* eſt: & ita Saræ verba intelligenda, cùm ab Abrahamo puero nomen eſſet impoſitum: *Riſum fecit mihi Deus, & quicumque audierit, corridebit mihi.* Philo Iudæus hunc locum ſacræ Scripturæ citat, & diducit: *Opifex eſt enim Deus boni Riſus & Gaudii. Nam ſi Riſus Iſaac intelligitur; Riſus autem factor eſt Deus; juxta verum Saræ teſtimonium, etiam Pater Iſaaci rectiſſimè dicatur.* Addit: *Hujus appellationis etiam Sapiens ille Abraham fit particeps, cui gaudium proles Sapientiæ, triſtitiam tollens, donatum eſt.* Idem Scriptor: *Iſaacum Chaldæi alii Riſum nominant. Riſus autem eſt ſignum, quo ſe profert cultum mentis gaudium: qui affectus eſt inter omnes alios honeſtiſſimus, & tranquillitate ac ſecuritate totam animam replet.* Non riſit igitur Chriſtus, ut totam gaudii cauſam, Homines acciperent, ſalutiſque beneficium lætiſſima hilaritate celebrarent. Sed nunc à Sacris ad profana, & Gentium conſenſu Riſum, mortalibus commendemus. A Philo-

ſopho

ſopho ordior: Riſit Democritus: & hoc unum egit: quem nemo tamen Sapientiæ aut Gravitatis laude ſpoliavit. Imò Sapiens ideo Democritus, quia Riſit. Sic docuit, ſic diſſeruit, ſic Philoſophatus eſt. Tolle Riſum, & Democritus non erit: iterum, tolle Riſum, & præſtantiſſimum Sapientiæ lumen extingues. Plus ſcripſerit, an Riſerit, dubites; & utro ampliùs humano generi profuerit. Anaxagoræ elogio Pentathlus hic ille fuit in ſcientia rerum omnium: id eſt, *Quinque Certaminum*, ſive perfectiſſimus: & talis à Laërtio deſcribitur. Sic verò qui ſcivit omnia, Ridere potuit; & qui non Ridere non potuit, euthymian ſtatuit rerum finem, animique tranquillitatem in Bono Riſu invenit.

Iam igitur laudas, quòd de Sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum
Protulerátque pedem.

Philoſophum Poëta ſequatur, & qui unus inſtar omnium, Homerus: is, tanquam Homines ac Heroês ſatis non

non riderent, hanc oris hilaritatem Diis immortalibus tribuit, & propè immodicam. Scilicet, læti hilaréſque Dii eſſe non poterant, niſi riderent; & Barbatus Iupiter ſeveritatem numinis ſuavi cachinno mitigabat. Sic Cęlo receptus Riſus, in terris tanquam numẽ coli cœpit, & templa ac ſimulacra invenit, imò, quod reverentiam tam jucundi auget Dei, apud Graviſſimos illos Spartanos. Templi Plutarchus in Agide & Cleomene meminit: ſimulacri, in ipſo Lycurgo: *Neque ſanè ipſe fuit præfractè auſterus Lycurgus: imò Riſus ſignum ab eo poſitum eſſe Soſibius tradit, ut urbanitate, tanquam laboris victusq; tempeſtivo condimento & convivia & ſimiles congreſſus interpolarentur.* Et quis non malit igitur Ridere cum Lycurgo, quàm flere cum Heraclito? & corrigere aut conſtituere hominum mores, quàm aſpernari? Atque Lacedæmonii, ut idem Plutarchus teſtatur, digni & tali Legiſlatore, & Simulacro fuêre; tam amœnè ſerii, ut auſteritatem effugerent; tam ſeriò amœni, ne qua ineptiarum laſcivia ſolverentur. Riſu conſe-

ſecuti ſunt, ut & bello fortes, & pace boni eſſent, utrobique Spartani. In Gymnaſiis & Leſchis ſalsâ amœnitate tempus traducere, & ingenium ſolebant occupare. *Conſuetudinis autem illius potiſſimum negotium erat* (verba Plutarchi ſequor) *ut vel virtutem aliquam laudarent, vel probrum reprehenderent, cum Ioco & Riſu aculeato, admonendi & corrigendi cauſsâ.* Vnum alterúmque ex ipſa plebe exemplũ ſumo. Claudus quidam animos ſumpſerat, ac jam ſe præparabat, ut in militiam iret: deriſus fuit, tanquam parum aptus. at ille, *In bello,* inquit, *non fugientibus opus eſt, ſed firmantibus gradum.* Alius clypeum Muſcæ imagine inſigniverat: deriſus fuit, tanquã latére vellet, nec ab hoſte conſpici, qui tam parvum aſſumpſiſſet ſignũ. At ille, *Imò* inquit, *ut agnoſcar ſumpſi. Tam propè enim ad hoſtes accedo, ut vel muſcam videant.* O felicẽ Spartam, quæ cives ſuos ſic exercuit! ô amœnam, quę nec ſine Riſu virtutẽ coluit! Ioci & pungentes iſti lepôres; velut ſtricturæ ſunt; è pectore velut igni proſiliunt, ſed moto. Sic & amœnitas exercitationem amat.

amat. Friget animus, cùm ſimplicitate tegitur; & languet cogitatio, niſi calore quodam excitetur. Ipſe Riſus calor eſt, aut certè à calore Hinc eundem *inextinguibilem* Homerus dixit; & Grammaticis γέλως ab ἕλη, quæ vox *calorem* & *jubar* ſignificat. Prorſus, ut ignem colligas, vim conſidera. Confluunt ad Riſum lacrymæ, neque tamen moto jam affectu, gaudii flammulas extinguunt. Ebullit Riſus, & quem vicit humorem ſimul expellit. Quicquid dico, Calor agit; è pectoris, ut ſic appellem, foco ſurgit, arcem hominis caput petit, & cerebro circumfuſus, Riſum pariter & Lacrymas educit. De Templo & Simulacro ſatis: *Numen* ipſum videamus. neque ampliùs cōmendari hominibus Riſus potuit, quàm ut Deus fieret. Huic igitur in Theſſalia Hypatenſes, Apuleio ſcribente, peculiari ritu ſolennia faciebant. Summa religionis erat; ludum ſeu dolum comminiſci, quo ignarus quiſpiam involutus, Ridendi argumentum publicè præberet. Atque hic talis, ſi lepidiſſima ſcena numen propitiaſ-

pitiaſſet, mœroris deinceps atq; doloris credebatur expers futurus. Ipſos Hypatenſes audiamus: *Nam luſus iſte, quem publicè gratiſſimo Deo Riſui per annua reverticula ſolenniter celebramus, ſemper commenti novitate floreſcit. Iſte Deus auctorem ſuum propitius ubiq; comitabitur amanter, nec unquam patietur, ut ex animo doleat: ſed frontem tuam ſerenâ venuſtate lætabit aſſiduè.* Noſtra hęc ſolennia Litterarum, ſi vanitatem ſuperſtitionis eximis, paria ſunt. Etenim Gaudium Riſumq; annua remiſſione quærimus, ſed ſine Honeſtatis, aut Gravitatis damno: niſi quod à comploſione naſcitur, & aliqui in pedibus quoq; Riſum ponunt. Quid ampliùs? Hilares ſumus, & ſimul erudimur: in his Scholis tanquam Leſchis agimus, cum joco ad virtutem imus. Ad ſummam, honeſtum eſſe Riſum, & viro Gravi atque Sapienti pulchrum, vel ſic tibi perſuadeas; In hoc Minervæ Sacrario colitur. Sed ego quia RISVM Deum feci, omnia DIXI.

ORATIO XVII.

DE PVTEALI LIBONIS.

NISI me conjectura fallit, Auditores, mirabitur nõ nemo, cur aut hic nunc dicam, cùm hactenus non dixerim; aut cur hactenus non dixerim, cùm hîc nunc dicam. Facere enim pridem debui, quod aliquando ſuſcepturus eſſem, aut omnino omittere, ut conſilii rationem conſtantia commendaret. Sed quid eſt? recuſavi hanc provinciam, ut aliquando ſubirem; & ſubivi, ut experirer, an quemadmodum alibi gratus fui, ita hîc quoque placerem. Reficit verò excitátque, ſtationem interdum commutare; cùm onus non ponas, vires tamen colligere. Vno in loco Hermæ & ſaxa hærent; meliora ſimula-

ſimulacra ſolent circumferri. Mehercle cælum ipſum hanc varietatem docet: alium aliúmque ſitum ſidera habent, & tamen fulgent. Stare rerum natura non poſſet, ſi cuncta ſtarent. Jam numen invocare in omni fano permiſſum eſt: ſic de eruditione loqui, in publico omni loco. Quid ambagibus opus? ſi argumentum placet, etiam opportuna hæc ſubſellia erunt. De PVTEO igitur, de PVTEALI, imò de PVTEALI LIBONIS verba faciam, & quæ ſumma quæſtionis, An ad PVTEAL Iudices Antiqui jurare ſoleant, è præſcripto ſe legum & regula Iuſtitiæ ſententiam laturos. Sed hęc omnia more meo, ut oblectem, jucundè; ut erudiam, familiariter; nequid omittam, plenè. Vos interim boni, humani, tranquilli eſtę, & alcidonia dicenti date, tempeſtatem arcete. Aliàs (& ſuave eſt meminiſſe) leni ſemper aura & velut adſpirante Favonio uſus, queri de injuria, ut ſic dicam, maris non potui. nunc ut oſtendam quàm feliciter hactenus navigarim, aëri & undis vota iterum committo.

Ille metuat, qui naufragium fecit; aut certè ille metuat, qui mare necdum vidit. quicquid expertus ſum, nunc etiam mihi promitto; & quia nullius timui affectum, ad dicendum proceſſi. Iuraſſe quidem Iudices Antiquos, è Iuſtiniani Codice notum & notatum eſt, lib. III. titulo I. De Iudiciis: *Rem non novam, neque inſolitam aggredimur, ſed Antiquis quidem Legumlatoribus placitam; cùm verò contempta ſit, non leve detrimentum cauſſis inferentem. Cui enim nôn eſt cognitum, Antiquos Iudices non aliter Iudicialem calculum accepiſſe, niſi priùs ſacramentum præſtitiſſent, omnimodo ſeſe cum veritate & legum obſervatione judicium eſſe diſpoſituros?* Pulcher & decumanus in Apuleio locus, lib. x. Metamorphoſeôn: *Nec patiar falſis criminibus petito reo, manifeſtum homicidium perpetrari; nec vos, qui jurejurando adſtricti judicatis, inductos ſervuli mendacio, pejerare. ipſe non poſſum, calcata numinum religione, conſcientiam meam fallens, perperam pronunciare.* Plurium ſcriptorum punctis ſtabiliri hic ritus poteſt: ſed cur recenſeam quæ ab aliis obſervata?

vata? Antiquitatis cauſſa Cicero tamen audiatur, Actione I. in Verrem: *Hoc factum eſſe in hac civitate, cùm Senatorius ordo judicaret, ut diſcoloribus ſignis Iuratorum hominum ſententiæ notarentur.* In quem locum Aſconius: IVRATORVM HOMINVM] *Iudicum, qui in leges, antequam judicarent, jurare conſueverant.* Idem Aſconius alibi, *celebratâ rejectione, & ſortitione perfectâ, Iudices in leges juraſſe* ſcribit, *ut obſtricti religione judicarent.* Iudices, ſed Romanos: & quo exemplo? an Athenienſium? Apud hos quidem Theſmóthetæ ſolenni juramento Magiſtratum auſpicabantur, ut teſtatur Heraclides Ponticus in Politeiis. Et Iulius Pollux lib. VIII. cap. IX. juraſſe ſcribit, *ad Porticum Regiam lapideam.* Romani igitur Græciæ exemplum, à Theſmóthetis ad judices ſuos videntur tranſtuliſſe: quod neglectum poſtea aut ſpretum, reſtituere bono jure Iuſtinianus voluit, imò reſtituit: ego nunc & formulam obiter hujus juriſjurandi, & præcipuè locum curioſa indagine perſequar. formulam, eru-

ditionis; locum, nominis mei cauſſa. Scilicet veniendum ad PVTEAL, & dubia priſci ritus memoria in lucem protrahenda. Et Formula quidem ſimplex an varia fuerit, arbitrari citiùs poſſum, quàm ſtatuere: quærenda in populo, ut ad Iudices trahatur. Iurabat ille communiter, ut *ſumma ſequar faſtigia rerum*, PER VITAM, PER SALVTEM, PER CAPVT SVVM, LIBERORVMQVE, PER DEOS, PER GENIVM PRINCIPIS. Per *Vitam*, certa & concepta verba erant, *Ita vivam*. Exemplum in Valerio Maximo lib. IX. cap. XIII. De Decimo Bruto, & à Briſſonio adnotatum: Quid? *Brutus exiguum & infelix momentum vitæ quanto dedecore emit! Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miſerat, comprehenſus, non ſolùm cervicem gladio ſubtraxit; verùm etiam conſtantiùs eam præbere admonitus, ipſis his verbis juravit:* ITA VIVAM, *dabo. ô fati cunctationem ærumnoſam! ô jurandi ſtolidam fidem!* Addit Valerius: *Sed hos tu furores immoderata retinendi ſpiritus dulcedo ſubjicis, ſanæ rationis modum expugnando; quæ vitam*

vitam diligere; mortem non timere præcepit. Aerius Seneca (lubet enim ſuavibus auſtera jungere) qui eandem hanc hiſtoriam Philoſophico ſupercilio recenſens, etiam juramentum expreſſit, & damnavit; Epiſtola LXXXII. *Hic eſt enim Brutus, qui cùm periturus mortis moras quæreret, ad exonerandum ventrem ſeceſſit; & evocatus ad mortem, juſſusq́; præbere cervicem, Præbebo, inquit,* ITA VIVAM. *Quæ dementia eſt fugere, cùm retrò ire non poſſis? Præbebo, inquit,* ITA VIVAM. *penè adjecit, vel ſub Antonio. ô hominem dignum, qui vitæ dederetur!* Molle hoc tuum nimis & dictum & factum, Brute. Ne turpiter fugias, ad mortem depoſceris; ne miſeriam trahas Reipub. occumbis. Satis jam pugnatum eſt: vincere certè non potes. Suavis eſſe vita jam bono civi non debet, poſtquam libertas periit. Et quò te vota ducunt? in Macedoniam? Vbique fatum urget: ut à M. Bruto fratre tuo ſecuritatem ſperes? ſed & ille, ut ſuo judicio, alieno ſcelere pereat, mox uni è comitibus confodiendum præbebit latus. Quid moliris igitur,

aut ploras ? Conſtantiæ exemplum, & neceſſitatis ſolatium Helvius Blaſio ille tuus commilito præbet , & amicus. Ecce ut ad tolerandam necem te animet, ut ferro, non ſermone conſoletur, fodit ipſe pectus ſuum & ſe conficit : præit, ne duci ſaltem recuſes. Labitur ecce, & fortiùs adhuc loquẽs quàm faciat, jam in mortis limine timendam non eſſe mortem inclamat. Quid igitur eſt? viriliter age, aut certè non ignavè. Magnus erit, qui nec magnum putet vivere, nec miſerum mori. (θανεῖν.

Τὸ γὰρ θανεῖν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ᾽ αἰσχρῶς

Nam turpe non eſt, emori; ſed turpiter.

Quæ dico Seneca confirmat, atque adeò Brutum cum Catone comparat: *Vides ipſam mortem, nec malum eſſe, nec bonum. Cato illa honeſtiſſimè uſus eſt, turpiſſimè Brutus. Omnis res, quod non habuit decus, virtute additâ, ſumit.* Paullo-pòſt: *Mors honeſta eſt, per illud quod honeſtum eſt.* Sed ego vitæ formulam Mortis hoc exemplo claudo : extra rem prolixum eſſe non decet. ad *Salutem* tranſeo. Per hanc frequens

olim

olim juramentum. Modi erant: *Ita ſim ſalvus, Ne ſim ſalvus, Dij me perdant,* ſimiléſque obvii in Scriptoribus, & triti. Per caput ſuum Liberorúmque paſſim quiſque & ſolenniter. Videnda Lex III. IV. & V. D. De Iurejurando. Vlpiani atque Paulli verba ſunt: *Iurari autem oportet, ut delatum eſt juſiurandum. Ceterùm ſi ego detuli ut per Deum jurares; tu per Caput tuum juraſti, vel Filiorum tuorum; non erit ratum habendum juſiurandum.* At ſiquis filium exheredaſſet, ut Quinctilianus indicat lib. IX. cap. II. ſic formare juramentum ſolet: *Ita mihi contingat herede filio mori.* Nihil verò familiarius aut frequentius, quàm *Per Deos immortales:* & ſancto atque peculiari ritu *Per Iovem Lapidem.* Ad rem Agellius lib. I. cap. XXI. *Iovem lapidem, quod ſanctiſſimum Iuſiurandum eſt habitum, ſum paratus jurare.* Item Apulejus De Deo Socratis, ſed vocula minuendus: Quid igitur? *Iurabo per Iovem lapidem Romano vetuſtiſſimo ritu.* Imò *Iurabo Iovem lapidem.* Hic error Græcum ſermonem paſſim obſidet, διὰ λίθȣ, *Per lapidem.*

eſſet Δία λίθον. *Iovem Lapidem.* Exſecratio quoque addi ſolita, quam Feſtus explicat: *Iovem lapidem juraturi ſilicem tenentes, his verbis utuntur: ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalva urbe arcéque, bonis ejiciat; ut ego hunc lapidem.* In Polybio, Livio, aliisque hic idem ritus expreſſus. Denique *Per Genium Principis* jurari cœptum oppreſſa Republ. atque adeò poſt Iulii Cæſaris cædem. Senatus decrevit (verba ſequar Dionis) ut *per ipſius Genium juraretur.* Pulcher locus in lege XIII. D. De Iurejurando. In Reſcripto Alexandri hoc genus juramenti *Veneratio Principis* nominatur, Codice de Rebus Creditis & Iurejurando. Chriſtiani verò poſtea mutarunt, ut non per *Genium*, ſed Salutem Principis juraretur. Vide Tertullianum in Apologetico, cap. XXXII. Reſcriptum Arcadii & Honorii, Lege Siquis Major, Codice de Tranſactionibus. Atque his aliiſque formulis populus Romanus, in privatis paſſim publiciſque negotiis ſive actionibus uſus: quid Iudices? cenſeo iiſdem. maximè verò illa, *Per Deos, Pérque*

que Genium, ſive *Salutem Principis*. Nam profectò nihil ad Rempub. magis pertinet, quàm ut ſuum cuique tribuatur; id eſt, ut rectè Iudicia ac ſincerè exerceantur: ad Iudicia nihil magis, quàm ut Iudex ſummo & auguſtiſſimo Sacramento teneatur. Quod verò auguſtiſſimum? quod *Per Deos* concipitur, *Perq́; Salutem Principis*. Ne improbus ac perjurus ſis, Vindicem Deum times, Principem ultorem. Vterque ille eſt, *qui quæ nos gerimus*, ut Comici verba uſurpem, *auditq́; & videt*. Quid igitur Iurabant Iudices? quod in Controverſiis Senecæ notes, *Se nihil gratiæ, nihil precibus dare, ſed ex animi ſui ſententia judicare*. Siquis etiam ſuſpicetur *Per Aquam* hîc juratum fuiſſe, aut *per Puteal Libonis*, aut per *Cotem & Novaculam defoſſam*, aut *per Ficum Naviam*: quæ omnia mox clariſſima erunt: haud abnuerim. Quicquid audis, religioni conjunctum erat. Et alii per res obvias paſſim concipiebant iuſiurandum. Socrates *per Canem*, Zeno *per Capparim*, Pythagoras *per Tetradem*, ſive numerum quaternarium

narium. Iones *per Braſſicam*, Byzantii *per nummos ferreos*, alii per *ipſum Iuſiurandum.* Ad Locvm nunc tranſeo, in quo præſtari Iuramentum ſolet: nec promiſcuè quemcumque fuiſſe arbitror; ſed quo maior religionis reverentia eſſet, certum aliquem & ſacratum. Aram dico. quid ni? hîc numen ipſum præſens, hic terror, hic metus eſt, & à ſcelere mens improba ſceleris conſcientia revocatur. Religionem ipſam veterum inſpice: Aras Deorum tangere ſanctiſſimum Iuſiurandum fuit. Rationes etiam ſunt; ſed compendii cauſſa auctoritatem Symmachi in medium proferam, qui Aram nominat, qui Iuſiurandum exaggerat, & hoc omninò docet quod inquirimus, lib.x. epiſtola liv. *Vbi in leges veſtras & verba jurabimus? qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena ſunt, nec ullus perfidis tutus eſt locus. Sed plurimum valet ad metum delinquenti, etiam præſentia religionis urgeri. Illa Ara concordiam tenet omnium: illa Ara Fidem convenit ſingulorum: neque aliud magis*

magis auctoritatem facit ſententiis noſtris, quam quòd omnia Iuratus ordo decernit. Iam hiſtoria rei, lucem majorem verbis adfert. Gratianus Imperator Aram, ad quam iurare Iudices ſolebant, in gratiam Chriſtianorum everti & complanari iuſſerat: Symmachus eandem, ille ſtrenuus priſcæ ſuperſtitionis propugnator, inſtaurari à Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio luculenta relatione poſtulat. Quid etiam? Adverſarios invênit Ambroſium, Prudentium, alios: quorum cùm ſcripta exſtent, & aram pariter repræſentent, transfero ſermonem, & nunc curioſiùs inquiro, *Vbi hæc Ara*, & *quid omnino fuerit.* In Comitio fuiſſe, ex Plauto arbitrarium, imò verò certum eſt: qui Comico morſu periurium iudiciale haud obſcurè carpens, Comitii facit mentionem. Choragus enim in Curculione commonſtraturus quo quiſque homo facilè inveniretur loco, inclamat:

Qui perjurum convenire vult hominem,
mitto in Comitium.

In Comitio videlicet Ara, & ad hanc iurare

iurare Iudices ſoliti; ſed & peierare, ne labem fœdiſſimam noſtro primùm ævo natam indignere. Sanè fuiſſe illo priſco, idem Plautus indicium facit, in Rudente:

Iuſiurandum rei ſervandæ, non perdendæ conditum eſt.

Et ſevero commate Petronius: *Nemo cælum putat, nemo Iuſiurandum ſervat, nemo Iovem pluris facit; ſed omnes opertis oculis bona ſua computant.* De Comitio verò Comici verbis nunc etiam quis me roget:

Quid iſtuc? aut ubi iſtuc eſt terrarum loci?
Quid iſtuc ſit, aut ubi iſtuc ſit, nequeo noſcere.

Hem, quò me agis, & cogis? ut rudera illa revolvam Dominæ Vrbis? oſſa recolligam magnæ Matris? Reddam tibi Comici voces:

Iubeas unâ operâ me piſcari in aëre,
Venari autem retejaculo in medio mari.

Quia tamen operam hanc ſumpſi inquirendi, non refugiam: neque etiam ludam operam, ſi modò paullisper peregrinari cogitatione ſuſtinetis, & alieni ævi delicias uſurpare. Diruta quidem

quidem vetus illa Roma & ſubverſa; quæ tamen etiamnunc ſtat, æternúmque ſtabit non una facie aut forma. Stabit inquam, ſed Litterarum Hiſtoriæque tibicinibus atque fulcris. Antiquitatis velut imagines libri ſunt, ſed quibus munus meum ſervit. Hi æterni, & mores, ritus, res geſtas, imò univerſum rei Romanæ & Vrbis vultum repræſentant. Comitium igitur, ut ab ipſa voce ordiar, Latini *Conventum populi*, à ſimul itando, & *locum conventus* appellitant: Græci ἀρχαιρεσίας, καὶ τὰ ἀρχαιρέσια; Gloſſæ veteres ἀρχαιρέσια. nimirum ab eligendo Magiſtratu. Varro è coëundo, quòd convenire huc populus litium, & Curiatorum Comitiorum cauſſa ſoleat. Ita quoque *Contiones* appellatas cenſeo, quaſi *Comitiones*; quam vocem ditioni T. litteræ Gloſſarium vetus ſubiecit. Et per T. lapides antiqui repræſentant. Adde tabulam æream Legis Serviliæ, quam cùm Patavii agerem, in Muſéo Bembi vidi: & Legis Iudiciariæ apud Fulvium Vrſinum; in qua etiam *Conctio*. Comitium igitur locus urbis

urbis fuit in foro, iuxta Curiam. Ita Aſconius, ita ſæpius Cicero, qui non ſine foro Comitium Curiámque ſolet nominare: denique ita illi omnes, qui de Regionibus Vrbis ſcripſere. Reliquum eſt, ut quid omninò hæc fuerit ara, & an aliâ Antiquitatis memoria inſignis, aperiam. Sequi ſententiam Rævardi lubet, vel ob id maximè, quia à Scaligero, à Torrentio, & à neſcio quo non exagitatur. Breviter: neque enim laſſare penitus aurium veſtrarum patientiam debeo: *Puteal* fuiſſe *Libonis* non dubiis inducor conjecturis, ut pronunciem. Puteal, inquam, Libonis; cujus frequens apud Romanos Scriptores mentio; & in quo explicando variis opinionibus Interpretes laborant. Nomen, & Cognomen ſeorſim ſub examen deduco, ut Aram ipſam ab utroque diſcas. Nomen *Puteal*, & à Puteo eſt, in quo Accii Navii Auguris inclyti Novacula cum Cote defoſſa. Indicat Cicero lib. I. De Divinatione: *Cotem autem illam, & Novaculam defoſſam in Comitio, ſupráque impoſitum Puteal accepimus.*

Tarqui-

Tarquinius enim Priſcus, ut Livianis verbis hiſtoriam referam, *Equitem maximè ſuis deeſſe viribus ratus, ad Ramnenſes, Tatienſes, Lucenſes, quas Centurias Romulus conſcripſerat, addere alias conſtituit, ſuóque inſignes relinquere nomine. id, quia inauguratò Romulus fecerat, negare Accius Navius, inclytus eâ tēpeſtate Augur; neq; mutari, neque novum conſtitui, niſi aves dixiſſent, poſſe. Ex eo ira Regi mota: eludénſque artem, ut ferunt, Agedum, inquit, Divine tu, inaugura, fierine poſſit, quod nunc ego mente concipio. Cùm ille in augurio rem expertus, profectò futuram dixiſſet; Atque hoc animo agitavi, inquit, te Novacula cotem diſciſſurum. Cape hæc, & perage quod aves tuæ fieri poſſe portendunt. Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt.* In eodem argumento Apulejus corrigendus, De Dogmate Platonis: *Accio Navio navem velificet.* Monſtrum ſermonis. reſcribe, *Accio Navio cotem ſicet*, id eſt, *ſecet.* Copioſiùs etiam Dionyſius Halicarnaſſæus, lib. III. Antiquitatum Romanarum. Addit Livius, quod ad rem noſtram facit: *Statua Acciј, capite velato,*

quo in loco res acta eſt, in Comitio in gradibus ipſis ad lævam Curiæ fuit. Cotem quoque eodem loco ſitam fuiſſe memorant, ut eſſet ad poſteros miraculi ejus monumentum. Sed Dionyſius duraſſe ad ſua uſque tempora hanc ſtatuam, ſcribit, poſitámque *propè ſacram ficum.* Deinde, Cotem & Novaculam defoſſam eſſe *in terram ſub Ara.* Addit, hunc locum Φρέαρ, ſive *Puteal* à Romanis vocari. Quod ad Ficum attinet, ea à Navio dicta *Navia*, & diverſa à ficu Rumina, vel Ruminali. Feſtus, poſtquam de Cote & Novacula recenſuit quicquid fabuloſa credidit Antiquitas, ſubjungit, *Ficum ſatam à Navio eſſe, intra id ſpatium loci, qui contentus ſine ſacro ſit, eámque ſi quando aruiſſet ſubſeri juſſam. Deinde cùm poſt tot annos aliæ in eo loco complures ficus eſſent natæ, evellere & ejicere placuit, admonitu ac juſſu Aruſpicum. Manſuram enim libertatem populi, divinis reſponſis promiſſum fuit, quamdiu ea Ficus viveret, in qua fatum populi Romani eſſet.* Pulchra iſta, ſed Plinii verbis confirmanda, lib. XIV. cap. XV, Lectione quidem ab erroribus vindicata.

Colitur

Colitur Ficus in foro ipſo Romano ac Comitio, ſata ab Augure Attio Navio, ſacris ibi conditis(Novacula & Cote)*& tanquam in Comitium ſponte tranſiſſet.* (è Ruminali Ficu, nec ſata eſſet à Navio.) *Illa cùm areſcit, rurſus curâ ſacerdotum ſeritur.* Scilicet ut fatum libertatis vitaretur, hæc ſuperſtitio valuit. Hinc cùm temporibus Neronianis exareſceret truncus, & ramalia emorerentur; portentum Populus Romanus arbitratus eſt: ac certè ſub tali Imperatore corruere res Romana poterat. Ergò culta arbor, & velut ad vitam revocata, publicum metum delevit. De Ficu quid mirum? Caſa Romuli eodem fato celebris, & eadem ſolicitudine refecta ſæpius, ne vetuſtate collaberetur, & unà Rempublicam traheret. Ne Soli autem Romani fatui ac ridiculi; de navi Theſei ſimile Græci nugantur. A Puteo igitur originem Ficus ducit; ſata, nutrita, imò culta, ut memoriæ majeſtatem apud poſteros ille inveniret. Viguit arbor, ut latuiſſe ſcias quod venereris. Aqua fuit, & in ipſo Puteo Salus & Libertas Populi

Romani perennis eſſe potuit: imò Iuſtitia fuit,& Puteal Ara fieri debuit, ad quam Iudices jurarent. Verbo dicam: indicium æternitatis, truncus habuit; myſterium,Puteus; & eſſe ac nutriri ille potuit, quamdiu hic manaret. Iuxta aram verò,non in ara Ficus fuit, ne religio impediretur, aut ceſſaret ſacrificium. Pulchrè Auguſtus nunciantibus Tarraconnenſibus, palmam in ara ejus enatam, *Apparet*, inquit, *quàm ſæpe accendatis*. Fuit & eodem ſitu, Navii ſtatua, Aræ proxima, ut gemino velut ornamento Puteal cingeretur. Sed in Plinio alia lectio alium Antiquitatis fontem aperit: Puteum namque fulguritum, ac deinceps ſacrum ſive religioſum facit, cujuſmodi jam Puteal eſſe diximus. Verba,ut vulgo habentur,repræſento: *Colitur ficus arbor in foro ipſo ac Comitio Romæ nata,ſacra,fulguribus ibi conditis.* Non fruſtra fortaſſis aut malè, *Fulguribus ibi conditis.* Nam cùm Puteus ille poſtea de cælo fortè tactus eſſet,procurari & ſacrari debuit. ergò περιςόμιον ſive operculum accepit: Puteal, Ara dicta.

Eſt

Digitized by Google

Eſt enim Puteal, ut à Pomponio definitur, lege XIV. D. De Actionibus empti & venditi, *quo Puteus operitur.* Sed fulgura ſic condi ſolere Artemidorus ſcribit, lib. II. cap. VIII. *Fulmen ignobiles locos nobiles facit, propter aras, quæ in ipſis exſtruuntur, & ob ſacrificia; quæ in ipſis fiunt.* Feſtum adjungo, ut magis Puteal illuſtretur. *Fulguritum, id eſt quod fulmine ictum: qui locus ſtatim fieri videtur religioſus, quòd eum Deus ſibi dicaſſe videretur.* Vocabulum quoque ne deſit, *Bidental* appellatur, quod evitandum Perſius ſcribit, Satira II. Ἐπίσημον ideò apud Artemidorum; quia ſepiebatur. Varro lib. IV. De Curtio lacu: *C. Aelius, & Q. Lutatius ſcribunt, eum locum eſſe fulguritum, & ex S. C. ſeptum.* Sic dixerim, *Puteum Naviï locum eſſe fulguritum, & ex S. C. ſeptum.* Iuvant certè & conjecturam fulciunt Gloſſæ Veteres: ἱερὸς τόπος περικεκλεισμένος, *Puteale.* Iterum: ἱερὸς φραγμὸς, *Puteale.* Atque hinc jam ignorare non poſſumus, quidnam in Floridis Apulejanis ſit, *Colliculus ſepimine conſecratus.* Ad *Cognomen* venio, & finio. A. L. Scribo-

nio Libone eſt; qui fulgur hîc condidit, qui Puteal effecit, qui labrum erexit, uno verbo, qui conſecravit. Hæc è Feſto diſcimus, & ſimul Sacellum appellari. Verba ipſa exactam Scaligero ſententiam debent, alioquin hiulca. Sunt iſta: *Sacellum quod Puteal appellatur, antea Atria, fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat à Senatu, ut conquireret ſacella: atque illud conſecravit, Quia in eo loco fulguritum ſacellum fuit, cùm ignoraret fulgur conditum: quòd nefas eſt integi, ſemper foramine aperto cælum patet.* Omninò à Senatu, & è relatione Pontificum hoc negotium Scribonius Libo accepit, ut inquireret ſacella, id eſt, procuraret ea loca quæ fulgure attacta. Verebantur enim Romani, ne ob neglectam bidentalium & locorum fulguritorum religionem, ira Deorum deſæviret. Ergò & Fulguris Sacellum erat, & aperto tecto, ut ſic oſtium Dii Manes haberet. Hæc omnia; ut *Puteal Aram* eſſe oſtenderem; ut eam, ad quam in Leges Iudices jurabant. & ut pleniſſima fide ſermonem obſignem, exſtat notúmque

que

que eſt Numiſma, cuius pars adverſa effigiem Libonis exprimit, cum Inſcriptione, BON. EVENT. LIBO: averſa verò Aram ipſam ſive Puteal, cum Inſcriptione, PVTEAL. SCRIBON. An quicquam poteſt luculentius? Aliud etiam, in quo præter imagines CONCORDIA legitur: & aliud, in quo plenis litteris BONVS EVENTVS. Quia verò Symmachus Aram, quam reſtitui poſtulat, Concordiam tenere omnium diſertè ſcribit; aut hanc ipſam *Puteal* fuiſſe Libonis, certum eſt; aut eius certè tandem everſi locum, ut Rævardus opinatur, occupaſſe, Iurijurando religioſè ſuſcipiendo deſtinatam. Quæ enim illa *Concordia*, niſi Iudicum? quis *Bonus Eventus*, niſi Iudicii, ac Sententiarum? In mentem memoriámque Symmachi verba revoco, ut exſpectem quid infringere tam apertam veritatis lucem poſſit. *Illa Ara*, inquit, *Concordiam tenet omniũ: illa Ara Fidem convenit ſingulorum. neque aliud magis auctoritatem facit Sententiis noſtris, quàm quòd omnia Iuratus ordo decernit.* Sed difficultas naſci poteſt,

quam propono ut diluam. Ara,de qua vehemens illa contentio Symmachi, D.Ambroſii & Prudentii exſtat, videtur alia à Puteali Libonis eſſe.Puteal enim,ut ſatis demonſtratum eſt, in foro & Comitio fuit: at Ara Symmachiana in Curia. Vocat enim ipſe Symmachus *ornamentum Curiæ*, ut iam quoque dictum. Deinde Victoriæ fuit ſacra; Victoriæ autem ara in Curia, non foro aut Comitio. Atque ut alia omittantur ſcriptorum teſtimonia, in vetuſto Kalendario Romano notatum eſt, *Aram Victoriæ dedicatam fuiſſe in Curia menſe Auguſto.* Imò ſcribit Suetonius, Actum eſſe à Senatu, ut funus Auguſti triumphali ritu duceretur, *præcedente Victoria, quæ eſt in Curia.* Iam verò Aram Symmachianam Victoriæ ſacram eſſe, negari non poteſt. Neque etiam *Concordiæ* obſtabit nomen, quæ Concordia in numiſmate legitur, & Aræ tribuitur: quia non ad numen, ſed effectum numinis referri debet, id eſt ad Iudices: cùm & *Fides* & *Bonus Eventus* pariter nominentur à Symmacho, quibus tamen ſacra hæc

ara

ara non fuit. Deinde, ſi concedamus ad Puteal Libonis in leges à iudicibus iuratum fuiſſe, quæ ratio aut origo ritus? quid iudiciis aut Iuſtitiæ commune cum Puteo? Difficulter etiam verſus ille Ovidii explicabitur:

Qui Puteal Ianúmque timet celereſq; Kalendas;

& ille Perſii:

Si Puteal multa cantus vibice flagellas.

Difficulter, inquã, ſi ad Iudices & iusjurandum referantur. NON poterant validiori impetu opinionis meæ mœnia quati: expugnatur Puteal, niſi ſubſidia ab ingenio ſint, & prompta terrori arma obiiciantur. In Curia Aram Symmachianam fuiſſe aiunt. Si reclamem, præſenti auctoritate obruor: Nam *Ornamentum Curiæ* in Relatione appellatur. Sed quid eſt? Nullam iniuriam Curiæ inferam, ſi & alibi curiam ornem. In foro, in urbe tota, & ubique terrarum ornamentum Curię Romanę fuit, quia Iuſtitia; niſi tantum numen unius Senaculi aut templi muris concludamus. Romam Curiam puta, & quicquid agitur, Iudicia eſſe.

Non in cælo duntaxat Sol eſt: ubicumque lucet, præſentem dicimus. Terram ornat, qui inter ſidera volvitur: omnia illuſtrat, qui ſumma occupat. Ex ipſa Curia Iuſtitiæ manant radii, ſed ſi in nubes nebuláſque incidunt impediuntur. Ergò & ſerena omnia eſſe tribunalia debent; ut ſplendor Curiæ in foro, in Comitio, in Puteali incorruptus ſit. Iudicia conſtent, nec Iuſiurandum violetur; etiam in Ara Libonis *Curiæ Ornamentum* invenies. Non locus, ſed fructus commendatur. At Ara hæc, inquiunt, Victoriæ ſacra fuit: Victoria autem in curia culta: unde è Comitio manifeſtè removetur. Vt Victoriæ, non Concordiæ ſacram fuiſſe fatear, Scriptores perſuadent. Diſertis verbis Paulinus in vita D. Ambroſii: *Directa Relatio eſt ſub nomine Senatus à Symmacho tunc Præfecto Vrbis, de repetenda Ara Victoriæ.* Ipſe Symmachus: *Quis ita familiaris eſt Barbaris, ut Aram Victoriæ non requirat?* Palàm hinc igitur, erraſſe Rævardum, qui conjecturis ſuis indulgens, Libonis Aram Concordiæ credi-

credidit conſecratam. erraſſe etiam Nannium, qui graviore mendo hæc Symmachi verba : *illa Ara Concordiam tenet omnium*, ad Concordiæ templum detorquet. Sed ille quidem aut Numiſmata perperam inſpexerat, aut in foro Romano negligens, *Puteal Libonis* non notarat. Alteram nunc ratiocinationis partem video. Additur enim: *Ara autem Victoriæ in Curia fuit, & hoc quoque Scriptorum conſenſu conſtat.* Quid dicam ? Fuerit, conſtet. Eſſe nihilominus etiam in foro potuit. Vna Dea non in uno tantùm loco Aram habuit: imò ſatis non erat in ſola Curia Victoriam conſpici. Quid verbis opus eſt? Scriptores ferè, quoties hanc Deam nominant, loco ſolent diſtinguere; quid niſi ut ſparſim fuiſſe oſtenderent ? Suetonius, cujus verba objecta fuêre : *Præcedente Victoria, quæ eſt in Curia.* Poterat enim illa eſſe, quæ in foro. Lampridius in Alexandro Severo : *In ſomnis vidit alis ſe Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu eſt, ad cælum vehi.* Fuit & in veſtibulo Capitolii ſimulacrum Victoriæ, ſcribente Ta-

te Tacito, *ſuper rhedam impoſitum:* quò perperam quoque Viri Docti Iudices mittunt. Sed tamen, cur potiùs ad Puteal Libonis præſtari juramentum debuit, quàm alibi? Cur non in Curia, cur non in Capitolio? Strictè breviterque: quia neſcio quo myſterio Puteus olim Iudiciis Iuſtitiæq; deſtinatus: ut etiam quæ à *Iuſtitia* ſive *Dice* antiquitùs appellata fuêre, pariter à *Puteo* nomina traxerint. Tale, ut ad exemplum deſcendam, ſed illuſtre, *Puteolanum* olim emporium, ſive *Puteoli*, quam urbem Δικαιάρχειαν Græcè vocatam Strabo, Stephanus aliique ſcribunt. Ecce tam nobile nomen, & ab ipſa Iuſtitia ſenſu Græcanico derivatum, Latinæ appellationis dignitatem invenire non potuit, niſi à Puteo diceretur. Deinde *Iudicialem Puteum* (unde unde Romani acceperint) Græcia oſtendit: & in Pyræeo ad mare fuiſſe, in Atticis Pauſanias indicat: Athenis Ariſtoteles lib. IV. Politicorum, ubi de Iudiciis τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον. *Tribunal in Phreatte.* Qui locus ἀπὸ τοῦ φρέαττος, id eſt *Puteo.* Etſi Harpocra-

pocration ſic vocatam cenſet Curiam à Phreate Heroë quodam, ejuſdémque opinionis exſtitiſſe etiam Theophraſtum. Sanè φρέαρ *Puteus*, & φρεατιαῖος, *Putealis* ſive *Puteanus*: ac ſic quidem & meum Nomen, & Quæſtionis hujus argumentum conveniunt. Vt in Puteo quieta quidem aqua eſt, ſed viva tamen, pura & perennis: ſic in Iurejurando Iudicióque eſſe debet; aut Iuſtitia, nec non Reſpublica ipſa vacillent. Puteum Iudex cogitet, & incorruptus erit. Nemo aquam emit: ille malus, qui ſententiam. Merces Iudicem venditorem facit. Mehercle ex vero in omni cauſſa pronunciandum eſt: ſed in Puteo ſive profundo abſtruſam latere veritatem Democritus reſpondit. Iudicem igitur veracem eſſe oportet; imò ſiccum, ſobrium, continentem, ut verax ſit. Sic Edictum Prętoris apud Horatium explico, lib. I. Epiſtola XIX. Ad Mæcenatem: *--Forum Putealq́; Libonis*

Mandabo Siccis.

Sicci enim homines Latinè Sobrii, & uno verbo Boni ſunt. Talem & ipſum Advo-

Advocatum Antiqui voluerunt, id eſt incorruptum: qui, ut & Rævardo placet, exemplo Iudicum ad Puteal cum Litigatoribus ſuis jurare ſolet: hi nihil ſe dediſſe: ille nihil ſe accepiſſe. Horatius certè ita explicandus lib. II. Satira VI.

----Ante ſecundam
Roſcius orabat, ſibi adeſſes ad Puteal cras.

Ad Verſum Ovidii quod attinet,

Qui Puteal Ianúmque timet, celeresq; Kalendas;

& illum Perſii: *Si Puteal multa cautus vibice flagellas,*

Ad Fœneratores, non ad Iudices referri debent. Solent enim & propè Puteal fœnera tractari. Itaque flagellare Puteal ille dicitur, qui continuus ad Puteal, & ad menſam ſedet, ſtrenuus aliquis Daniſta; imò, ne vibicis vocabulum ignotum ſit, ſubdolus aliquis, improbus, & ſceleratus. Poëtis Oratorem jungo Tullium, cujus verba pro Sextio lucem accipiunt, ubi Gabinium perſtringit: *Puteali & fœneratorum gregibus inflatus.* Inflatus, quia gregem ſcilicet trahebat Fœneratorũ,

&

& hanc pompam in honorem computabat. Oſtendi *Juraſſe judices Antiquos*, & *Quo in loco.* Nam formulam brevitatis cauſſa omiſi. Votum meum eſt, ut quemadmodum ad eruditam voluptatem conatus ſum diſſerere, ita bonæ doctrinæ ſemina adhæſerint. Non ad Puteal, ſed ad ſeipſum ire quemque cupio: ut pro ſententia ferenda juret, ut Mentem Bonam ſervet, ut Iuris Iuſtitiæq; pariter conſultus ſit. Facite, qui ad Rempublicam aliquando accedetis; facite, qui acceſſiſtis: & ſiquod tœdium à prolixitate contraxiſtis, argumento condonate. DIXI.

ORA-

ORATIO XVIII.

DE PVRIFICATIONE VIRGINIS-MATRIS.

VT verè ſimpliciterq; pietatis verecundiam agnoſcam, VIRI, & SODALES Eximii, Clariſſimi, Optimi, Ornatiſſimi; audire in hoc loco & hoc die maluiſſem laudes DIVÆ noſtræ, quàm dicere; aures, quàm linguam his ſolennibus dare. Nam cùm argumenti maieſtas Eloquentiæ viribus non libretur, Theologo, quàm Philologo familiarior; meliora ac ſublimiora audire ego poteram, ſi alii dicerent, quàm ego dicere, ſi alii audirent. Omnino facilius erat, tranquillo aurium obſequio placere Virgini, quàm dubio linguæ conatu

natu cultores Virginis erudire. Et tamen otioſum nomen miles cur ſuſtineam in his caſtris? Fruſtra arma, niſi pugnem quoque: nulla opera, ſi ſpectem tantùm, quæ gerũtur. Prodeundum igitur in hanc arenam fuit, ut & æſtimarem eos, quorum ſequor veſtigia; & incitarem ſimul, qui ſequuntur. Deinde aut ſuperbus eſſem, ſi quam nemo non ſuſcipit religioſæ orationis provinciam, ſolus defugerem; aut inhumanus, ſi amiciſſimè rogatus, eandem recuſarem. PVRIFICATIONIS feſtum annua celebritate agitur, & præconii vocem ab Aſtrææ myſtis ſive alumnis ordo flagitabat. Cùm mens dubia conſilii maximè calculos conturbaret, facilis fui. ut commune ſubirem munus, titulum ſive nomen uſurpavi I. C. & dici me paſſus quod haberi poteram, ut Iuſtitiæ Matrem, & tamen Virginem, id eſt veram Aſtræam, & cælo fulgentem, ſed non fugitivam ſolenniter laudarem. Date veniam, ô Sodales; ut aliquid mihi tribuerem, morem geſſi omnibus; ut omnia pietati perſolverẽ, obſequi malui,

quàm in diſcrimen vires nō adducere. Quid enim eſt? aut quid molior? ut Virginem Matrem celebrem? & puritatē in ea, quæ peperit? Quid? ô Deus! in Solem defigo oculos, ut videam: in Oceanum me immergo, ut bibam: cęlum ſcando, ut decidam. Non me fallit argumenti magnitudo: quicquid ago, luce vincor; nam virgo Sole clarior eſt: undis obruor; Virgo Oceano purior eſt: immenſo arceor; Virgo cęlo major eſt. Non poſſum hîc non infans eſſe, ſi facundiam oſtentem: nec quiſquam vehementiùs laudavit univerſi Dominam, quàm qui obticuit. O mirum! Deum filium eſſe Virginis, & in Matre puritatem eſſe Dei! Hæreo, ſtupeo. Quid etiam? Purificari Matrem Virginem, quæ ſine macula fuit! legi ſubjici, quæ legis auctorem peperit! Hoc verò eſt, facem accendere, ut diem illuſtres; aquā affundere, ut fontem laves; cretam adhibere, ut ebur candefacias. Niſi puriſſima fuiſſet mater, quæ virgo peperit, dubites naſci Deum potuiſſe. Virgo fuit, & tamē mater: puerpera fuit, & tamen munda: fuit, quod admi-

admirari tantùm poſſumus. Quid igitur? quid bono cultu audax ſum, ut cõplecti cogitatione velim, quod natura non capit? ut eloquio exprimere, quod captum humanæ mentis ſuperat? trepido ac vacillo, ô Sodales. Quæ celebrantur, divina ſunt; homo ego qui dico: æterna ſunt, mortalis ego: infinita ſunt; puſillus ego. Planè ſi vires meas examino, omnem conatum onus vincit. Sic igitur ultra vires pietas ſurget: faciet, quantum ne poterit quidem; & conabitur, quantum benignitas veſtra excuſabit. E rivo ſiquis haurit, ſatis putat, ſi vas impleverit: totum flumẽ nemo capit. Dicam non quantum rerũ immenſitas ſuppeditat, ſed quantùm verborum anguſtiis poteſt adumbrari. Ergo exſurge anime, & divinæ lucis extremum ſaltem radium uſurpa. Exſurge anime, & ſacrum concita affectus ignem, ut lingua incaleſcat: loquere Virginem, quam cogitas; celebra, quam colis; adora, quam veneraris. Puram eſſe orationem decet; Virgo dicẽda eſt: remotam à quæſito verborum fuco; Puritas explicãda. Quod

miraculi fidem cõmendet, Virgo purificatur. Audietis, quomodo Pura fuit, quæ Mater; quomodo Purificari voluit, quæ Virgo. Sed tu & Virgo & Mater, ô Diva puriſſima; ô cæli claritas, ô mundi mundities, ô felicitatis ſcaturigo, ſebrua & illuſtra hanc mentem meam, linguam imbue & fœcunda, ut è puro fonte perennem laudum tuarum rivum educam. Feliciter ſaltem cum mortalium genere actũ eſt, quòd à lapſu ſperare ſalutem potuit. Ne ſemel tantùm Deus Optimus Maximus conderet hominem, qui peccaturus erat; ſervavit qui peccaverat. Maximus, quòd conderet; Optimus, quòd ſervaret: ut infinitæ potentiæ opus majori prodigio beneficium cenſeretur. Igitur natus eſt, ſed è Virgine; & Matrem habuit, ſed Virginem: ne homo periret, Deus factus eſt homo; imò tãdem ut homo viveret, mori voluit Deus. Atq; ſi divini conſilii arcana ſcrutamur, Mater eſſe Dei non potuit mulier, niſi Virgo eſſet: nec Virgo parere, niſi puriſſima ſervaretur. Qui Virginem dicit, puram dicit: qui Deum cogi-

cogitat, Virginem fuiſſe Matrem fatebitur. Naſci Deus non potuit, niſi è Virgine;& ut Deus naſceretur, parere debuit Virgo: imò ut Virgo pareret, non alium potuit, quàm Deum. Itaq; quod immenſitas in Deo, hoc puritas in Virgine. Capere Deũ Virgo potuit, puritas immenſitatẽ. Et quid eſt Deus? quid eſt puritas? imò quid eſt Virgo? quid eſt immenſitas? quia puritatem amat Deus, immenſitatis capax potuit eſſe Virgo. Iterum quid eſt Deus? *Mens univerſi, quod vides totum; & quod non vides totum.* Quantus ſit, cogitatione aſſequi non poſſumus: θεὸν εὑρεῖν μὲν ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. Nihil eo melius, nihil majus, nihil pulchrius. Bonorum omnium cauſſa eſt, magnorũ origo, pulchrorum fons. Vt in clariſſimum Solis jubar directi oculi vacillãt, tremunt, caligant: ſic mentis acies divinæ naturæ bonitate, magnitudine, pulchritudine vincitur. Breviter D. Cyprianus: *Deus immenſus & infinitus eſt, de quo hoc ſolum pronunciare potes, immenſum eſſe & infinitum.* Ergo quãtum intelligere non poſſumus, Virgo ce-

pit;&Deum puriſſimo cõplexa utero, imméſæ bonitatis, magnitudinis, pulchritudinis conſors fuit. Quid ampliùs? ob oculos tibi Virginem pone, & jam Deum vidiſti: mundiciem inſpice,& jam numen collegiſti. Etenim virtutis perennes rivos in Virgine habes: quid igitur? fontem cogita; is Deus eſt. Illibatæ puritatis radios in virgine habes: & quid? Solem cogita; is Deus eſt. Alio colore aut ſchemate referre tibi Deũ non poſſum. Imago Dei Virgo eſt, quæ Deum concepit, quę peperit, quæ lactavit, quæ nutrivit. E Cælo deſcendere in terram Deus noluit, niſi per Virginem, niſi per puritatẽ. Deus, Æternitatis puritas, & puritatis æternitas, Deus, qui verbo, quæcumq; ſunt jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat: cujus magnitudinem qui ſe noſſe putat, minuit; qui non vult minuere, non novit. Ecce ut Virginẽ laudem, Deum extollo: & quem non video, non comprehendo, non æſtimo, verborum cultu veneror. Quomodo videã? viſu clarior eſt: quî comprehendam? tactu purior eſt: qui æſtimẽ? ſen-
ſu ma-

ſu major eſt. Ille tamẽ ut videri poſſit, ut comprehendi, ut æſtimari, hominẽ induit: illapſus in Virginis uterum, veſtiri corpore, & circumſcribi fragilitate noſtra ſuſtinuit. Omninò quod homo eſt, eſſe Chriſtus voluit, ut & homo poſſet eſſe quod Chriſtus eſt. Ergo in antro à Paſtoribus, in templo à Simeone, ab Anna, à Sacerdote puer videtur, Deus colitur; puer comprehenditur, Deus laudatur; puer æſtimatur, Deus adoratur. Cum Tertulliano dicam: *Inviſibilis eſt, etſi videatur; incomprehenſibilis, etſi per gratiam repræſentetur; inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur. Cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus invenitur. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum.* Iterũ vidit homo Deum, comprehendit, æſtimavit, poſtquam Deus homo factus eſt. Deus de patre, ſed æterno; homo de matre, ſed Virgine. Deus factus eſt homo, nec deſiit eſſe Deus: Virgo peperit filium, nec deſiit eſſe Virgo: fuit mater & inviolata; fuit

Virgo & fœcunda. Deus generat, qui anteomnia fuit; & gignitur, ut poſt omnia eſſet. E filia naſcitur pater, & fit filius; è tempore æternitas, & mortalitati ſociatur; è ſervitute majeſtas, & cũ ludibrio inter mortales, imò inter filios, regnum eſt. Pari prodigio fontem dixerim naſci à rivo, & deficere; è Stella prodire Solem, & imminui; in centro coërceri ſphæram, & tamen volvi. Hæc omnia in Virginis utero Deus eſt. O Virgo! ô Deus! Deus produxit Virginem, & Virgo produxit Deum: qui ab æterno generatus eſt, in tẽpore naſcitur: *ὁ ἀμήτωρ*, ut Nazianzenus ait, *ἀπάτωρ γίνεται· ἀμήτωρ τὸ πρότερον, ἀπάτωρ τὸ δεύτερον.* Ab æterno Filius Dei, in tempore Filius Mariæ. Divina natura Patris Filius; humana, Matris. Divinitas matrem non admiſit, nec humanitas patrem. Qui ab æterno ſine Matre debuit naſci, in tempore ſine Patre. Etenim æterna Dei ſimplicitas à filii puritate materni nominis mixturâ ſecrevit, & humana Virginis-Matris puritas in filii ſimplicitate paterni vocabuli labem ſufferre non debuit. O myſteria!

ſteria! Qui implet omnia, & excedit omnia, qui eſt in omnibus, nec tamen continetur ab omnibus, capacem immenſitatis ſuæ Virginis uterum, velut divinitatis thalamum invenit. Æterna mente Virgo gravida mortalitatis ſarcina numen veſtivit: quem cęli non capiunt, juvenculæ viſcera ſtringunt; quem natura non exprimit, Maria repræſentat. Quid dicam? quid non dicam? Virginis puritas meruit geſtare & complecti Deum: Dei puritas illibatũ Virginis ſervavit uterum, ut ſine labe matris dignitatẽ virgo ſuſtineret, Virginis puritatem mater non amitteret. Quid ſanctius aut admirabilius eſſe potuit? tanto miraculo opus erat, ut crederes naſci potuiſſe Deum. Parere mulierem, quid novi erat? immundam eſſe lex definierat. Virgo debuit parere, ut Deus naſceretur. Et dubites profectò, ſanctioris momenti prodigium ſit, Deum hominem eſſe, an Virginem matrem? naſci Deum, an parere Virginem? Filius naſcendo Divinitatis magnitudinem non vitiavit, nec pariendo mater pulchritudinem puritatéq;

Virginitatis. quo ſplendore in utero Virginis concipitur Deus, ea mundicie naſcitur. Hæc illa Minerva eſt, illa Heptas, quæ virginitatis puritatisque ſymbolo à Pythagoricis olim deſignata: *quæ quòd naturæ opera ſine fœturarum contagione conformat, inter Deos Tritoniæ Virginis vocabulum poſſedit.* Nam cùm omnes numeri intra decadem poſiti, aut gignant alios, aut gignantur ex aliis, aut gignant & gignantur; ſola Heptas nec gignit ullum, nec gignitur ab ullo. Deinde Monas imago Dei, initium finisq; omnium, neq; ipſa principii aut finis ſciens, etſi omni videtur præeſſe numero, præcipuè tamen in Heptade vim ſuam oſtẽdit. *Nulli enim numero*, ut docet Macrobius, *aptiùs jungitur monas incorrupta, quàm virgini.* Sic Deus ille ſummus omnium conditor & cauſſa, Mens illa ſumma, naſci pro omnibus, ſed non ex omnibus voluit, in matrẽ Virgine electa. Sed amplius hîc etiam eſt, quod admiremur. Heptas noſtra, Minerva eſt & ſimul mater; Virgo, & peperit, non numerum, ſed infinitum. Deum dedit, & illibatum

tum virginitatis florem ſervavit. Iterum, Heptas noſtra, virgo eſt,fœcunda tamen: Pallade melior, quòd olivæ ramum non excitaverit, ſed genuerit; pacem non oſtenderit, ſed produxerit. Vt fabulas rideas, & quidquid religionem in impia antiquitate fecit, Iuppiter ſub aureo imbre Danaën iniit,ſed corrupit.amare non potuit,niſi ut injuriam inferret; cùm cælo libidinem non concluderet,in terris peccavit. In Deo noſtro nihil agnoſcimus, niſi quod purum eſt; nihil admittimus,niſi quod ſanctum eſt: in Virgine noſtra nihil agnoſcimus, niſi quod mundum eſt; nihil admittimus, niſi quod immaculatum. Ab æterno Sole excepit radium,& aucta puriſſimę naturæ innocentia reſplenduit: ab æterno fonte hauſit laticem, & novo chariſmatum rore feliciſſimam mentem imbuit. Verus hic imber fuit, ſed qui non inficeret: verum aurum,ſed quod non inquinaret. Angelicæ vocis oraculum audiamus: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quæ hæc virtus? Chriſtus eſt,

Sapien-

Sapientia eſt, Progenies Dei. Virtus Altiſſimi, id eſt, gignentis Dei, è quo Altiſſimo, & è qua virtute Altiſſimi, Spiritus eſt. Ergo ut Virgo concipiat, adeſt Altiſſimus, adeſt virtus Altiſſimi, adeſt Spiritus. vno verbo, ut puriſſima fiat Mater, totus adeſt Deus; & Virgo ſine corruptione fit fœcunda, ſine faſtidio gravida, ſine dolore puerpera. Concipere & parere potuit Virgo; ergo labem evitare puerpera. Naſci potuit Deus; ergo puritatem ſervare, quæ meruit eſſe Virgo. Divina myſteria cur naturæ anguſtiis terminemus? ut ſcias Deum eſſe, adſcribere Deo debes, quod natura non poteſt: & niſi major omni ſcientia fides ſit, nulla religionem pietas firmat. Maculam qui affingit Virgini, Deum violat: immunditiem qui attribuit Matri, Filium cõſpurcat. Quia Deus purus, pura fuit, quæ Dei debuit eſſe Mater. Concepit Virgo, ut Filii naturam referret Mater, & omnem humanæ mentis corporiſque puritatem vinceret. Puriſſimo utero divinæ formatur generationis partus, & ſine materni corporis vitio

tio per genitales Virginis exceſſus infans prodit. plena ſunt viſcera, nec ullum Virginis conſcientia contagium novit. Pura fuit, quæ omnem ſenſuum voluptatem potuit ſpernere: nec ulla pœnarum uſura debuit affligi, quæ nulla conceptionem delectatione vitiârat. quia omnis è virili ſemine commiſtio abfuit; ita & obſcœni puerperii ſordidæq; attrectationis injuria exulavit. Abſint februa: Deus natus eſt. abſint lavacra, & quicquid purgandis ſolet feminis adhiberi: Virgo enixa eſt. Munda erat & intemerata, quę Deum meruerat; nec aliqua naturæ injuria lædi potuit, quæ Spiritu ſancto adumbrante conceperat. Tormenta immundities ſequi ſolet; & defuncta laboribus puerpera, quantum ſit paſſa, in ſparſo ſanguine & effuſione ſecundarum videt. Sed Dei mater ſine tormento peperit, quia in conceptione omni corporis caruit voluptate: ſine labe & immunditie facta mater, quia virginitatis prærogativam accepit. Et tamen ut legi, conſuetudini, & reliquę naturæ ſatisfaceret (ſcribente D. Cypriano)

priano) *diebus deſignatis recubuit, & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis, non ſe à toro Ioſephi, qui eam nunquam tetigit; ſed ab ingreſſu templi, & ceteris quæ lex prohibebat, continuit.* Sic Virgo matris uſurpavit munia, & omni turpitudine caruit: delicias removit, & miraculis claruit: Deo digna, quem geſtare meruit: toto mulierum cœtu melior, pulchrior, amabilior, quia puritatē mundo induxit. Quod Veneri ſuæ ſuperſtitioſa Antiquitas tribuere auſa non eſt, ut quæ pulcherrima eſſet, caſta haberetur; quæ Amorem pepererat, Virgo eſſet: id à Vero & Magno Deo Maria obtinuit. Caſta fuit, & formæ pretio mulieres omnes, fictáque Dearum nomina vicit: Virgo fuit, & Amorem peperit. Amor Chriſtus eſt, Deus eſt, Salus eſt: & is ψυχῇ, id eſt, animæ humanæ junctus, veram cuiq; voluptatē gignit. A Virgine igitur noſtra Amor eſt, ab Amore voluptas eſt: purus Amor, voluptas illibata: quicquid profluxit, fontem imitatur. A Deo immortali Virgo erat, ut Deum conciperet

ret pareretque: à Virgine mortali Deus, ut divinæ naturæ puritatem naſcendo oſtenderet, & moriendo tandem commendaret. Quid tamen eſt? audite Sodales, & quæ ſecundo loco dicturus ſum, pari nunc benevolentiæ affectu percipite. Cùm maculam non contraxiſſet Virgo, Purificari voluit: ut legi ſatisfaceret, Matris conditionē implevit. O homo, admitte virtutis exempla, & felicitatis ſubſidia: quot hîc verba, tot miracula; quot hîc nomina, tot myſteria. Ecce Ieſum Maria defert. quid dicam? tu cum Filio cole Matrem: defert Virgo; ſectare puritatem: defert Mater; ama modeſtiam: defert paupercula; meliorem divitiis animum puta. Et cur hæc omnia? ut, cùm puriſſima eſſet, Purificationis tamen ritum expleret. communem ſubivit neceſſitatem mulierum, ut Mater oſtenderet, quod Virgo poſſideret. Puritatem quæſivit, quam non amiſerat; ut amorem humano generi inſereret Puritatis. Quales vellet cultores ſuos, magna Domina modeſtiſſimè oſtendit; puros, pios, ſobrios, continen-

priano) *diebus deſignatis recubuit,& depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis,non ſe à toro Ioſephi, qui eam nunquam tetigit; ſed ab ingreſſu templi, & ceteris quæ lex prohibebat, continuit.* Sic Virgo matris uſurpavit munia, & omni turpitudine caruit: delicias removit, & miraculis claruit: Deo digna, quem geſtare meruit: toto mulierum cœtu melior, pulchrior, amabilior, quia puritatẽ mundo induxit. Quod Veneri ſuæ ſuperſtitioſa Antiquitas tribuere auſa non eſt,ut quæ pulcherrima eſſet,caſta haberetur; quæ Amorem pepererat, Virgo eſſet: id à Vero & Magno Deo Maria obtinuit. Caſta fuit, & formæ pretio mulieres omnes, fictáque Dearum nomina vicit: Virgo fuit,& Amorem peperit. Amor Chriſtus eſt, Deus eſt, Salus eſt: & is ψυχῇ, id eſt, animæ humanæ junctus, veram cuiq; voluptatẽ gignit. A Virgine igitur noſtra Amor eſt, ab Amore voluptas eſt: purus Amor,voluptas illibata: quicquid profluxit, fontem imitatur. A Deo immortali Virgo erat,ut Deum conciperet

ret pareréque: à Virgine mortali Deus,ut divinæ naturæ puritatem naſcendo oſtenderet, & moriendo tandem commendaret. Quid tamen eſt? audite Sodales, & quæ ſecundo loco dicturus ſum,pari nunc benevolentiæ affectu percipite. Cùm maculam non contraxiſſet Virgo, Purificari voluit: ut legi ſatisfaceret,Matris conditionẽ implevit. O homo, admitte virtutis exempla, & felicitatis ſubſidia: quot hîc verba,tot miracula; quot hîc nomina,tot myſteria.Ecce Ieſum Maria defert. quid dicam? tu cum Filio cole Matrem:defert Virgo; ſectare puritatem: defert Mater; ama modeſtiam: defert paupercula; meliorem divitiis animum puta. Et cur hæc omnia? ut, cùm puriſſima eſſet,Purificationis tamen ritum expleret.communem ſubivit neceſſitatem mulierum, ut Mater oſtenderet, quod Virgo poſſideret. Puritatem quæſivit,quam non amiſerat; ut amorem humano generi inſereret Puritatis. Quales vellet cultores ſuos, magna Domina modeſtiſſimè oſtendit; puros,pios,ſobrios,continen-

tinentes, ſine labe vitiorum. Non licet in re piâ ingenioſo eſſe, aut exacto verborum ambitu complecti, quicquid divinæ auctoritas paginæ exprimit. Puram fuiſſe Virginem, mirari deſinam, ſi ſatis intellexero, cur Purificari voluerit. Non capit natura puritatem Virginis, non capit ratio Purificationem. Paucis; quod in Christo Maria vidit, imitata eſt: Purificari voluit, quia ille circũcîdi. An lex jubebat? Deus eſt, qui vulneratur. pariter; an lex jubebat? Virgo eſt, quæ peperit. Virgo Deũ expreſſit, Filium Mater: fecit quicquid à Moyſe præſcriptũ erat: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta ſeparationem menſtruæ, & die octavo circumcidetur infantulus: ipſa verò triginta diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purgationis ſuæ.* Sed tu Maria, quomodo immunda videri potes, quæ ſemen non ſuſcepiſti? Scimus, ſcimus, inquam, virginitatis tuę florem, ut nec conceptione imminutum, ſic nec par-

partione violatum. Non paſſa virum, pati legis jugum voluiſti : non uſurpare, quantum poteras ; ſed præſtare, quantum à reliquo ſexu vetus conſuetudo exigebat. Iviſti ad templum Virgo , quia Mater : iviſti munda, quia Virgo : obtuliſti Filium, ut quid ipſe pro genere humano facturus poſtea, jam oſtenderes. O puritas! ô pietas! Fuiſti Virgo, cùm conciperes, & permanſiſti cùm pareres : ut nihil perfectioni deeſſet, Purificationem uſurpaſti, cùm poſſes omittere. Virgo fuiſti poſt partum, quia virum non cognoviſti ante partum : pura & immaculata ſemper, ut ſanctiùs legi ſatisfaceres. Verba tua ſunt : *Quomodò fiet iſtud ? quoniam virum non cognoſco.* Quomodo fiet ? *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ergo venientem te ad templi atrium, non alia vox excipere potuit, quàm illa Sponſi tui: *Quàm pulchra es Amica mea, quàm pulchra es !* Imò, ut pulchritudinis pretium æſtimem, quàm pura es Amica mea, quàm pura es! Meritò pulchra, pura es; meritò

pura, Virgo es. Iterum: *tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te.* Pulchra, quia velut novi diei Aurora, & mater divini roris: pulchra, quia velut luna extra nubem ſplendés. Ampliùs: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Et tamen ex iſto horto æternæ Sapientiæ flos prodiit; ex iſto fonte rivus incorruptæ bonitatis, pulchritudinis, puritatis. Sed ô rerum diſcrimen! tu pulchra es, nos deformes; tu pura, nos fœdi: ſic etiam quod noſtrum eſt facis, & purificaris. O miſeriam! O ſortem! amamus ſcelera, quibus vincimur; & homo ſalutis ſuæ prodigus, turpius difficiliusq; putat abluere nefas, quàm committere. Lutum, ſordes, cœnum, mortales ſequimur: in vitia faciles, terreni ſumus: ſerpunt per turpia cogitationes, & ubi hærent, inquinantur. Quotuſquiſque in tota mortalium multitudine, aërem ætherémque ſcandit, Virginem cogitat, & mente puritatem ambit, mutationi non obnoxiam? Deum ſequere, in cælo eſt: puritatem ſequere, in Deo eſt. Purum eſſe nec ipſum

cælum potuit, niſi domicilium fieret Dei: imò quia hîc numen habitat, arceri debuit, quicquid immundum eſt. Iam verò ut terrenum mulieri templum clauſum erat, quamdiu damnata puerperii labes adhæreret: ita in cælum invehi mens hominis non poteſt, niſi puritatem induat. Quid etiam? Virginem ſequere, in cælo eſt: puritatem ſequere, in Virgine eſt. imò templum etſi Virgo petiit, velut cælum fuit, & in terra ſanctiſſimum ipſa domicilium exſtitit Dei. Vt Deum concipias colásq;, ô homo, Virginem tibi propone: qui naſci è Virgine potuit, Deus eſt: qui homo fieri, nec fœdari, Deus eſt. Pura Virgo fuit, quia omni peccati labe caruit: Deo digna, quia ſic pura fuit; & Deo grata, quia purificari tamen non exhorruit. Omnino naſci in cælo debuerat, niſi terris Deũ datura fuiſſet. O puritas! ò pietas! exprimere nulla ſermonis felicitate hoc queo myſterium, niſi Deum nominem: nec ullo conatu conſequi, niſi Virginem celebrem: Deum Virginis Filium, & Virginem Matrem Dei. Si

Virginẽ colimus, Filium veneremur: ſi Filium quærimus, Matrem ſequamur. Cùm Virgo eſſet, Purificari voluit; cùm Mater eſſet, Filium obtulit. Quid agis, & quò abis Virgo puriſſima, Mater feliciſſima? Noſtrum hoc munus eſt: immundi ſumus, lutulenti ſumus, peccatum genuimus, *Monſtrum horrendum, informe, ingens.* genuimus, & iterũ concipimus; concepimus & iterum gignimus, non ſatis audacia criminis, & ſtultitia voluptatis turpes, niſi & fœcundi. Surgendum ex his ſordibus, expurgandum peccati fermentum, quo caſta & generoſa pietatis munia turbantur. Miſeri ſumus, ſi impuri; & jam mortui, ſi immundi. Ergo ſi felicitas placet, puritatis ſtudio animus exſurgat; ſi vita placet, munditie æſtimanda eſt. Turpiſſimum pectoris onus ſcelus quodcumq; & quia ſola voluptate ſe inſinuat ac placet, grave noxiumq; eſt. Atq; utinam fœtus ſaltem eſſet: naturę vitio mola eſt, & informis è ſanguine & menſtruo turpitudo. Concipiunt ſcelus impii, ut infelices ſint: peccatũ pariunt, nec deponunt tamen; pariunt

autem

autem, ut miſeriùs bajulent ; imò pariunt, ut pereant: quemadmodum Apoſtoli divina verba ſunt: *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatū verò cùm conſummatū fuerit, generat mortem.* Vivamus ô Sodales, id eſt, puri ſimus. Si cōcepimus delictum aliquod, & perfecimus, Catharismus placeat; expurgari & purificari placeat. Redire à peccato ad vitam & innocentiam præſtat, quàm ad mortem progredi. Quid faciendum, admirabili myſterio Virgo noſtra oſtendit. Legi ſe ſubmittit, ad templum ſe confert, Sacerdotem adit: facit puriſſima, quæ immundæ ſolent. Quid moramur igitur? aut cur arduum ſit opus, quod Virgo aggreditur? cur aſpera via, quam tenellis plantis, etiam citra neceſſitatem, Virgo conficit? Eamus, eamus, è Sodalitio Virginis ſumus; carpamus veſtigia, matrem ſequimur; concitemus gradum, ad ſalutem imus. Geſtit ipſa terra, & invitat pietatem omnium, pura, & amœnitatis purpura, omniq; florum odore verna, ubicumque pedem puriſſima Virgo fixit. Quid ſperare

poſſis, jam è preſſa veſtigii felicitate diſcis; quotiescumque greſſum profers, munditiem invenis. Terra virgo eſt, quam Virgo tetigit. Ergo ad templum, ad templum, ô Sodales; ad Sacerdotem, ad Sacerdotem, ô Sodales: Virginem habere matrem non poſſumus, niſi mundi ſimus: nec Deum habere patrem, niſi ad exemplum Virginis cõponamur. Repeto voces meas; ad templum, ad templum; ad Sacerdotem, ad Sacerdotem. Non longa via eſt: etiam cogitatione licet pervenire. mente & voto munditiem concipe, & felicitatem orſus es. Sed in ipſo templo etiam viã eſſe Deus voluit. quamdiu vivis, eundum eſt: pura & innocens vita ad Deum via eſt, facem & viaticum exigit. Non hîc quieſcis, labor eſt: non hîc reſplendes, umbra eſt. paranda præſidia, ut labor mitigetur; accendenda lumina, ut umbra minuatur. præſidia, id eſt, virtutum opera: lumina, id eſt, exempla bonæ vitę. Hæc ipſa præſidia lumina ſunt, id eſt, ſolatia animi in corporis carcere concluſi. At caligo peccatum eſt; nec longiùs à feli-

feliciſſimo Dei contubernio arceri auctor peccati potuit, quàm ut à conſpectu æternæ lucis in demerſam naturæ noctem decideret. Iterum dico: caligo peccatum eſt: errat, titubat, hallucinatur, quiſquis improbitatis, impietatis, ſceleris nebula animum involvit. Vt ſcias lucis opera, Dei eſſe, in tenebris impietas punitur. *Mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Cum D. Paulo dicam: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic ut in die, honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.* Ecce, operibus tenebrarum arma lucis opponenda ſunt: pugnare decet, ut diem merearis. Sed nos ſalutis noſtræ negotium in Virginis honorem moliamur. Cereos accendamus, ſed qui Virgini, qui puritati conſecrentur. Fecimus, facimus, faciemus: non quia lumine tu eges, Virgo puriſſima; mundi Solem peperiſti: ſed quia hoc ſacrorum ornatu & religionis ritu, cultum pietatis explicamus. Luna in tenebrarũ reme-

dium providentiæ nutu data, cùm ſola argenteo orbe noctem illuſtret; infinita tamen ſtellarum frequentia cingitur: tot facibus non juvare, ſed ornare familiariſſimum terris ſidus natura voluit. Velut Luna, noſtra Virgo, niſi quòd inconſtantiam non agnoſcat. Solem refert, & ſtellas omnes vincit. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens; pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Sed quid cælo luſtro ſtellas, quas in terra invenio? Vos ô Sodales, vos, qui ubiq; gentiũ cõmuni pietatis teſſera animos Mariæ obſtrinxiſtis, Vos, inquã, ignes eſtis, flammæ eſtis, ſtellæ eſtis; & Virginem cingitis, Matrem ſtipatis, Dominam circumſiſtitis. Vos alumni, vos filii, vos ſatellites: in vobis & Virgo pura, & Mater fœcunda, & Domina fortis. Paucis dicam: In Sodalitate iſta Maria Virgo eſt, Maria Mater eſt, Maria Domina eſt: denique, ut nihil omittãm, omnia. Hîc colitur & lucet; hîc concipitur & naſcitur; hîc concipit & parit; hîc purificatur, & cælos tandem ſcandens, ad Deum evehitur, in quam Deus deſcenderat. Iam verò,

ut præſenti inhæream dogmati, ad templum ſe confert Virgo; inſiſtamus veſtigia: ſatisfactura legi Ieſum defert; uſurpemus myſteria. Niſi Ieſum feramus, ſequi Virginem non poſſumus: nec Ieſum ferre, niſi Virginem ſequamur. Prorſus, non ſine Ieſu Virgo eſt; non ſine Virgine Ieſus. Sic ille naſcitur, ſic illa parit: ſi ille patitur, ſic illa luget: &, ut ubique filio mater eſſet præſens, cruci adſtitit: tulit tormenta, quæ vidit. Excute & expende omnia, quæ in Chriſto religio recenſet; & Mariæ conjuncta invenies. Æterni numinis ab æterno decretum fuit, ut Deus fieret homo; ſed ut filius eſſet Mariæ. factum eſt: carnem aſſumpſit, ſed è Maria: natus eſt, ſed è Maria: poſitus in præſepio, ſed à Maria: à Magis & ſtella ſalutatus, ſed in ſinu Mariæ: latus ad templum, & oblatus Deo, ſed à Maria: fugit in Ægyptum, ſed cum Maria: ſedet inter Doctores, quæritur & invenitur à Maria: inſtruit turbas, auditur à Maria: Orditur miracula, ſed rogatu Mariæ: pendet in cruce, adſtat Maria: reſurgit à mor-

tuis,ante omnes vidit Mariam:aſſcendit ad Cælos,aſſumpta eſt Maria: mittit Paracletum,impletur & Maria. O veram igitur Gabrielis vocem! vocem dignam, quam quotidie & continuò dicamus! *χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.* Μετὰ σοῦ, quia ſine Filio Mater nunquam fuiſti. O Sodales,ante Mariam Verbum æternum fuit; ſed Verbum carne veſtitum, nunquam ſine Maria. Vt ſciamus quanti Matrem fecit Deus, in Virgine humanæ ſalutis pretium ęſtimavit. Quod pretium? Carnem, Animámque Chriſti. Suſcepit carnem è Virgine, animam in Virgine, Filius; & ut homo perfectus eſſet, humanam naturam per Virginem induit. Suſcepit animam, ſed ſine divinitatis injuria; carnem, ſed cum mortalitatis umbra: puram animam, ut impuritatem mortalium tolleret; mortalem carnem, ut ſecundùm carnem moriens, mortem vinceret; ſecundùm carnem reſurgens, corpora quoque mortalium noviſſimo die ſuſcitaret. O admiranda igitur à Virgine deductæ rerum vices! O impuritas puritate

ritate expugnata! Homo Deum contemnens, à Deo diſceſſit: Deus hominem diligens, ad hominem rediit. diſceſſerat mulieris ſcelere: rediit Virginis beneficio. Sic & illa impura induxit conjugem, ut peccaret, & altiſſima labe univerſum genus inficeret: hæc munda, peperit filium, qui elueret, quicquid miſera poſteritas lugebat. In ſumma, quia immunda & impura primi hominis conjux fuit, quæ mortem intulit; munda & pura ſecundi hominis Mater eſſe debuit, quæ vitam referret. & quia pro labe peccati miſerabili modo damnatus eſt homo; ita pro homine mirabili partu natus eſt Deus. Humano conjugio juncta Adamo fuit Eva: divino nexu Chriſtus Mariæ. O pulchrum, ò divinum par! Chriſtus & Maria. Ille eſt Filius, hæc Mater; ille ſponſus, hæc ſponſa; ille pulcher, hæc pulchra; ille dilectus, hæc dilecta. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: lectulus noſter floridus.* Qualis Chriſtus, talis Maria: ille purus, hæc pura: ille

Deus

Deus & Homo, hæc Virgo & Mater; imò, ut ab humilitate elogium exprimam, ille ſervus, hæc ancilla. Sed meruit illa Mater eſſe Dei, quia ancillam ſe nominat, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Et Chriſtus *formam ſervi accipiens,* ad homines venit, ut libertatem adferret. Quid opus eſt verbis? Puriſſimæ conjunctionis hujus ſanctitatem, omnis Eccleſiæ celebravit ætas, omnis ordo, omnis doctrina, & nunc demum ſeneſcentibus rerum annis reviteſcens humani generis pietas ſtabilivit. Quod majus religioni Chriſtianæ bonum Patrum ævo accedere potuit, quàm ut turbato opinionum diſſidiis orbe, viri prodirent optimi, doctiſſimi, ſanctiſſimi; quorum opera & induſtria, aurea virtutis renaſcerentur ſecula, & novo fervore Chriſtianæ legis arcana invaleſcerent, novo divinitatis pondere firmarentur, mortalium partim frigore, partim ſcelere expugnato? Societas illa IESV eſt; quam cùm nomino, ſatis laudo. Illa victrix hæreſum, pharus virtutum, perfectio ſæculi, gloria diſciplinarum, pediſſe-

diſſequa Chriſti, arx Eccleſiæ, alumna Dei. & tamen ut Societas duraret, Sodalitas acceſſit; ut Ieſu nomen reluceret, Mariæ adjunctum eſt. Penes Societatem eſſe Sodalitas debuit; à Ieſu athletis Mariæ cultus propagari. In Societate Maria eſt, ut in Sodalitate quoque Ieſus eſſet. Ieſum colunt nominéque poſſident, qui Sodalitatem dirigunt: Mariam colunt, & peculiari ſtudio aſſerunt, qui in Societatem adſcripti ſunt. Vt videtis, Sodales; Filius ſine Matre eſſe non poteſt, nec ſine Filio Mater. Quem ſemel utero geſtavit Virgo, nunquam non animo Mater, eum nunc ulnis Virgo & Mater bajulat, oblatura hoſtiam à lege præfinitam, *par turturum, aut duos pullos columbarum*. Et cur non agnum anniculum? quia paupercula Virgo fuit, & eſſe gaviſa eſt, donis jam Regum in egenos diſtributis. Ego puriſſimam illam mentem tuam, Virgo intemerata, in ipſis fortunæ anguſtiis veneror. Non refugit in Virgine paupertatem Deus, quia Puritatem invenerat: & tu

Virgo,

Virgo, quia peperiſti ſine pompa filium, etiam ſine pompa obtuliſti. Sic naſci voluit, ſic offerri, qui ſummus erat;& ut vanitatem,luxum,ſuperbiam damnaret mortalium, minimum ſe fecit.In ſpecu,non domo,editus eſt;in ſtabulo,non palatio. Quale hoſpitiũ, tale puerperium:Mater in fœno,filius in præſepio,ut ait D.Cyprianus: panniculi pro purpura, laciniæ pro byſſo: genitrix & obſtetrix,filius & pater.ſed illa Purificari dignata eſt, hic offerri. Deinde, non agnum anniculum Virgo dedit;quia Chriſtus ipſe Agnus fuit. *Ecce Agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc Agno munda erat Virgo: hic Agnus in victimam mox ducendus, mori voluit, ut vitam generi humano reſtitueret: ſanguinem fundere, ut pretioſiſſimo latice fœdam ęternitatis labem ablueret. Nec vile cenſeas Agni nomen, quo Chriſti immaculata divinitas, & pura humanitas deſignantur. Immolari voluit;ut maximo pretio ſalutem mortalium redimeret, ſeipſum impendit. Agnus ſimplicitatis atque Innocentiæ typus eſt: cùm

ad ne-

ad necem trahitur, non vociferatur: cùm tondetur,non clamat.imò Chriſti typus eſt, divino oraculo à Propheta expreſſus: *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt,& ſicut Agnus innocens coram tondente ſe obmuteſcit, ſic non aperuit os ſuum.* Item: *Ego ſicut Agnus ſine malitia perductus ſum ad victimam.* Iam præter ſacrificia uſum vellerum Agnus præbet, indumenta ſuppeditat. Nudi eramus, & in peccato deprehenſi;ſperare ſalutem non potuimus, niſi à Chriſto. Is mactatur, & indumentum incorruptionis factus eſt, quo mortale genus veſtiretur. Ergò ſatis hîc, *par turturum, aut duo pulli columbarum*;quibus noſtra præcipuè purificatio adumbretur. Querulæ & gemebundæ aves, turtur & columba. Quod Poëta expreſſit:

--Gemit hinc palumbus,inde cereus turtur.

Sed dolore,gemitu,lacrymis elui peccati omnis macula debet. Sic numen placatur, ſic puritas quæritur, ſic natura emendatur. Homines ſumus, in terra agimus, in corpore vivimus: ſed quis omnes omnino ſordes evitavit?

tavit ? alius pulvere adſperſus, alius cœno maculatus, alius luto immerſus; quiſque turpitudinem ſuam patitur, & immundus eſt. Ad gemitum, ad gemitum! magna doloris pietas eſt. Erumpat in lacrymas pectus, manent rivis genæ, quid commiſeris loquantur oculi, & ſimul abluant. Si vis lavari, fontem habes; cedunt ſordes, ſi lacrymas ſenſerint. Quem expuliſti, redit Deus, ſi munditiem invenit. Noctem & diem ſimul habere non poſſumus: non Chriſto vivere, & peccato immori; non Virgini placere, & cupiditatibus obſequi. Tolle, tolle, quantum peccas, ô homo. Vince, vince, quantum cupis. Sic te reſpiciet Chriſtus, ſic Virgo complectetur: ſic Chriſtus ſublevabit, ſic Virgo proteget: ſic Chriſtus ſervabit, ſic Virgo evehet. Itaque mundi ſimus, puri ſimus: ut omnia dicam, Sodales ſimus. Quod corpori concedimus, animo impendamus: nitor, ſplendor, puritas, placeant: quod amico perſolvimus, id ſibi quiſque tribuat. Parentes ecce habes, aut fratres, aut filios, aut alio nexu

conjun-

conjunctos: ex his omnibus ſiquis mortalitatis exitu deſinat eſſe, ingemiſcis, ploras, & in dolorem ſoluto animo, conſanguinitatis ſive amicitię damnum corporis totius ſqualore luges. Sed tu ô homo, quiſquis peccas & impurus es, meliorem tuì partem, & radicem vitæ, quia turpiſſimo voluptatis philtro imbuere auſus, confeciſti. Mortuus & homicida ambulas, pari ſcelere & turpitudine infelix. Tu tibi ſuperſtes, quod feciſti funus ipſe portas: quam adhùc vivis vitam, ſepulchro infers. O miſeriam! incedis, & cadaver es: fœtes, & ſuperbus es: Chriſtianum te mentiris, & impurus es. Ingemiſce & plange, ut vivere incipias; calentes pio dolore funde lacrymas, ut munderis. Quid ampliùs dicam? Nos ô Sodales, qui Virginem colimus, puritatem ſectemur; qui doctrinam amamus, Virginem imitemur. Nobis in templo, in ſcholâ, domi, foris, in auribus & animo turtures aut palumbi gemant: puritatis amorem Virginis exemplũ excitet. Mundi potiùs, id eſt boni, id eſt pii ſimus,

quàm doctrinâ magni. Summa eruditio bonitas eſt, neceſſaria ſcientia pietas eſt: quam unam qui non diſcit, ignorabit omnia. O felix pietas! ô felix bonitas! ſed quæ ſine munditie pectoris eſſe non poſſunt. Ex hoc naſcuntur fundo, hoc nutriuntur ſucco, hoc robore & ſubſidio conſtant. Nebulis nubibuſq; noxius Auſter auram violet, & diem frangat, Solem non videbis: lumen tolle, nullus oculorum uſus erit. Quid etiam? munditiem tolle, pietas & bonitas evaneſcent. Nihil purius ſimpliciúſque numine eſt: nec poteſt niſi in puro ſimpliciq; corde habitare. Itaque Puritas in pretio ſit, ô Sodales; ſimplicitas in pretio ſit, ô Sodales; & illud maximè, quod in Deo & Virgine hodie admiramur. Puritas placeat, ut boni ſimus; ſimplicitas placeat, ut pii ſimus: animi ſordes omnes expurgemus, ut Deo & Virgini ipſi placeamus. O Deus! o Virgo! ne prima Doctrina ſit, quàm colam, cæleſtia poſco: ſcientiam & ſapientiam, ut ſciam optima: vires & firmitatem animi, ut

faciam.

faciam. Doctrinam poſco, ſed velut aurum ſine ſcoriâ, quod puriſſimæ mentis gemmam veſtiat. Da ô Deus! da ô Virgo! Munditiem poſco, quæ in me, & totâ Sodalitate niteat. Da ô Deus! da ô Virgo! DIXI.

ORATIO XIX.

IN

Q. CVRTII RVFI HISTORIAM

Præfatio.

VT ſolenniùs hoc tempore verba faciam, AVDITORES, & vetus quædam conſuetudo ſcholæ, & Hiſtoriæ, ad quam redeo, dignitas cogit. Si conſuetudinem reſpiciam; novus liber novam pompam quærit: ſi Hiſtoriam; meliori nec argumento occupare juventutem poſſum, nec occaſione ad Præfationis delicias deſcendere. Atque, ut nihil utilius memoria veteris ævi: ita nihil ego libentiùs doceo, nihil faciliùs commendo. Tanquam Strategum agam; dapes pono, quas laudare audeam

audeam,&, convivas voco quos priſci ſcriptoris ſucco & cibo nutriam. Non omnes ejuſdem palati ſunt: placere tamen velim omnibus,& depromere, quod nemo aut recuſet, aut faſtidiat. Equidem conatus ſum hactenus, & hæc Latinitatis fercula ſic diſtinxi atq; variavi, ut dulcia amaris blanditias facerent, & ſevera amœnis velut miteſcerent. Si quis fuit fortaſſis, qui ſuam vincere nauſeam non potuit, & litterarum dapibus reluctantem animum ſenſit: ſciat ille, difficilem eruditionis voluptatem eſſe; niſi honeſti ſtimulus pectus fodiat, & generoſus ardor indolem accendat. Nihil facilius, quàm à verborum ſtudio ſurgentes ad magna juvenes avertere. Sic cùm nec jucunda placent, fruſtra ad bonam Mentem hortor; & cùm Hiſtoria gravis eſt, omnia offendent. Illam tamen, quia Salluſtium Tacitumq; nuper explicui, in Curtio nunc quoque experiar, digno mehercle auribus omnium & oculis ſcriptore; qui an facili ſententiarum acumine erudiat ſuaviùs, an mellitis eloquii ille-

 cebris

cebris delectet utilius, jure dubites. Suo, & illius ingenio bonus eſt, quem deſcripſit; & magnum iterum fecit, quem celebrat. Prorſus Alexandri famam Curtius ſuſtinet: quicquid narrat, quia poſt alios, ſtabilivit. Vt ceteris crederetur, Caliſtheni, Ariſtobulo, Ptolemæo, unus ille fecit; & fidem Græci invenerunt, quia idem ſtilo argumentum Latinus abſolvit. Vt liberiùs aliquid dicam, tam elegans prudensq; Scriptor mendax eſſe non potuit: & jam credimus quicquid Arrianus tradidit; Curtium ſecutus eſt. imò credimus, nihil difficile Alexandro fuiſſe; fieri poſſe Curtius cenſuit, & ad poſteros tranſmiſit. Tria ſanè numina in pulcherrimo Hiſtoriæ opere videtur coluiſſe; Suadam, Prudentiam, Veritatem. Et Suadæ quidem lenocinio quem non mulceat abripiatque, etiam alieno affectu impeditum? Hiſtoriæ hæc Siren eſt, à quâ vinci & abduci etiam Homeri Sapiens voluiſſet. Iam Prudentiæ dotes quidni venerer? Putes in Sophiæ domicilio præcepta omnis vitæ Socratem præ-

tem præfigere. Denique Veritatis etjam integritas hîc relucet. etenim qui tam à libidine fingendi, quàm à neceſſitate abfuit, fallere noluit; & jam tum ævi ſui judicia vereri poterat, ſi majora veris tradidiſſet; quippe pronis Romanorum in adulationem ſive Caligulæ, ſive Claudii, ſive inſequentium animis. Sed non hoc ago Auditores, ut in ſolo Curtio putetis eſſe omnia, quia dicere omnia in ſolo Alexandro potuit, nec mentiri: laudo unum, ut ametis omnes; & hunc potiſſimùm nunc explicare aggredior, quò libētiùs omnes pellegatis. Quicquid eſt Hiſtoriarū commendo, cùm hanc unam explico: &, ut in totam curioſi Antiquitatem ſitis, Alexandrum repręſento. Nam profectò parū eſſet, Curtium ſcire, ſiquis reliquos ignoraret: quemadmodum anguſtis ego limitibus munus meum circumſcriberem, ſi in aliqua duntaxat Hiſtoriæ parte deſudarem. Proinde, ſi cui fortaſſis Scriptor ille adhuc ignotus eſt, qui mille ſexcentos propemodum jam annos loquitur, illum ego

Hiſtoriæ univerſæ & nomine & officio excito, ut communi utilitate unius præſtantiam metiatur. Quicunq; præterea adeſtis, Viri, juvenes, vos rogo, ut tam benigni mihi dicenti ſitis, quàm eſtis eruditi; neu aurium aditu arceatis, quod ingenii felicitate potuiſtis conſequi. Fluere pauliſper orationem ſinam, & vela pandi, ut faciliùs portum, quem deſtinavi, teneam. Ante omnia, ne prolixus ſim cavebo. Findam potius orationem quàm moleſtus ero; ut omnia dicam tamen, triduum occupabo. In Deo (& unde felicius ordiar?) cùm admiranda omnia, tum illud inprimis totam naturæ magnitudinem ſuperat, quòd & quæ fuêre, & quæ ſunt, & quæ erunt, in præſenti habeat; & quicquid diffundi temporum lapſu poteſt, quicquid non poteſt, pati intuitu concludat. Infra ſe Naturam collocavit, qui non annis, non ſeculis diſtinguitur, nec ipsâ, in quâ ſunt omnia, æternitate ſeneſcit aut variatur. Mortales igitur, etſi in tenebras depreſſi, & è cælo remoti; ut numinis

aliquam

aliquam umbram in terris exprimerent; Hiſtoriam invenêrunt: atque hæc humani generis finita quædam æternitas eſt, quæ & narrat quæ præterita ſunt, & deſignat quæ futura, tanquam gerantur cōtinuò, & in præſenti fiant. Æternitas, inquam, quædam eſt, ſed finita, imò anguſta: cùm omnia circumdat & repræſentat, momento ſe dilatavit. Nam quicquid finiri poteſt, & originem habet, breve eſt. Et his tamen anguſtiis res mortalium magnæ ſunt, imò, ut pereant, in ſecula extenduntur. Neque inutile interim beneficium commenti ſunt, qui magna ſolertia vincere prementem à tergo caliginem potuêre, viámque retrò ad originem rerum uſque recludere. Sic vivere primùm cœpere homines, antequam nati eſſent; non ſuis, ſed mundi annis ætatem auſpicabantur; & quod amplius, ſapere, cùm adhuc non viverent, potuêre. Hoc igitur in Sacris Moſes, numine dictante, præſtitit, vir magnus & divinus; & ut Dei negotium ageret, religioni præluxit. Profani omnes,

quia ad vitæ auctorem non ibant, aut fabulantur de incunabulis rerum, aut citeriori memoriâ hiſtoriam conſtringunt. Sic Herodotus à Cyro exorſus CC. XL. annos continuâ ſerie explicuit. Thucydides à Xerxis è Græciâ diſceſſu, L X X: annorum narrationem complexus eſt, & unius illius regionis rebus incubuit. Thucydidem Xenophon excipiens, XL. annorum bella proſecutus eſt, inter Græcas præcipuè civitates bellata. Xenophonti Diodorum Siculum adjungo, qui ut amplius præſtaret quàm ceteri, deductam ab ultima vetuſtatis memoria Bibliothecã, ad Iulium Cæſarem extendit: adjungo autem, quia libro XVI. Xenophontis Græcanica proſequitur, res à Philippo, Alexandro, Succeſſoribus, ac deinceps à Romanis geſtas, ad annum V. C. CCCC. LII. Quem annum Livius libro X. continuat, parem Romano Imperio Hiſtoriam condens. Sic & Polybii fragmenta ruptam, neque vaſtam tamen temporis periodum habent. Et quia Alexandrum nominavi; hunc deſcri-

deſcripſit Curtius jam noſter, & maximi bellatoris brevi vita hiſtoriam, quam nunquam ſatis admiremur, terminavit. Reliqui, qui exſtant, & ſtilo ſuam aliorúmq; famam conati extendere, aut idem Hiſtoriæ corpus, ſive Græcæ, ſive Latinæ complexi ſunt, aut in membris, ſive partibus hæſerunt. Qui ſcriberet autem, quid ante homines eſſet, aut qui ultra ſuam ætatem vates procurreret, futura tanquam facta narrans, inventus eſt nemo. A præterito, aut certè præſenti, Hiſtoria ſumitur; & in futurum præparat animos hominum, ut ſciant omnes, quid & quomodo unumquodque agendum ſit, quo conſilio ſolertiaq; in dubiis privatim atque publicè niti oporteat: Breviter, ut videant omnes utrumque Fortunæ vultum, nec horreant. Etenim Prudentia, ut ſcitè Diodorus extulit, *quæ ab Hiſtoria manat, aliorum perperam recteq; facta diſcernens, remotam à malorum experimentis doctrinam habet*. Ergo ſeculorum omnium exempla videas, velut in cautelam; & imaginem omnis pruden-

tiæ,

tiæ, velut ſpeculo exceptam. Dicta & facta tua ad hoc examen veniant, ut rectè inſtituas, errorem, periculum, lapſum declines. Quippe *pulchrum*, ut idem ille tradit, *aliorum erratis ad rectã vitæ inſtitutionẽ pro exemplis uti, & ad varios in vitâ eventus, non quid gerendũ ſit quærere, ſed quod rectè factum eſt imitari.* Mens humana tenebris obſita eſt: face igitur indiget: hæc Hiſtoria eſt. Vita caſibus obnoxia: prudentia igitur opus: hanc Hiſtoria ſuppeditat. Senes miramur cautos eſſe, & conſilio providos? ætate facti ſunt, & longo rerum uſu. Iuvenis quicquid agit, ſtultè agit, quia impetu potiùs quàm ratione fertur, nec judicio, nec rerũ obſervatione inſtructus. Sed maius Hiſtoriæ, quàm ætatis beneficium eſt. Vincunt Senes adoleſcentulos, libri & rerum memoriæ ſenes. quicquid ne omnes quidem, quos nôris, ſenes obſervarunt, una Hiſtoria habet; & quoſcumque erudierit, citra annos Neſtores facit; moribus, non canis ſenes. Docet omnes, celebrat verò quorum exemplo docet. Sic multo-

multorum ſæculorum beneficio ætates ſingulæ ſeneſcunt, & maturitatem induunt: atque virtus ipſa, quoties à veteri relucet ævo, Scriptorum ingenio & induſtria vivit. ſed cùm iſto ſubſidio deſtituitur, etiam maximi facinoris memoria evaneſcit, & qui id geſſit, tanquam non fuiſſet, fuit. Omnes ſi non fama capimur, relinquamus ſaltem, quod in exemplum poſteris valeat. Nominari, cùm dignam imitatione vitam inſtituis, pulchrum eſt. Vt iſtuc redeam, una Hiſtoria hominem quemcumque, virum facit: Hiſtoria, cuius ut lectio utilis, ita ſcriptio neceſſaria eſt, & omnis velut eruditionis ſumma. Ego quoties Litteras nomino, Hiſtoriam extollo: quoties Eloquentiam inculco, ad Virtutem & Prudentiam duco. Ita Ariſtoteles in Poëtica & Rhetorica ſua πολιτικὴν καὶ ῥητορικὴν, & Iſocrates in Epiſtolis, πολιτεύεσθαι καὶ ῥητορεύειν copulat, quaſi utraque ad mores civium gubernandos ſpectet, & rationis pars ſit. De me hoc dicam: ex quo amare Eloquentiam cœpi, avelli ab Hiſtoria

ſtoria non potui: & tum maximè colere, imò tradere Eloquentiam viſus ſum, cùm Hiſtoriam. Etenim cùm Cicero tradat, Oratoris eſſe munus, Hiſtoriam ſcribere; eandem explicare ac docere ejus erit, qui Litteras, Oratori neceſſarias, publicè profitetur. Veſtrum nunc quoque ſi officium examino, præſtantiſſimi juvenes, aliquā inire gratiam videar apud eos, qui penitus à Philologiæ cultu alieni non ſunt; magnam apud eos, quorum jam ad elegantiam labor ſurrexit. Etenim artes ac diſciplinæ ferè omnes, velut rivi ſunt, & è rerum veteri ac perenni memoria, tanquam fonte fluunt. Ab amne autem ſiquis ſacrum caput, ſicut antiqui ſcaturigines illas appellabant, ſeparet; hoc agit, ne amnis ſit: ſic majoris pretii ſcientiam ſiquis diſcit, ut Hiſtoriam neſciat, hoc agit ut ignoret omnia. Theologiam quidem (quæ ſumma Academiæ, & ſimul Religionis doctrina eſt) ſine ſacra ſcriptura non ſubſiſtere affirmabunt omnes. Atque hæc Hiſtoria eſt, & deſcriptione Patriarcharum, Propheta-

phetarum, Chriſti, Apoſtolorum, continetur. Hiſtoria eſt, ſed ſacra eſt: quæ tamen lectione & collatione aliorum ſcriptorum mirificè interdum illuſtretur. Bella, victorias, clades Iudæorum examina; dices. Iam Machabæorum libros ſine Antiocho, ſine Spartanis, ſine Romanis non intelligas. Alexander ipſe Ieroſolyma petiit; iraſci Iudæis potuit, & parcere. Iam arma & furorem movebat: placatus ab Iaddo, quia extra injuriam Dei populum habuit, feliciùs cum hoſtibus pugnavit. Præterea, quomodo Eccleſiæ origo & propagatio, quomodo Chriſti genealogia per Reges & Sacerdotes ducta, quomodo Prophetarũ meditatio, ſine accurata temporum & antiquitatum cognitione diſtinguatur, plenámque lucem accipiat? id Theologus judicet. Ad Iuriſprudentiam venio, & vel ipſo nomine vinco. Quia prudentia eſt, ab Hiſtoria pendet; quia Iuris, magis etjam pendet. Totum illud quod diſcitis, Aſtrææ alumni, ſine peritia vetuſtatis percipi non poteſt. Leges ſunt,

Romanæ

Romanæ ſunt, & Edicta Prætorum, Reſponſa Prudentum, Conſtitutiones Principum continent. quæ omnia aut hiſtorica ſunt, aut ab ipſo quoque Iure Iuſtitiam removebo. Tollite notitiam Romanæ urbis, & iam magna pars Digeſtorum non erit: tollite, & omnem Aſtræam error, hallucinatio, inſcitia involvent. Quid iſtud portenti eſt? quia ad lucrum ingenii amœnitas non facit, illam ampliſſimæ ſcientiæ dignitatem barbarie inquinare? Equidem qua induſtria, Ius Civile ſine Hiſtoria calleas, non video, cùm ne ordiri quidem ſine Hiſtoria poſſis. Lex Pomponii de Origine Iuris Hiſtoria eſt. Iam, quas non tenebras Legibus offundunt, qui ab Antiquitate Leges removent, & interpretationem neſcio quibus nugis deliriiſque occupant? Sine Hiſtoria tam ſapiens Accurſius fuit, ut originem XII. tabularum ad Stultum retulerit. O aniles fabulæ! tanti myſterii erat, pugnum claudere, & ſine digitis micare. Periculum mehercle erat, ne ſi loqueretur fatuus, legibus æter-

æternùm Roma careret. Pudet reliqua proferre, ne & à Cane Legem Fuſiam Caniniam dici quis credat, & Iuſtinianum Flavii prænomen à Flaviis populis accepiſſe. Bone Deus! prænomen! ſaltem agnomen dixiſſet. à Flaviis populis? ſcilicet, qui nuſquam gentium, nuſquam locorũ erant. Ergo ad Flavios populos eiusmodi quoque interpretatio relegetur: nuſquam ſit, ut eſſe deſinat.

Quid malum! iſtis gemmis Ius conſpergitur? & parum erat, rudem eſſe Accurſium, niſi & ſectatores haberet. Tolle Solem, & diem ſpera: Hiſtoriam ſperne, & Iuriſconſultum age. Generoſior ſi te ſanguis agit, Budæum, Alciatum, Cuiacium, & cetera illa Iuriſprudentiæ lumina cogita, tenebras declina. Ad decus eundum eſt, & ſumenda vota, quæ forum & lucrum vincant. Saltem vivere ſe fateatur, ſiquis ruditatem amat, & in contemptum bonarum Litterarum etiam Hiſtoriam proculcat: ſi fatetur, vitæ quoque magiſtram æſtimet, quã Cicero Hiſtoriam appellavit. Et quid

eſt vivere? honeſtè ac prudenter vivere; hominem ſe bonum & ſimul civem præſtare. hucjura omnes cogũt, hiſtoriæ inſtruunt: faciunt Hiſtoriæ, ne moleſta jura ſint. Neceſſariam virtutem eſſe, hîc leges, iſtic intelliges; & niſi intelligis virtutem, imperfectè exerceas. Plus eſt, intelligere quàm bonus es, quàm bonũ eſſe, ne intelligas. Itaq; ut vivere te ſcias, rectè vive, & ne juris præceptum violes, ad Honeſtatem mores exige. Solo vitæ uſu nec boni ſumus, nec homines ſumus. nã id quoq; beneficiũ brutis Natura indulſit, & ut ſic appellẽ, innocentiam aſſignavit: carẽt ratione, ſed nec abutuntur: vident, audiunt, ambulant, hominem exprimunt, & malum vincunt. Scelera mortalium ſunt; & bruto vilior eſt, quiſquis accenſam à Deo mentis lucem vitiorum injuria obruit, & præpoſtera vivendi licentia rationem repudiat, virtutem proſternit. Itaque niſi probi, honeſti, prudentes ſimus, totam Naturæ dignitatem in diſcrimen mittimus; hominis uſurpamus nomen, conditionem negligimus.

Nunc

Nunc illud inculco pariter, bonos, honeſtos, prudẽtes, ab Hiſtoria fieri: imò noſtra nos induſtria fieri, ſi Hiſtoriam amamus. Atque hæc licet ad omnes omnino mortales ſpectent, peculiariter tamen Iuriſprudentiæ alumni ſibi uſurpabunt, qui in ipſo ſtudiorum limine quantum exigo, ſolent audire, *Honeſtè vivendum eſſe, neminem lædendum, jus ſuum cuique tribuendum.* Quaſi, ne diſcere quidem jus civile poſſint, niſi jam boni ſint; & ampliùs quàm reliqui præſtare debeant, qui annos & ingenium Iuſtitiæ conſecrarunt. Cum Medicis non arduum mihi negotium reor: patientur ad Hiſtoriæ ſacraria Æſculapium ſuum deduci, cùm artem hanc omnem ex Hiſtoria & memoria experimentorum collectam eſſe, Plinius teſtetur. Sic nec rectè ſcribere Galenus potuit, niſi ad Herodotum confugeret: nec Medicum agere, niſi Hiſtoriam adoraret. Quid verbis opus? pronuntiat ipſe, in lib. III. Hippocratis de morbis vulgaribus, ſine Hiſtoria Hygeiam non eſſe, ſive ut clariùs dicam, Medicum non eſſe, qui

Hiſtoriæ uſu deſtituatur. Item libro De Subfiguratione Empirica cauſſas aſſignat. Ne longior ſim, unam ſeligo, & verba ſcribentis ſequor. *Etenim cùm unius hominis vita ad inventionem omnium non ſufficiat, longi temporis obſervationes Hiſtoria colligit, ut quaſi è multis tot ſeculorum hominibus unus aliquis eruditiſſimus efficiatur.* Deinde in Phyſicis præcipua & pars maximè utilis atque jucunda, quid niſi Hiſtoria eſt? Sic Animalium Stirpiúmque libros præſtantiſſimi Philoſophi reliquerunt. De Natura ipſa quicquid dicere Plinius potuit, Hiſtoriam inſcripſit; & ut omnia pulcherrimo ingenii opere complecteretur, nominare Hiſtoriam debuit. Ethicæ Politicæque ſiquem in hac ratione ſtudiorum locum facimus, tam facile erit perſuadere omnibus, rerum veterum notitiam neceſſariam eſſe, quàm improbam vitam cenſeri, quæ nec pulchritudinem virtutum capit, nec vitiorum turpitudinem deteſtatur. Imperfecta Philoſophia eſt, quæ ſolis præceptis conſumitur: ad exempla veniendum eſt,

quæ

quæ gemina velut urna, & manu nobis Hiſtoria depromit; ut quid fugere, quid ſequi fas ſit, videas; alienis vel ſceleribus timidior, vel virtutibus incitatior, vel periculis cautior. Quicquid Sapientia docet, imago eſt, ſed Hiſtoria animatur: umbra eſt, ſed Hiſtoria illuſtratur: linea eſt, ſed Hiſtoria exſurgit. Ergo cum Lucano dicam:

Diſce quid eſt virtus, & poſce exemplar honeſti.

Diſcenda eſt virtus; ſed exemplar honeſti adjungi debet. Multum diſciplina agit, amplius Hiſtoria: quicquid diſcitur, perficit. Sic exemplo omnis facultas potens eſt, & cùm ad ſalutem dirigitur, utilem publicè privatímque fructum gignit. Si perfectionem hominis atque præſtantiam examinamus, duæ naturæ dotes, præcipuique ſtudiorum fines ſunt, & vitam omnem regunt atque poliunt, σύνεσις, καὶ δύναμις ἑρμηνευτικὴ, *Prudentia*, ſive collineatio judicii, & *Eloquentia*, ſive facultas bene dicendi. Vtramque illam, quam & in ipſo Scriptore

Lucianus requirit, Hiſtoriarum Lectione incrementum ſumere atque perfici, tam certum eſt, quàm fatuum eſſe, qui ſine oculis videre velit; quàm operam perdere, qui ſine prudentiæ atque Eloquentiæ viribus duraturæ gloriæ facinus molitur. Mea quidem ſententia, de rebus rectè judicare & eloqui, omnis doctrinæ ſumma eſt. Sic naturam corrigimus, ſic annos vincimus, ſic inter homines præſtamus. Quæcumque aguntur, conſilium velut clavum habent: conſilium autem ſine recto judicio fluctuat. Deinde, quæcumque dicuntur, ingenio, methodo, arte, conſtant; & hanc Eloquentiam appellamus. Da hominem conſilio judicióque maturum, ſermone promptum; & ſummis aptum rebus pronunciabo. in his enim ſita ſunt omnia: & ſic omnia, Hiſtoriæ beneficio conſequaris. Iudicii quidem regula, & velut lima, Hiſtoria eſt: qua poſtquam uti mortales cœpere, alienum ingenium, ſuum fecerunt, gentiſque non unius prudentiam ſibi quiſque uſurpavit.

vit. Nemo aûtem tam felix, ut à natura hauriret omnia; aut tam ingenioſus, ut nihil exemplo deberet. Alius Hiſtoriæ auxilio ruditatem correxit animi, alius tárditatem ſuperavit. Etenim qui aliena legit vitia, ſua deprehendit; & quod pulchrum videt, in mores conatur transferre. Quemadmodum, qui aromata tractat aut unguenta, odorem trahit: ita qui Hiſtoriam verſat, ingenium colligit: quid proſit, quid obſit ſingulis, notat; & cùm ad cauſſas deſcendit, prudentiæ quadam luce perfunditur. In Suetonio ſeveritas Veſpaſiani, qua diſciplinam correxit, omnibus opinor obſervata eſt. *Adoleſcentem fragrantem unguento, cùm ſibi pro impetratâ præfecturâ gratias ageret, nutu aſpernatur, voce etiam graviſſimè increpuit: Maluiſſem allium oboluiſſes: Litteráſque revocavit.* Factum iſtud & reſponſum an preſſiùs veſtrum aliquis examinavit? amplius ſanè diſcere potuerit, quàm legit. Ecce adoleſcentulum præfectura privat Imperator, quia odoribus delibutum. Quid

hoc ? in oculis Principis mollem & delicatum eſſe, nocet. & cùm in aulam non aulicus admitteris, ſatiùs invenias odorem, quàm inferas. Graviſſimum verò Imperatori unguentum fuit, qui allium prætulit,

--*Cicutis allium nocentius.*

Sed cauſſam videamus. indignum præfectura hominem non durum, imò hominem non virum judicavit. Sic & Philippus Alexandri P. è judicum numero quendam Antipatri amicum ſummovit, quòd is barbam & capillum tingeret. Cenſuit enim Rex prudens, qui in corporis habitu fidus non eſſet, hunc nec in publicis muneribus fore. verbo abſolvam, fucum deteſtatus eſt, & in mollitie capillorum, animi improbitatem notavit. Ergo nec favor Antipatri profuit: judex, quia ſuſpicioni obnoxius, dignitate excidit. & facilius regi fuit, dejicere honoris gradu virum, quàm ſiniſtram opinionem vincere. Vt paradigmata illa ſunt, quid fieri, quid non fieri in Præfectura atque judicio debeat, videmus. & ad iſtum modum

modum omnium virtutum vitiorúmque examen inſtituas, non ſine ingenii judiciique incremento: omnium hominum mores inveſtiges, ut tuos corrigas. Scena hæc quædam eſt, & quicquid oblivioni ſubtractum Litteris perennat, velut in ſpectaculum venit. Quiſquis ſapit, aut hoc agit ut ſapiat, libens accommodat oculos, animúmque acriori cogitatione intendit. quippe dum alienæ fortunæ arbiter & judex eſt, ſuæ corrector & faber fit. Videt auditque, quotquot fuerunt unquam homines, & adhuc tamen ſuperſunt. undequaque prudentiæ auxilia colligit, & ne ſibi tantùm utilis ſit, uſurpat. Hoc enim Hiſtoria quoque docet; conferre in commune, quicquid prodeſt pluribus; & nihilominus ſuum facere, quicquid omnibus ſcriptum eſt. Peregrinatio laudari ſolet, tanquam rudes annos, & ſimplicioris naturæ vitium corrigat. Sed proficiſci ſatis non eſt; videndæ urbes, viri, mores; & quid urbes, viros, mores ubique aut ſervet aut corrum-

pat. Tanti fructus ut compendium habeas, ad Hiſtoriam te confer. Quàm illa prompta eſt, tam facilè iter omne invenias; plus ſpatii, minus laboris. Quicquid orbis habet, hic eſt; &, ut amplius promittam, quicquid habuit. Sine ſumptu, ſine periculo adis omnia, & iſtuc ſcandis, quò ſola mente pervenitur. Aliena non loca tantùm, ſed tempora luſtras. Quicquid ubique terrarum extenſum eſt peretras; quicquid aquarum ſparſum, navigas; mundi terminos tuos facis; & cùm ubique vagaris, Larem tamen non mutas. In cubiculi, aut muſæi anguſtiis orbem univerſum, imò & ſecula omnia habes, quia Hiſtoriam: qua ſi careas, ne te ipſe quidem in te inveneris, novus ad omnia & incautus. Quicquid mortales vivimus, exiguum eſt, Fortunæ obnoxium, & caſu pendulum, niſi ad exempla ævi jam exacti conſilia actionéſque componantur. Prudentia Fortunam corrigit, caſum tollit, peragit omnia: qui hanc nactus eſt, in feli-

citatis

citatis tranquillo ſinu quieſcet. De Eloquentia fruſtra hic verba facio: & tamen non poſſum non obiter affe-ctum meum promere. Etenim ſi judicium Hiſtoria formar, format & linguam: ſic prudentiſſimus quiſ-que Scriptor etiam facundiſſimus fuit.

Iactent ſe roſtra, glorientur pul-pita, in Hiſtoria, ut mea fert opinio, perfecta eloquentia eſt: nec quiſ-quam feliciori ſermone rem comple-xus eſt, quàm qui æternitati com-mendavit. Narrat Hiſtoricus, & cùm parem rebus ſtilum habet, gere-re ipſe videtur quæ exprimit. Ad bellum milites ducit, & ipſe miles eſt; loquitur, & pugnat; urbes obſidet, & capit; hoſtes invadit, & ſuperat; denique pacem deſcribit, & admi-niſtrat; narrat leges, & condit; for-mat Principem, & exprimit: depin-git populum, & regit; Breviter, ſcri-bit omnia, & agit. Iam verò, ubi lo-quendum, orator eſt. In Senatu, in judicio, apud hoſtes, apud ſuos; in foro, in convivio differit; alieno in-

terdum

terdum, ingenio ſuo ſemper facundus eſt. Tantas igitur Hiſtoriæ laudes, ſcriptoris virtutes, niſi in uno præcipuè Q. Curtio Rufo inveniam, parum adhuc dixiſſe videor. Ille verò mihi Hiſtoricus eſt; ille docendo prudens, narrando elegans, &, ut omnia dicam, Alexandro dignus. Auctorem, ſcriptor æquat: alius vincere orbem terrarum non potuit: nec alius ingenii præſtantia tantæ gloriæ ſuffecit. Omnia in Alexandro, magna ſunt, & nomen ſequuntur: omnia in Curtio mira ſunt, & placent omnia. ille Virtute & Fortuna cinctus gloriam ſequitur: hic Suada & Prudentia ſtipatus, eandem ducit. Iterum vincit orbem Alexander; ſcribitur. Sed à Curtio ſcribitur, qui ut optimo atque eruditiſſimo ævo vixit, aut certè illi proximo; ſic præſtare potuit, quod poſtea nemo aſſecutus eſt. Volunt enim nonnulli Auguſti temporibus eum floruiſſe, alii Claudii, quod veriſimile, imò verum puto. Præturam quoq;, ſcribente Taci-

Tacito lib. XI. Annalium, Principis ſuffragio aſſecutus eſt, cùm hiſce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velaviſſet, *Curtius videtur ex ſe natus*. Et quod dedecus? Tacitus objicit: *Gladiatore genitum quidam prodidere*. Quid igitur? genitum ad magna. Nã poſtquam adolevit, ſectator Quæſtoris, cui Africa obtigerat, dum in oppido Abrumeto vacuis per medium diei porticibus ſecretus agitat, oblata ei ſpecies muliebris, ultra modum humanum, & audita vox eſt: *Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro Conſule venies*. Omnino venit: & ſenex tandem *conſulare imperium, triumphi inſignia, ac poſtremò Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præſagium implevit*. Ergo pro dignitate, non origine Prudentiam habuit; *acre* enim *ingenium* Tacitus agnoſcit: Eloquentiâ autem cõſecutus eſt, ut mori jam nõ poſſit. Omnem poſteritatem docebit Gladiatoris filius; & hoc in laudem ejus pono: & placebit omnibus, qui tam feliciter ſcripſit. cùm ingenioſus & facundus eſt, & admirabili Stili vigore res maximas

ximas attollit, amplius facit: facilis eſt. Atque dotes illas ſive ingenii, ſive ſtili, doctorum omnium applauſu poſſidet: omnium ſuffragio magnus eſt. Ne longior ſim, unius nunc LIPSI è Notis ad Politica citabo verba, ut examinem: *Q. Curtius probus eſt legitimusq; Hiſtoricus, ſi quiſquam fuit. Mira in ſermone ejus facilitas, in narrationibus lepos: adſtrictus idem, & profluens; ſubtilis, & clarus; ſine curâ ullâ accuratus. Verus in judiciis, argutus in ſententiis, in orationibus ſuprà quàm dixerim facundus.* quod examinem, nunc additur: *quòd ſi varium argumentum magis habuiſſet; fallor, aut variæ prudentiæ eximium magis ſpecimen præbuiſſet. Sed Alexander quid niſi bella?* Plenam cenſuram dicas, niſi amplius ille exigat; qui laudat. Sic verò condit elogium, propemodum ut deſtruat: quaſi ingenioſum judiciũ ſit, ſi quid poſt virtutes reprehendas. Tuis te verbis LIPSI, in ſententiam meliorem traham, ut nihil deeſſe Regio Scriptori fatearis. *Probus eſt*, ais, *legitimusq; Hiſtoricus, ſi quiſquam, fuit*: quaſi
huic

huic tribuas quantum ulli datur. Omnino. nam aut Curtius Hiſtoriæ leges implevit, aut nemo. Si implevit, quid prudentiæ eximium magis ſpecimen deſideras? Pro argumento, perfectus eſt, & illud varium eſſe quid ni dicam? Alexander fecit. imò eſſe, narratio oſtendet. Bella geruntur fateor, ſed in quibus amplius quàm bella. Cum univerſo pænè terrarum orbe negotium eſt. Ducem, ſive milites reſpicias, rerum varietas eſt. Ille quantum devicit, rexit quoque; nec minùs jure, quàm armis uſus eſt. Viribus parari provincias, jure retineri egregiè oſtendit. Quicquid reſpublica habet, in exercitu hoc invenies, militem, velut civem, nunc promptum, nunc querulum, aut ſeditioſum, ſemper fortem. Sic ut alios ſubjugaret, ſuos interdum vincere Rex debuit. Suos prudentia, conſilio, aſtu, ac magnitudine animi in ordinem redegit atque compeſcuit; hoſtes, robore, induſtria, celeritate, audacia, & vincendi quodam fato ſuperavit. Quicquid cohortes & phalanges

langes in barbaros potuerunt, ſolus in ſuos interdum Alexander exſecutus eſt, & quos duceret, ſibi vindicavit. Quid dicam? pugnavit, & jus dixit, Ducem & Regem egit, nunc telo & enſe, nunc ſceptro paciſq; habitu inſignis. Mitto fraudes, delationes, conſpirationes, quas ut detegeret, eluderet, puniret, prudentiſſimus eſſe debuit. Nam circa principem unum tot belli duces & præfecti, occultis odiis diſſidentes, & invicem ſuſpecti, quam non invidiæ, ſimulationum, inſidiarum ſcenam inſtruunt? ut in ipſo honore & munere infelices ſint, oderunt quem benignior fortuna evexit altiùs, & propiorem Regi fecit. metuunt alii, quem ne parem habeant, malis artibus coguntur reprimere. Hæc Aulæ prœlia ſunt, & quia in conſpectu Regis, ſilentio vigent, & ingenioſa improbitate teguntur. Interim malitiæ ſcintillæ interdum proſiliunt, quæ ut noceāt nec imputētur, falli Rex ipſe debet, & nova calliditate adverſarii deludi. Illud obtinet: *Doli non doli ſunt, niſi aſtu colas.*

Texun-

Texuntur fraudes fraudibus, & impoſtura ſimulatione tecta, honeſtum ſcelus facit, cùm abſcondi poteſt. Qui vultu blandi, animo hoſtes ſunt, ad injuriam inferendam ſolertes & ingenioſi, ad depellendam cauti callidiq;. Sic privata odia cùm nimis proſperè ſuccedunt, in ipſum ſæpe Principem prorumpunt. Et ille inſidiis circumſeptus, ubi tutum ſe exiſtimat, perit faciliùs, & fortuna trahente, præcipitatur. Sanè qui in multos iniquus fuit, audebit & Regem petere, cùm audaciam familiaritas fecit: & ſæpe, ut timori conſcientiam, pœnæ ſcelera ſubducat, imperium affectabit. Exemplum in Dario habemus, quem ut Alexander debellaret, Beſſus & Nabarzanes peſſima mancipia aureis compedibus vinciunt, ac tandem, ut parricidio Reges eſſent, multis vulneribus confodiunt. Quid Alexander? potuit in tanto hoſte Fortunæ inconſtantiam, inſidiáſque amicorum diſcere. Sed quia Iovis haberi filius voluit, homines contempſit, & cum victo orbi fata ordinaret, veneno

extinctus eſt. Nam in convivio apud Theſſalum Medicum, *Herculis Scypho epoto, repente velut telo confixus, ingemuit. Amici, cauſſam morbi intemperiem ebrietatis divulgarunt; revera autem inſidiæ fuerunt, quorum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit,* Antipater fuit, qui venenum præparavit, & ut tota progenie nefarius eſſet, ad tantum ſcelus filiorum opera uſus eſt. Hæc cùm ita ſint, quis varium adhuc argumentum requirat? varium, quia Alexandrum deſcripſit Curtius, habuit; & ſic variæ prudentiæ ſpecimen quoque prębuit, atque elegantiſſimè veſtivit. Etenim, ut alia deſint, ſola elocutio lectorem non omninò rudem trahat, eruditum magis etiam inflammet. Quemadmodum cibi aliqui ſunt, omnibus omnino mortalibus, illice ſapore grati: aliqui his nauſeam, illis ſuavitatem adferunt: ita in ſcriptoribus ratio ſtili diſtinguitur. quæ omnibus placeret, Latina quidem, in uno potiſſimùm Curtio inventa eſt. Livii olim laudem Patavinitas quædam imminuit. Alius velut *ſupinum alibi aut frigidum*, imò

&

& ταυ7ολόγον accuſat. In Salluſtio Julios Scaliger reperit, quod & reprehenderet & damnaret: *prolixum fuiſſe, vel etiam nimium ſupervacuúmque.* Cæſar ipſe, cui ſatis non fuit, res fortiter gerere, niſi narraret, tam ſtilo promptus, quàm telo, auctor & ſimul ſcriptor, reprehenſionem tamen non effugit. Ajunt in dictione eſſe quæ culpari poſſint; *prudentiam è verbis non hauriri. Commentarios tantùm eſſe, & nihil polliceri præter nudam ſimplicémque narrationem.* Tacitum Tullianæ aures nequaquam ferunt, Scriptorem ſcilicet durum, aſperum, conciſum: in Latinitate maculas eſſe nævóſque: alibi ſenſum brevitate impediri & frangi: plura involvi, quàm exprimi; & quod in emaciato corpore videmus, oſſa tantum eminere, venuſtatem nullam eſſe. Iuſtinus, Florus, Nepos, aliique fruſtra nominantur; in omnibus curioſa jam cenſura reperit quod carperet. Vnus Curtius, noſter ille Curtius, tam feliciter, prudenter, venuſtè Hiſtoriæ veſtem contexuit, ſtilum ubique rebus aptans, ut notam omnem

evitarit. Elegans eſt, gravis eſt, virilis eſt, & natura ſua nunc exſurgens & docens, nunc ſubmittens dictionem & oblectans. Vt in ſumma gravitate veneres non exuit: ita in remiſſione ad vilitatem non deſcendit: quandoque objurganti ſimilis, cùm vitia perſequitur; quandoque mulcenti, cùm virtutibus applaudit. Verba nitorem habent, compoſitio ſuavitatem, res pretium. tanquam nihil ſuperſit, brevitatem laudes; tanquam nihil deſideres, copiam: ipſa brevitate plenus eſt, copia non moleſtus. Varium dixeris, nec tamen diverſum. Vultum eundem, non colorem ſervat, & tamen formoſus. pari ingenio nunc vela ſermonis pandit, nunc contrahit; ſed eadem felicitate invehitur & incedit, alibi celerior, alibi accuratior, ubique placens. Cùm nihil coactum ſit, vibrari tamen ſententias dixeris, non educi. Acumina velut tela ſunt, lectoremque ſuavi vulnere feriunt; flammulæ ſunt, & accendunt. Nemo ſine voluptate legat Curtium, majorem etiam fructum capiat ſic perfuſus.
Quan-

Quantum oblectaris, proficis; & cùm omnia laudes, mireris tam ingeniosè exprimi; cùm omnia ſtupeas, tam facilè intelligi. Nam ceteros Hiſtoriæ ſcriptores ut puritate & lepôre provocat: ita acumine & perſpicuitate vincit. Nemo ſubtilior fuit, & tamen gratior: nemo æquè Lectorem inſtruit, & minùs laſſat. Putes hunc unum ad Hiſtoriam à natura factum, & velut fato deſtinatum, qui Latinè nobis Alexandrum exhiberet. Ergo & vitia ejus & virtutes aperit. Vitia, ut lectorem abſterreat; virtutes, ut inflammet. Aperit vitia, & nihil odio aut calumniæ tribuit: virtutes, & ab adulatione alienus eſt. Hoc toto volumine agit, &, ut tandem in compendium diffuſam vitæ ſeriem colligeret, velut in tabella geminum Alexandrum proponit, qua laudari & ſimul reprehendi poteſt. Ipſum igitur Curtium audite, id eſt videte: & ſic quem deſcripſit, an depinxit? lib. x. *Juſtè æſtimantibus Regem, liquet, bona naturæ ejus fuiſſe; vitia vel Fortunæ vel ætatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia prope-*

modum nimia, Fortitudo non inter Reges modò excellens, ſed inter illos quoque, quorúm hæc ſola virtus fuit. Liberalitas ſæpe majora tribuentis, quàm à Diis petuntur. Clementia in devictos: tot regna aut reddita, quibus ea dempſerat bello, aut dono data. Mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemptio. Gloriæ laudisq́; ut juſto major cupido, ita ut juveni, & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes; quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreverat, Philippum ultus erat. Iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites benevolentia. Conſilium par magnitudini animi, & quantum vix ætas ejus poterat capere, ſolertia. Modus immodicarum voluptatum. Veneris intra naturale deſiderium uſus: nec ulla niſi ex permiſſo voluptas. Ingentes profectò dotes erant. Illa Fortunæ: Diis æquare ſe, & cæleſtes honores accerſere, & talia ſuadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipſum, vehementiùs quàm par eſſet, iraſci. In externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam ſpreverat. Nam iracundiam & cupidinem vini, ſicuti

juventa

juventa irritaverat, ita ſenectus mitigare potuiſſet. Fatendum eſt tamen, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe Fortunæ, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Hæc ita breviter: ſed in hiſtoria univerſa diſquirit ſingula: cauſſas rerum, conſilia, eventus, expendit, judex omnium. Quod fieri poſſe neges facit, & ipſam quoque Fortunam ad examen deducit. Ergo quæcumque legis, digna ſtilo ſunt, & variæ prudentiæ ſpecimen referunt: digna lectione, & ad formandum judicium cujuſque valent. Tota narratio exacta eſt, lenitate quadam profluens, non exundans; tanquam ripis clauſa, garrulitatis autem imbre non corrupta, trahit oculos, & gemmeo eloquii latice recreat. Locorum etiam urbiúmque tam accurata ubique deſcriptio, ut picturam cenſeas. Nulli colores ſermonem æquent: nec legere, ſed intueri coram videaris, quicquid hîc expreſſum eſt. Sed quid ego? totum laudare Curtium non poſſum, niſi totum explicem. Vbique ſummus eſt, & quem in partibus ad-

miramur, toto Hiſtoriæ corpore divinum pronuncies. Legere nunquam non volet, quiſquis libaverit, & doctrinæ, facũdiæ, prudẽtiæ ſuaviſſimos carpet flores, quoties in manus admittet. Continua fertilitas eſt, quantum demis, naſcitur; & cùm omnia collegiſſe te putes, plura relinquis. Sed ut concedam tamen, eſſe in Curtio quod reprehendi poſſit, minorem faciam, ut magis etiam laudem. Mutilus & ἀκέφαλος eſt, ac fruſtra infeliciterque conatus Alexandrum nobis æternum facere, qui ipſe parte ſui defecit. Trũcum corporis nemo aut perfectum aut formoſum dixerit: hac autem infelicitate laborat Curtius; ingenioſus, ne placeret tamen; elegans, ut vulnera præferret. Etenim quantum ſcripſit, diurnare ad nos uſque non potuit: & tanquam majus viribus opus aggreſſus, tempori ſuccubuit. Quid dicam? Commune hoc ſcriptorum pænè omnium fatum eſt, & fruſtra in uno aliquo, iniquè etiam in Curtio accuſamus. Quot Hiſtorici (ac de Latinis jam loquor) quorum
ſolum

ſolum nomen, aut, ut felices adhuc ſint, fragmenta aliquot ſuperſunt. ipſe Criſpus,

Primus Romana Criſpus in Hiſtoria.

periit, ubi primus fuit; in Catilina, & Iugurtha magnitudinis ſuæ umbram duntaxat oſtentans. Livius, cùm C. XL. ſcripſiſſet libros, vix trientem ſibi operis vindicat. Et Tacitus, tanta olim cura ac gloria bibliothecis omnibus inſertus, integer tamen ſervari non potuit. Fruſtra ceteros recenſeo. Curtius, ut omnes vinceret, perfectiſſimus perennavit; & ut antiquitatis fide commendaretur, omnem evitare injuriam temporis non debuit. In octo adhuc libris ſuperſtes eſt, qui decem confecerat: cùm totum deſtruere ætas non poſſet, parte, & exigua imminuit. impetum in primos duos fecit libros, ut ſervaret reliquos, amplius deſtruere verita eſt, & quia ulterius nocere non potuit præſtantiſſimo operi, pepercit. Ipſe Curtius etſi imminutus, perfectus eſt. & jam non puerum nobis Alexandrum, ſed adultum; non privatum, ſed Regem nar-

rat:ut Regius omnino ſcriptor eſſet ac duraret: de quo quid ſentire debeamus, Rex quoq; pronũciet, nõ ille quidẽ qui deſcriptus eſt; ſed qui ſic deſcribi quoque potuit, ille animo & ingenio magnus, qui & Alexãdri famam & Curtii eloquentiam meruit, Alfonſus Aragonius. Hic Capuæ adverſa valetudine correptus, ne otioſum haberet morbum, tunc quoque Regem ſe oſtendit, & ſerio nunc ſermone, nunc exemplo mitigare dolorem ſtuduit. Cùm ægritudo creſceret, & medicorum induſtria ſine fructu ſudaret, novum ipſe remedium & invenit & adhibuit. Neglecto corpore, ad ingenii curam venit, & è ſcrinio non pharmacum, non unguentum, ſed libellum petiit. & quem putatis? Auditores. Hunc à Curtio, hunc de Alexandro ſcriptum, dignum prorſus tali cuſtodia, & vel cum Homeri operibus habendum. Hunc igitur legere cœpit, & experiri, an Hiſtoria in morbum valeret. Nec fruſtra: delectatus elegantia, prudentia, facilitate amœniſſimi ingenioſiſſimique Scriptoris, negli-

negligere primùm cruciatum potuit: mox vigore quodam imbuere corpus, &, ut breviter dicam, pro animo habere. Sic omnem morbi improbitatem corrigens, & recuperatę jam ſalutis auctorem laudans, Faceſſant, inquit, Avicenna, Galenus, Hippocrates, & tota illa Æſculapii Schola, Curtium ego feliciori pharmaco & ſucco Medicum ſenſi, illius ope, illius Suada reſtitutus ſum. Res mira! ſed fide Scriptorum fulta. Ægritudine oppreſſus, & Regni tamen cogitationibus onuſtus vacare lectioni magnus Princeps voluit; & quod dare Medici non poterant, ab Hiſtorico accepit. Fatetur ipſe: & quid niſi Regibus omnibus, quid niſi magnis omnibus, aut qui ad magna adſpirant, tam inſigne exemplum commendat? Sed ego nunc juventutem alloquor, quæ niſi regium hunc aſſumat animum, & Hiſtoriam æſtimet, ad nullam unquã præclaræ vitæ maturitatem excreſcet: niſi peculiari ſtudio Curtium evolvat, fruſtra in reliquis curioſum diſcendi deſiderium conabitur explere. Cibus alibi,

alibi, hîc verò deliciæ ſunt: doctrina alibi, hîc voluptas jungitur. ut diſcere & audire unuſquiſque velit, amœnitate provocatur. Non adhuc omnium animos ſtupor, aut, quod pulchrum videri cœpit, odium Litterarum invaſit; nec profundo verba, quæ in commendationem eloquentiæ atque Hiſtoriæ depromuntur. Scimus ſine radice arborem areſcere, ſine fundamento domum corruere: unumquodque principiis ſuis innititur, & magnum eſt. Vt ſcientiæ doctrinæq; capax ſis, Litteris paras ingenium & velut polis: ſed has ſi deſeris, ſcientiam ſine radice alis, doctrinam ſine fundamento fulcis: imò ſi deſeris, non jam didiciſti. hoc agis, ut cùm omnia didiceris, ignores quod primum eſt; ut, cùm ad ſenectutem labores produxeris, infantiæ adhuc vitia invenias. Iam enim nonnulli ſtatuunt, nihil præter Litteras Hiſtoriam eſſe, ſcilicet quam & pueri diſcunt; ideoq; alienũ ab Academiæ dignitate, quicquid rudi adhuc ætati proponitur. Ita eſt, Litterarum pars Hiſtoria eſt,

& à Litteris incipimus eruditionem, ut omnem ætatem Hiſtoria ſequatur. Quod nulla ætate perficitur, à prima auſpicium habet: & cùm omnia ſcire te ſine litteris exiſtimas, hoc tandem conſequeris, ut magna doctrina vix ultra plebem ſapias. Ad Hiſtoriam igitur te duco, Litteratum & prudentem volo, qui doctrinam quæris; facundum & elegantem volo, qui Rempublicam cogitas, & tollere vota ſupra vulgum audes.

Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecū Romana vetuſtas.

Nunc igitur ut agam quod cœpi, à Scriptore meo non recedo. Meo exemplo cohortari unumquemq;, meo affectu animare audeo, ut in eaſdem mecum delicias conſpiret. Quem amo Curtium & admiror, meum unius eſſe non ſino: in Scholam duco, omnibus exhibeo, & explicare publicè aggredior. Hîc jam Curtius loquetur, adeſte Auditores; hîc Alexander pugnabit, adeſte ſpectatores. Vt omnia dici ſciatis & agi, vincetur orbis.

omnia habeatis. Hic ille, Auditores; ingenium cujuſque acuet; ſubtiliſſimus ſcriptor eſt: judicium roborabit; prudentiſſimus eſt: linguam expoliet; facundiſſimus eſt. Etenim qua verborum ſententiarúmque ſolertia inventioni ſuffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat, & eloquentia proponit. Quia igitur argutum eſſe, prudentem eſſe, diſertum eſſe, omnis doctrinæ ſumma eſt, quid adjicere ingenio, judicio, linguæ oporteat, Curtius inprimis docet. Sine his dotibus nemo unquam magnus fuit: has dotes ſine Hiſtoriæ ſubſidio nemo cum laude poſſedit. Non eſt quòd naturæ beneficio contenti ſimus: multa enim illa ſtudio induſtriæque humanæ reliquit. Vt ſibi quiſque ſe deberet, accepit naſcendi ſorte quod excoleret. Cultus naturam perficit: & quia non omnia à materno trahis utero, aut ætate conſequeris; naſci iterum in Schola debes, & præceptoris manu formari: hæc animi quædam educatio eſt: cibi, litteræ, quibus niſi tantum tribuimus, quantum prodeſſe quan-

doque

doque Reipublicæ cupimus, inglorii plerumque & inutiles reddimur, & fruſtra Naturæ dona ſeverioris ſcientiæ titulo oneramus. Optimæ verò Litteræ Hiſtoriæ ſunt, & in hunc propemodum finem inventæ. Deinde, quia optimè Hiſtoriam Curtius conſcripſit, hunc omnibus magiſtrum & doctorem ſtatuo. Agite, ô Iuvenes, ſi bene honeſtéque nati eſtis, ſi ad magna ſurgitis, ingenium colite, judicium formate, linguam imbuite: alia ad Rempublicam, ad Honores, ad Gloriam via non eſt. Etenim ut quis loquitur; ita negotium quodcumque aget: ſed feliciter loquetur, qui & ingenium excultum, & judicium formatum adferet. Iterum; agite, ô Iuvenes, & iam ſeriò, quid de vobis parentes, quid Patria, quid Princeps ipſe ſperare poſſit, oſtendite. Quæcumque diſcitis, ſine prudentia honeſtè quoque ignorari poſſunt. Nihil turpius, quàm hauſiſſe magnarum artium latices, & nihil ultra ſcholam ſapere: ire ad Reipublicæ atque Eccleſiæ munera, & ætatem non mutaſſe.

Semper enim puerum eſſe, qui Hiſtoriam non luſtravit, Græcis olim, ut Plato in Timæo refert, Ægyptius Sacerdos obiecit. Mundi annos niſi tuos facis, natus tantùm videaris: niſi reſpicias, quicquid retrò eſt, viam velut noctem agis, & in rebus agendis cæcus es. Ipſæ, quas didiciſtis, artes, ô Iuvenes, ad Hiſtoriam ducunt. Gẽmæ ſunt; ſed auro opus, ut dignitatem ſplendor inveniat. Hiſtoria opus, ut quam titulus doctrinam indicat, uſus & prudentia confirment.

Plura ſi dicam, aut colligere videar, quæ docti omnes ſolent inculcare; aut accuſare quorumdam ſive inertiam, ſive ſiniſtrum affectum, qui nihil ad ſe aut ſtudia ſua Hiſtoriam putant pertinere. Ego, tanquam omnibus utilem, ſeriò & copioſè laudavi; tanquam neceſſariam, deinceps explicaturus ſum. Sed quantum quiſque ſapiat, hinc intelligam, ſi Curtium æſtimabit. DIXI.

ORA-

ORATIO XX.

OVI ENCOMIVM.

OMni ævo obſervatum eſt, AVDITORES, ſummis viris amœnitatem placuiſſe. Nunc ingenio Philoſophus ludit, nunc lingua Orator; ac ſi reliquos inſpiciam homines, eadem manu & nummos aliqui, mox flores tractant, merces & aleas, libros & cyathos. Ne ſolus ſapiam, mihi nunc quoque remiſſio placet, ſed erudita; amœnitas, ſed ſeria. Non de Deo, aut Religione, de Principe aut Republica, de pace aut bello dicturus ſum; & dignum tamen Philoſopho atque Oratore argumẽtum inveniam; quia Viro Nobili & Incomparabili, DAVIDI FLORITIO RIQVEBOVRG-TRIGAVLTO, tale viſum eſt. Sunt qui aurum & gem-

mas, qui vinum aut dapes publicè laudant, & vilitatem tamen effugiunt. Divitias laudari pulchrum putabit, quisquis dives eſt; fercula & cibos, quisquis lautus. Et ſic tamen plerique mortalium vivunt: aliis cum arca, aliis cum ventre negotium eſt: nemo non ſerius ſibi videtur, cùm maximè nugas agit. Sed ego nunc cùm nugas videbor agere, ſerius ero. Aurum negligam, & laudabo quod omni metallo pretioſius eſt: ſpernam dapes, & condiam verbis, quod omni cibo potúque melius eſt. Exſpectatis fortaſſis, ut rem magnam atque admirabilem dicam: dicam verò, OVUM eſt, & in eo quicquid avaritia quærit, quicquid luxuria neſcit, quicquid Natura habet, contemplabor. Mirari homines ſolent, lapidem è nubibus excuſſum, aut ſtellam in aëre accenſam; hoc etiam, terram concuti, Hermaphroditum naſci, mulierem in marem tranſmutari. Scilicet hæc, quia rara, prodigia ſunt, & vaniſſima plerumque interpretatione in terrorem valent. Quid dicam? Lucere

Lucere Solem, volvi cælum, æſtatis & hiemis vices eſſe, dierum & noctium, inter miracula numero: item, creari hominem, mente & ratione præditum eſſe, animal ab humanitate dictum ſævitia & violentia oblectari, nullis armis inſtructum, omnibus uti; non nutriri, ſed ſaginari; miſerrimum idem & ſuperbiſſimũ eſſe prodigium puto. Si rectè calculum ponimus, Natura, ubi maximè familiaris, maximè quoque admiranda eſt. Hac indole retia aranei texunt, favos apiculæ ſtipant, annonam formicæ congerunt; & quid niſi hominis induſtriam eludunt? Iam verò, OVI naturam, & Gallinæ puerperium ſi inſpiciam, cedent & araneorum doli, & apum ſolertia, & formicarum labor. Ampliùs hîc Natura egit, & benignior fuit: condidit miraculum, ſed quod utiliſſimum eſſet. De OVO igitur verba faciam, & promptiſſimũ Rutis donum, Vrbis patrimonium, omniúmque menſarum delicium curioſiùs inſpecturus, dignum & hoc loco, & hoc conſeſſu reddam. Tracta-

bo gemmam, quam omnes æſtimẽt; liquorem, quo & ſcire Clodius, Æſopi Tragœdi filius potuiſſet, quid margaritæ ſaperent; & Antonium ſuum Cleopatra in ſponſione luxuriæ ſine damno viciſſet. Hoc illud erit *cùm maximè ſingulare, & verè unicum*, ut cum Plinio dicam, *naturæ opus*. Imò hoc illud erit maximè familiare, vernaculum, & omnibus omnino hominibus ab eâdem naturâ conceſſum munus. Quid ſit Ovvm, nemo tam rudis, ut neſciat: & tamẽ nemo tam perfectus, ut ſciat, quid ſit Ovvm. Ego, qui laudes paro, præcipuas ejus virtutes me ignorare fateor. De origine quidem nobiliſſimi olim Scriptores diſceptarunt, Ovvmne Privs Exstiterit, An Gallina? Sanè ex ovo gallina eſt, & ex gallina ovum: differt à matre quod naſcitur, & producit matrem quod natum eſt. Non poſſum hæc cunabula ſine miraculo expedire. Si ovum ante avem, unde ovum? Si avis ante ovum, unde avis? Vtrumque utriuſque principium eſt

um eſt, aut ſine principio utrumque dixeris procreatum. Sed nolo jam numen ovum facere, & ab æterno derivare. Originem habuit, ſed ut ſine matre naſceretur; cœpit, ut matrem tamen gigneret. Sic aliquando ante gallinam ovum fuit, & rurſus ãte ovum gallinam eſſe, fatearis neceſſum eſt: quaſi fœtum dicas, quod elementum fuit: rivum, qui fons exſtitit. Nihil in gallina novi eſt; animãtia propemodum omnia eodem miraculo cenſentur. Hæc enim, ut ex Plutarcho Macrobius expreſſit, *aut gradiuntur aut ſerpunt, aut nando volandóve vivunt: in gradientibus lacertæ & ſimilia ex ovis creantur: quæ ſerpũt, ovi naſcuntur exordio: volãtia omnia de ovis prodeunt, excepto uno, quod incertæ naturæ eſt, nam veſpertilio volat quidẽ pellitis alis, ſed inter volantia habendus non eſt, quia quattuor pedibus graditur, formatósque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat. Nantia ferè omnia de ovis nutriuntur generis ſui. crocodilus verò etiam de teſteis, qualia ſunt volantium.* Ovum igitur ubique eſt; & ſic nihil ferè niſi ex Ovo

alibi, hîc verò deliciæ ſunt : doctrina alibi, hîc voluptas jungitur. ut diſcere & audire unuſquiſque velit, amœnitate provocatur. Non adhuc omnium animos ſtupor, aut, quod pulchrum videri cœpit, odium Litterarum invaſit; nec profundo verba, quæ in commendationem eloquentiæ atque Hiſtoriæ depromuntur. Scimus ſine radice arborem areſcere, ſine fundamento domum corruere : unumquodque principiis ſuis innititur, & magnum eſt. Vt ſcientiæ doctrinæq; capax ſis, Litteris paras ingenium & velut polis : ſed has ſi deſeris, ſcientiam ſine radice alis, doctrinam ſine fundamento fulcis : imò ſi deſeris, non jam didiciſti. hoc agis, ut cùm omnia didiceris, ignores quod primum eſt; ut, cùm ad ſenectutem labores produxeris, infantiæ adhuc vitia invenias. Iam enim nonnulli ſtatuunt, nihil præter Litteras Hiſtoriam eſſe, ſcilicet quam & pueri diſcunt; ideoq; alienũ ab Academiæ dignitate, quicquid rudi adhuc ætati proponitur. Ita eſt, Litterarum pars Hiſtoria eſt,

&à

& à Litteris incipimus eruditionem, ut omnem ætatem Hiſtoria ſequatur. Quod nulla ætate perficitur, à prima auſpicium habet: & cùm omnia ſcire te ſine litteris exiſtimas, hoc tandem conſequeris, ut magna doctrina vix ultra plebem ſapias. Ad Hiſtoriam igitur te duco, Litteratum & prudentem volo, qui doctrinam quæris; facundum & elegantem volo, qui Rempublicam cogitas, & tollere vota ſupra vulgum audes.

Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecũ Romana vetuſtas.

Nunc igitur ut agam quod cœpi, à Scriptore meo non recedo. Meo exemplo cohortari unumquemq;, meo affectu animare audeo, ut in eaſdem mecum delicias conſpiret. Quem amo Curtium & admiror, meum unius eſſe non ſino: in Scholam duco, omnibus exhibeo, & explicare publicè aggredior. Hîc jam Curtius loquetur, adeſte Auditores; hîc Alexander pugnabit, adeſte ſpectatores. Vt omnia dici ſciatis & agi, vincetur

orbis.

orbis. Si fabulam promitterem, aut facetias adornarem, illecebras auriū, facto agmine confluerent omnes. natura enim ad nugas curioſi ſumus; & Athenienſes olim, cùm de Republica grave eſſet, de Vmbra Aſini diſſerentem Demoſthenem audiverunt. Nūc quid? utilis eſſe cupio, & ſimul voluptatem adferre; quod ſine damno ſuo negligere nemo poterit, docere inſtitui; & difficilem tamen huç greſſum plerique inferent, tametſi otioſi: nonnulli quoque, ut toto ſcilicet die jus audiant & dictata excipiant, publicam & amœnioribus his ſtudiis deſtinatam horam privatim conſument. Ergo ſi Aſtrææ placet, boni abſolutique Iuriſconſulti evadent aliqui, ſi Puteanum non audierint, ſi Litteras contempſerint, ſi rudes ſint. Mehercle quod hactenus obſervatum eſt, deinceps verum eſſe neceſſitas oſtendet: in juventute noſtra excellere, qui partem ſtudiorum litteras habent: de jure publicè accuratiùs, doctiùs, elegantiùs reſpondere, qui mei eſſe amant, & aliquid his artibus impendunt

dunt temporis, quod juri non pereat. Atqui ego non jam voco otioſos: impediri omnes Lovanii ſcio, & huc mitti ut labori vacent: occupatos voco, ut ſeveriora ſtudia, publicas privatáſque ſcriptiones, amœna & eleganti meditatione diſtinguant. Ad animos oculóſque omnium Regem Alfonſum reduco. Regere ille populos potuit, ac interim meliorum librorum lectione animum erudiit: vivere omnibus, & ſibi tamen eripere quod Hiſtoriæ impenderet. Quid ampliùs? ægrotare & decumbere, ne otioſus eſſet; Curtium legere, ut valetudinem recuperaret. Et cur non imitamur? extollet quiſque pulcherrimum & victurum Regis factum; ſed alienum putabit. Vt placere credam, exprime; imò ut verum ſciam encomium, tuum redde: omnem laudem imitatio vincit. Atque ſi licet dicere, ingenii, judicii, linguæ quoque morbi ſunt: & quotuſquiſque non laborat? Medicum adhibete, pharmacum admittite, ægritudinem pellite. ut omnia dicam, ad Hiſtoriam ite: Curtium admittite, ut

omnia

omnia habeatis. Hic ille, Auditores; ingenium cujuſque acuet; ſubtiliſſimus ſcriptor eſt: judicium roborabit; prudentiſſimus eſt: linguam expoliet; facundiſſimus eſt. Etenim qua verborum ſententiarúmque ſolertia inventioni ſuffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat, & eloquentia proponit. Quia igitur argutum eſſe, prudentem eſſe, diſertum eſſe, omnis doctrinæ ſumma eſt, quid adjicere ingenio, judicio, linguæ oporteat, Curtius inprimis docet. Sine his dotibus nemo unquam magnus fuit: has dotes ſine Hiſtoriæ ſubſidio nemo cum laude poſſedit. Non eſt quòd naturæ beneficio contenti ſimus: multa enim illa ſtudio induſtriæque humanæ reliquit. Vt ſibi quiſque ſe deberet, accepit naſcendi ſorte quod excoleret. Cultus naturam perficit; & quia non omnia à materno trahis utero, aut ætate conſequeris; naſci iterum in Schola debes, & præceptoris manu formari: hæc animi quædam educatio eſt; cibi, litteræ, quibus niſi tantum tribuimus, quantum prodeſſe quan-
doque

doque Reipublicæ cupimus, inglorii plerumque & inutiles reddimur, & fruſtra Naturæ dona ſeverioris ſcientiæ titulo oneramus. Optimæ verò Litteræ Hiſtoriæ ſunt, & in hunc propemodum finem inventæ. Deinde, quia optimè Hiſtoriam Curtius conſcripſit, hunc omnibus magiſtrum & doctorem ſtatuo. Agite, ô Iuvenes, ſi bene honeſtéque nati eſtis, ſi ad magna ſurgitis, ingenium colite, judicium formate, linguam imbuite: alia ad Rempublicam, ad Honores, ad Gloriam via non eſt. Etenim ut quis loquitur, ita negotium quodcumque aget: ſed feliciter loquetur, qui & ingenium excultum, & judicium formatum adferet. Iterum, agite, ô Iuvenes, & iam ſeriò, quid de vobis parentes, quid Patria, quid Princeps ipſe ſperare poſſit, oſtendite. Quæcumque diſcitis, ſine prudentia honeſtè quoque ignorari poſſunt. Nihil turpius, quàm hauſiſſe magnarum artium latices, & nihil ultra ſcholam ſapere: ire ad Reipublicæ atque Eccleſiæ munera, & ætatem non mutaſſe.

Semper enim puerum eſſe, qui Hiſtoriam non luſtravit, Græcis olim, ut Plato in Timæo refert, Ægyptius Sacerdos obiecit. Mundi annos niſi tuos facis, natus tantùm videaris: niſi reſpicias, quicquid retrò eſt, viam velut noctem agis, & in rebus agendis cæcus es. Ipſæ, quas didiciſtis, artes, ô Iuvenes, ad Hiſtoriam ducunt. Gemmæ ſunt; ſed auro opus, ut dignitatem ſplendor inveniat. Hiſtoria opus, ut quam titulus doctrinam indicat, uſus & prudentia confirment.

Plura ſi dicam, aut colligere videar, quæ docti omnes ſolent inculcare; aut accuſare quorumdam ſive inertiam, ſive ſiniſtrum affectum, qui nihil ad ſe aut ſtudia ſua Hiſtoriam putant pertinere. Ego, tanquam omnibus utilem, ſeriò & copiosè laudavi; tanquam neceſſariam, deinceps explicaturus ſum. Sed quantum quiſque ſapiat, hinc intelligam, ſi Curtium æſtimabit. DIXI.

ORATIO XX.

OVI ENCOMIVM.

OMNI ævo obſervatum eſt, AVDITORES, ſummis viris amœnitatem placuiſſe. Nunc ingenio Philoſophus ludit, nunc lingua Orator; ac ſi reliquos inſpiciam homines, eadem manu & nummos aliqui, mox flores tractant, merces & aleas, libros & cyathos. Ne ſolus ſapiam, mihi nunc quoque remiſſio placet, ſed erudita: amœnitas, ſed ſeria. Non de Deo, aut Religione, de Principe aut Republica, de pace aut bello dicturus ſum; & dignum tamen Philoſopho atque Oratore argumẽtum inveniam; quia Viro Nobili & Incomparabili, DAVIDI FLORITIO RIQVEBOVRG-TRIGAVLTO, tale viſum eſt. Sunt qui aurum & gem-

mas, qui vinum aut dapes publicè laudant, & vilitatem tamen effugiunt. Divitias laudari pulchrum putabit, quisquis dives eſt; fercula & cibos, quisquis lautus. Et ſic tamen plerique mortalium vivunt: aliis cum arca, aliis cum ventre negotium eſt: nemo non ſerius ſibi videtur, cùm maximè nugas agit. Sed ego nunc cùm nugas videbor agere, ſerius ero. Aurum negligam, & laudabo quod omni metallo pretioſius eſt: ſpernam dapes, & condiam verbis, quod omni cibo potúque melius eſt. Exſpectatis fortaſſis, ut rem magnam atque admirabilem dicam: dicam verò, OVVM eſt, & in eo quicquid avaritia quærit, quicquid luxuria neſcit, quicquid Natura habet, contemplabor. Mirari homines ſolent, lapidem è nubibus excuſſum, aut ſtellam in aëre accenſam; hoc etiam, terram concuti, Hermaphroditum naſci, mulierem in marem tranſmutari. Scilicet hæc, quia rara, prodigia ſunt, & vaniſſima plerumque interpretatione in terrorem valent. Quid dicam?

Lucere

Lucere Solem, volvi cælum, æſtatis & hiemis vices eſſe, dierum & noctium, inter miracula numero: item, creari hominem, mente & ratione præditum eſſe, animal ab humanitate dictum ſævitia & violentia oblectari, nullis armis inſtructum, omnibus uti; non nutriri, ſed ſaginari; miſerrimum idem & ſuperbiſſimũ eſſe prodigium puto. Si rectè calculum ponimus, Natura, ubi maximè familiaris, maximè quoque admiranda eſt. Hac indole retia aranei texunt, favos apiculæ ſtipant, annonam formicæ congerunt; & quid niſi hominis induſtriam eludunt? Iam verò, O v i naturam, & Gallinæ puerperium ſi inſpiciam, cedent & araneorum doli, & apum ſolertia, & formicarum labor. Ampliùs hîc Natura egit, & benignior fuit: condidit miraculum, ſed quod utiliſſimum eſſet. De O v o igitur verba faciam, & promptiſſimũ Ruris donum, Vrbis patrimonium, omniúmque menſarum delicium curioſiùs inſpecturus, dignum & hoc loco, & hoc conſeſſu reddam. Tracta-

 bo gem-

bo gemmam, quam omnes æſtimēt; liquorem, quo & ſcire Clodius, Æſopi Tragœdi filius potuiſſet, quid margaritæ ſaperent; & Antonium ſuum Cleopatra in ſponſione luxuriæ ſine damno viciſſet. Hoc illud erit *cùm maximè ſingulare, & verè unicum*, ut cum Plinio dicam, *naturæ opus*. Imò hoc illud erit maximè familiare, vernaculum, & omnibus omnino hominibus ab eâdem naturâ conceſſum munus. Quid ſit OVVM, nemo tam rudis, ut neſciat: & tamē nemo tam perfectus, ut ſciat, quid ſit OVVM. Ego, qui laudes paro, præcipuas ejus virtutes me ignorare fateor. De origine quidem nobiliſſimi olim Scriptores diſceptarunt, OVVMNE PRIVS EXSTITERIT, AN GALLINA? Sanè ex ovo gallina eſt, & ex gallina ovum: differt à matre quod naſcitur, & producit matrem quod natum eſt. Non poſſum hæc cunabula ſine miraculo expedire. Si ovum ante avem, unde ovum? Si avis ante ovum, unde avis? Vtrumque utriuſque principium eſt

um eſt, aut ſine principio utrumque dixeris procreatum. Sed nolo jam numen ovum facere, & ab æterno derivare. Originem habuit, ſed ut ſine matre naſceretur; cœpit, ut matrem tamen gigneret. Sic aliquando ante gallinam ovum fuit, & rurſus ãte ovum gallinam eſſe, fatearis neceſſum eſt: quaſi fœtum dicas, quod elementum fuit: rivum, qui fons exſtitit. Nihil in gallina novi eſt; animãtia propemodum omnia eodem miraculo cenſentur. Hæc enim, ut ex Plutarcho Macrobius expreſſit, *aut gradiuntur aut ſerpunt, aut nando volandóve vivunt: in gradientibus lacertæ & ſimilia ex ovis creantur: quæ ſerpũt, ovi naſcuntur exordio: volãtia omnia de ovis prodeunt, excepto uno, quod incertæ naturæ eſt, nam veſpertilio volat quidẽ pellitis alis, ſed inter volantia habendus non eſt, quia quattuor pedibus graditur, formatóſque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat. Nantia ferè omnia de ovis nutriuntur generis ſui. crocodilus verò etiam de teſteis, qualia ſunt volantium.* Ovum igitur ubique eſt; & ſic nihil ferè niſi ex Ovo

prodiit: ubique naſcitur, & ſuam ſibi originem vindicat. Etenim rerum omnium initium ſemen eſt, quia gignentis naturæ vim habet: ſed ovum inter ſemen animalque quodammodo medium eſt, & velut ſeminarium avis; perfectius ſemine, formam enim jam ſuam habet; imperfectius animali, vita enim adhuc deſtituitur. Sed cedat tamen Gallinæ ovum, ne origine careat: etiam à parentibus laudari pulchrum puto. Præſtat profectò, ex ave, quàm è cœno naſci. Nullum autem unquàm fuit ovum, quod è cœno concretum eſſet: cùm tamē tam vili ſordidáque origine plura animalia cenſeantur. Videtis AVDITORES, immaculatos Ovi natales eſſe; nullum è terra editum; & aliquod tamen è cælo delapſum, quod Tyndareum, ſive Ledæum Poëtæ appellant. Iam verò poſtquam matrem invenit ovum, adhuc ante homines fuit. Fuit, inquam, Ovum, cùm genus humanum non eſſet. Nec ulla poſtea tam fera aut remota natio exſtitit, quæ tam familiari cibo non miteſceret.

teſceret. Adhuc viſceratio non erat, & dabat Gallina quod pro carne eſſet; imò verò non à ſolis quadrupedibus lac manare mortales crediderũt, poſtquam avis peperit. Nullum igitur unquam ſine gallina rus, nulla domus fuit: & ut ſcires, omni menſæ ovum ſuffeciſſe, alius cibus non erat. Ceres panem dabat, Gallina obſonium; ſimpliciſſima fercula ipſa Natura commendabat: tales Oonas Inſulas Plinius nominat, in quibus avium ovis & avenis incolæ viverent. Poſtquam deliciæ invectæ ſunt, ſuam tamen conſtanter dignitatem ova retinuerunt. Nimirum nihil æquè neceſſarium erat, quàm quod ab initio erat optimum, quod ferculum, & ſimul condimentum eſſet; vim potus ac cibi haberet. Vt breviter dicam, perennare potuit, quod ſine vitio naturæ cœperat. Etiam ab ovo cœnam ordiri ſolebant veteres Romani, ut honorem haberent cibo, qui ante reliquos aliquandò exſtitiſſet. Sed Græci, ut oſtenderent, opinor, præ reliquis deliciis ova eſſe, inter bellaria

habuerunt. Ordiri ſolebant cœnam, ſed promulſide abſoluta. hac enim cùm aliqui conficerentur, integrám ſe famem ad ovum attuliſſe, Cicero ſcribit. Itaque *ab ovo ad mala* cùm citaret Tigellius, tota cœna inſaniebat: & illud apud Horatium---*Gemino bellum Troianum orditur ab ovo*, non minùs cœnæ ordinem, quàm Caſtores reſpicit. Sic igitur durant adhuc ova, & naſcuntur quotidie; formã & ſuccum retinent, vigorem & pretium. Rure allata, nihil ruris habent; domi producta, tamen liberioris naturæ genium ſapiunt. Vbicumque calathum ſive cubile parabis, gallinæ parient, ſub dio, ſub tecto, in ſtabulo, in cœnaculo. Quid ſi & in dominæ, aut ancillæ ſinu? familiaritas hæc eſt, non obſcœnitas: nec minùs caſtæ, quàm fœcundæ ſunt, quæ tam vernaculæ: interdum matres, ub nati ipſi ſumus; ut non vitam modò, ſed victum eodem in loco & lecto adipiſci videamur. Matres, & tamen virgines; innuptæ, & tamen puerperæ; quibus hoc quoque natura conceſſit, ut ſine

dolore

dolore parerent. Ova ipſa cantu, non gemitu, aut quodam potiùs ſingultu præveniunt; oſtendunt, non abſcondunt: prorſus, ut generi humano, cui vivunt, etiam pariant. Columella ad rem; *Parituras ſe gallinæ teſtantur crebris ſingultibus, interjectâ voce acutâ.* Quæ dico, non è longinquo arceſſenda ſunt: quisque domi ſuæ videt. Et quid mortalibus hac voce *j*ucundius eſt, qua vera avium regina, tam ſuavi contubernio nobis vernacula & pediſſequa, beneficium ſuum quotidie gracillat ſive pronunciat? nidum conſcenſura id agit, inde reſiliens iterũ agit. Idem ovum quia & onus & miraculum eſt, ſic meritò prædicatur. Ita me Deus, pipat, glocidatq; gallina, ſed natura loquitur: illa onus ſuum, hæc miraculum: & quid tandem? Ite, ite mortales, & paratiſſimo compendio ingentia explete vota. Ovum tollite, ut omnia habeatis. Si avari eſtis, hic theſaurus eſt; ſi famelici, cibus; ſi ægri, pharmacum; ſi curioſi, prodigium. Quid terram foditis, & magnæ matris viſcera

cruci-

cruciatis? aurum hîc vobis & argentum tenui incluſum, cortice genui: quid menſarum delicias quæritis, palati corruptelas? Deorum hæc fercula ſunt: quid ad cataplaſmata, catapotia, antidota, emplaſtra confugitis? tutiſſima hęc ſalus eſt: deniq; quid occulta, longinqua, ſublimia ſcrutamini? univerſi hîc imago expreſſa eſt. Cùm gallinam auditis, hæc auditis: etiam pro utero linguam habet: & quemadmodum parit ovum, ita celebrat: fœcunda, quia parit; fœcunda etiam, quia celebrat. Atque hoc jam ſecundum beneficium eſt: beatiſſimæ fœcunditatis munera latere aut contabeſcere non ſinit, periiſſe rata, quicquid in ſalutem hominis non cōfertur. Refundit gratiam, quia alitur; & quod nullum agit brutum, ſe & ſpē quoque ſtirpis impendit. Paucula quotidie grana ſive hordei, ſive avenę accipit, aut panis miculas, & magnā reddit partem ſui; id inquam, quod ſatis nunquam laudem: reddit cibum & ſimul delicium, ferculum & pharmacum, deductum velut cælo cere-

brum

brum Iovis. Enimvero numen habitare putes, ubi ovum gignitur. Itaque prorſus mihi perſuadeo, hac de cauſa tantum naturæ opus inter cæli imagines à vetuſtiſſimis mortalium deſcriptum eſſe, & tantæ incolam machinę Gallinam conſtitutam, niſi fortaſſis & hoc cibo ſive lacte fœcundæ matris ali Iupiter debuerit, ut viveret, qui immortalis erat. Nihil novi dico, aut fingo. Gallina eſt, quam nonnulli Cygni nomine & ſidere obſcurare conati, ſive ut Ledæ adulterum celebrarent, ſive in Apollinis gratiam, cui avem iſtã partim quia conoram, partim quia in auſpiciis obſervatã, ingenioſa ſuperſtitio dedicavit. Sanè qui Hygino aliisq; Cygnus ſive Olor eſt, Gallinam Arabes vocant, Græci ſimpliciter ὄρνιν, noſtri Avem. ὄρνις verò cùm iiſdem pro Gallinâ accipiatur, poſſis in eandem quoque ſignificationem Avis vocabulum deducere. Hanc antonomaſiæ prærogativam Gallina meruit: quæ tanto reliquis avibus præſtantior eſt, quanto pariendo utilior: ut illæ quidem ſibi generiq;

nerĩq; ſuo; at hæc hominibus gignere ova videatur. Originem habuiſtis, Auditores; antiquiſſima eſt, & cum ipſa natura cœpit; Patriam quia univerſa capere terra non potuit, in cælum quoque extendi. Quid ſi ante hæc omnia fuiſſe ovum dicam, & ex eo cælum terrámque natam? Paradoxum eſt, ſed è primis Sapientiæ rivulis; quos admirabili myſterio ad poſteros Orpheus derivavit, & excepit Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, ut rejiceret. Rerum omnium principium exſtitiſſe Aquam: & ex ea ſubſidente fuiſſe Ilyn. His parentibus Draconem natum eſſe, qui capite Leonem, medio corpore faciem ſive Herculis, ſive Chroni repræſentabat. Ab Hercule deinde immenſę magnitudinis ovum prodiiſſe: id à parente, dum fovetur, attritum, duas in partes diſſiliiſſe. & ſuperiorem quidem, cæli; inferiorem, quæ delapſa erat, terræ forma donatam & perfectam. Phœnices, ut refert Euſebius de præparatione Evang. ſtatuebant è complexu rerum, qui cupido

pido erat, limum eſſe, ſive aquoſæ mixturæ putredinem: ex ea ſemina creaturarum & generationem eſſe, primùm animalia bruta, hinc ratione prædita, quæ cælum contuerentur, in figuram ovi conformata. Monſtra hæc, an dogmata? dicet aliquis. Monſtra fateor; quæ tamen à natura non abhorrent. Nam ſi rectè examinare rem totam volumus, & Proclus in Timæum explicat, idem planè eſt τὸ Πλάτωνος ὄν, καὶ τὸ ὀρφικὸν ὠόν, *Platonis ens, & Orphicum ovum*. Sic igitur in conſtituendo rerum principio, tantū ovo Orphici tribuerunt, ut hoc unum non hominum tantū, ſed Deorum domicilium facerent. Ecce ut mundus eſſet, ovum eſſe debuit; & ut philoſopharetur Orpheus, ex ovo mundus prodire. Si per vos licebit, parentem quoque mundi naturam, pleno fœcunditatis ſymbolo, Gallinam appellabo. Talem fortaſſis Lunam arbitratus eſt Neocles Crotoniates, teſte Athenæo, cùm hinc prolapſum Helenæ ovum ſcriberet, & ſuavi fabula rem alioqui turpem

veſtiret

veſtiret: tales Selenitides, ſive Lunares feminas Herodorus Heracleotes; quas oviparas affirmat, excluſóſque fœtus πεντεκαιδεκαπλασίονας ἡμῶν εἶναι: *quindecuplo nobis proceriores eſſe.* Ergo ut gigantes naſcerentur, opus erat ovis: terræq; filii è cælo tamen deſcendebant. Atque ego nunc vereri incipio, ne ſiquem magnum videatis, ex ovo puteris natum eſſe; & ne me quoque, etſi non maximum, huic tamen numero adſcribatis. Patior: procerum eſſe, pulchrum eſt; ſed ex ovo fieri, divinum puto. De pulchro & magno, & quid ni addam Herôe? olim dicebatur: ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν; *Ex ovo prodiit.* Quid mirum igitur, immortalem ſi ſe credidit Maximinus Imperator? pro nomine egit. Niſi hoſtis à Senatu judicatus; & unà cum filio DIs inferis eſſet conſecratus, potuiſſet mehercle ſolius ovi beneficio & ſé & caligam ſuam conſecrare. Ergo tam facile erat Deum fieri, quàm ex ovo naſci; longéque exactiùs conſecrationis ſymbolum ſive hieroglyphicum ovo, quã aut pavone, aut aquila, aut

aut ſtella, aut ara, aut quadriga, aut tabernaculo potuit deſignari. Sed nec reprehendere Antiquos; nec refingere jam numiſmata ſuſtineo: in auro argentóque (æs enim hîc mihi vile eſt) non legetur aut conſpicietur ovum; in ovo tamen aurum argentúmque inveniam, & quicquid in natura pulchrum, perfectum, atque pretioſum eſt. Hanc igitur ipſam velut ſexu diſtinctam, & tamen procreatione unam ſimplicémque eſſe arbitror; alibi pro mare, alibi pro femina ſe gerere. Pariter res omnes creatas gemino ordine & indole naſci: alias robuſtiores, atque adeò horridiores; alias teneriores, atque pulchriores: quarum illas quaſi maſculas; has, feminas poſſis appellare. Id verò diſcrimen in origine animalium potiſſimùm ſe prodit: quæ cùm ab utero egeruntur, aliquid maſculi in toto genere habent; cùm ex ovo prodeunt, aliquid feminæ. Ipſa Natura quà mas eſt, formatum producit fœtum, quẽadmodum generat; quà femina, ovũ ſemel genitum in fœtum commutat.

Quaſi amplius in ovo & pullo, quàm in reliquo animalium ortu negotii ſit, bis debet generari, totieſque naſci: ovum ab alvo, ab ovo pullus. In ζωοτοκουμένοις, ſive viviparis, natura maris conditionem obtinet: in ὠοτοκουμένοις, feminæ. Sic verò feminam eſſe, hîc in laudem valet, & naturæ proprium eſt: marem eſſe, ſequioris conditionis putem. Prorſus, cùm feminam dico, matrem dico: ſed à matre amplius, quàm à patre omnis procreatio trahit. Cùm gignit pater, naturæ officium implet, & ſola voluptate liberos nanciſcitur; at mater & agit amplius, & patitur: poſtquam concepit, tot menſium faſtidium mollitiémque tolerat; Veneris ſuæ pondus in moleſtiam, cruciatum, & dolorem fovet; pariendo, lactando, nutriendo benigna eſt, ſæpiùſque fit mater. Sic verò in ovo naturam velut matrem agnoſcas; atque adeò primo aſpectu eſſe quod ames. Formam examina; quid perfectius abſolutiúſq; objici oculis poteſt? colorem penetra; quid venuſtius pulchriúſque? Et forma quidem

dign

dignitatem ſuam habet: non aſpera, non horrida, non inciſa eſt; ſed levis, teres, & velut pumice expolita: nec rotunda prorſus (de Gallinis hîc loquor) ſed tanquam præſtantius aliquid effingi debuerit, *faſtigio*, ut appellat Plinius, *cacuminata*. Orbem aut globum proletarius quiſque fingit & exprimit: ſed materiam forcipe comprehenſam reciproco volumine in curvos vertices coarctare, inter torni miracula etiam periti cenſent. Sic quanto difficilius eſt, ovum quàm circulum cælo cavare, tanto plus ornamenti corpus habet, quod obliquo gyro ſive limbo, quàm quod æquali undique & uniformi periodo abſolutum eſt. In globo etiam productæ molis ambages volo; ut quædam velut latera, ut ſummum & imum inveniam; ut varietas ſit, finis tamen principiúmque deſideretur; imò ut æternitas ſit, & nullo ſimplicitatis vitio decor violetur. At cælum mundúmque objicies; globoſum, & tamen pulcherrimum eſſe. Quæſo venia verbo ſit: quemadmodum enim

pulcherrimum eſſe aſſentior, ita globoſum nego. Quis coràm luſtravit & menſus eſt? Veteres tradiderunt affirmarúntque? ad eoſdem provoco. Licet enim nonnulli philoſophorum, ut eſt apud Plutarchum de Placitis, audaci, ut verè dicam, opinione, in globi figuram mundum rotundarunt; alii tamen turbini, alii, inter quos Sanchoniathon Tyrius, antiquiſſimus Phæniciæ ſcriptor, ovo credebant ſimilem. Totam etiam formam in dubium vocabat Epicurus: nec quiſquam veriùs de tanta machina pronunciavit. Ac ſanè ut nova & admirabili induſtria pænè oculos in cælum nuper miſimus, ſidera per tubum vitreis clauſum orbiculis coràm auſi perſcrutari, vanum fictitiúmq; deprehendimus, quicquid tot ſphęris ac motibus ingenioſa Antiquitas machinata eſt; prorſus ut ad unum iterum cælum, & quid niſi ovum? cogi Mathematicorum ſubtilitas videatur. Non fruſtra igitur, quod in Plutarcho, & Macrobio legimus, ſacratum Orgiis ovum myſtica reli-

ca religio coluit, & velut mundi ſimulachrum celebravit. Etenim ætheriæ forma domus ſpectata fuit, & gignentis omnia naturæ expreſſa in ovo conditio: quaſi compendium univerſi deſignari hoc avis ſeminario potuerit; mundus ovi imagine, & ovum mundi. Siquidem Orgiophantæ, tanquam è naturæ myſteriis educta ſuperſtitione, colebant ovum, notabant mundum, & vitæ velut ſemen atq; elementum venerabantur. Hominem qui maximè laudare voluerunt, *μικρόκοσμον*, ſive parvum mundum appellarunt: ſed ejuſmodi ovum eſt, ac poſſis encomii compēdio eundem hominem magnum ovum nuncupare. Nam ille ut mundo ſe parem aut ſimilem reddat, hoc ſe dicit eſſe quod ovum eſt. Ego penitus ſic exiſtimo, non aliam ob cauſam cæleſti forma ovum creari, quàm quia ipſum cælum ovum eſt. E Deorum domo, qua nihil ſublimius eſt, ſimilitudo derivatur; ut in fragili teſta divini aliquid ineſſe credas. Ac ſanè cùm nullum animal (quemadmodum

obſervare licet) Gallina frequentiùs erigat caput, cælùmque ſpectet, indicare ipſa manifeſtiſſimo videtur ſigno, unde concipiat. Cælum videt, & cùm non intelligit, implente negotium ſuum natura, fœcundo partu quotidie exprimit. Quid ampliùs? Mundum naſci poſſe, quem *neque genitum, neque interiturum unquam* multi crediderunt, in ovo videmus. Atque hæc de forma obiter notare libuit, quam in reliqua ferè natura expreſſã & ab omni propemodum arte adoptatam eſſe, paullo pòſt oſtendam; nunc, ut ſuum Oratio ordinem ſervet, Color inſpiciendus eſt; qui an meritò laudari poſſit, hinc conjice; relucet. Nihil candore ſpecioſius eſſe fatentur omnes: hinc lucem amamus, noctem odimus. Quin Deum ipſum, ut pulcherrimus appareat, puro die velut circumſcribimus; inferos ut turpiſſimi ſint, denſis cæcisque tenebris ſepelimus. Ovum igitur candidum eſt, & ſic quoque cælum imitatur: nec vehementiùs quippiam à colore laudare Veteres potuerunt,
quàm

quàm ut ovo præferrent. Candidum, inquam, ovum eſt; & omnes tamen colores admittit: ſcribi poteſt, pingi poteſt, tingi poteſt; & nunc flavum, nunc rubrum, nunc cæruleum patrii ritus faciunt. imò candidum eſt, & ſic pulcherrimum: candidum, & ſic puriſſimum, fauſtiſſimúmque. Alio colore nec diadema pingas, nec ad honorum petitionem Romani olim admiſſi. Plenam tamen majeſtatem ſi deſideres, aſſeverare poſſum, purpureo interdum cortice ovum naſci, & inſigne velut regium præferre; imò in omen regni, ſive imperii accipi. Scribit Spartianus, eo tempore, quo natus eſt Antoninus Geta, gallinam in aula, ſive olla, ovum peperiſſe purpureum; quod cùm allatum Baſſianus frater ejus, adhuc parvulus, acciperet, & quaſi ludens apploſum ad terram frangeret, Iuliam matrem in hęc verba jocatã, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti.* Ac ſanè occidit poſtea; ut velut divinitus emiſſam putes augurantis, non ludentis vocem. Occidit inquam, & quem vivum noluit,

divum fecit. Similiter de Alexandro Severo Lampridius refert, Inter omina imperii habitum ab Aruſpicibus purpurei coloris ovum, quod matri ejus vix puerperæ avicula obtulit recèns natum.

Sed hæc degenerantis naturę vitia & errores ſunt. Nam & oves purpureas, vicino velut nomine, natas eſſe, in ejuſdem Lampridii Diadumeno legimus. Nigrum fortaſſis ovum ille proferet, qui talem eſſe nivem ore pluſquam philoſophico dixit. Breviter & abſolutè Naturalis hiſtoriæ ſcriptor: *Ovorum alia eſſe candida, ut columbis, perdicibus; alia pallida, ut aquaticis; alia punctis diſtincta, ut meleagridi; alia rubri coloris, ut Phaſianis, cenchridi.* Quæ omnia ad corticem, ſive cutem ovi referenda ſunt, qua nucleus velut immenſi pretii theſaurus tegitur. Ipſum enim ſi penetramus, novas coloris delicias oculi invenient. In cælo quidem diſtincto lumine Sol lucet, in domo ignis: cogita nec Sole ovum, nec igni deſtitui. quem ut ſeorſim inſpiciam, partes examino & velut

velut ſejungo; corpus in membra, mundum in elementa. Vniverſum igitur ovum, ut forma ſua & colore definitum eſt, partim è teſta, quam nunc putamen, nunc corticem appellamus, & cruſtam, partim è nucleo conſtat. Teſtæ membrana adhæret, & velut involucrum: nucleus in albumen & vitellum diſtinguitur: & in hujus medio, ut ſcribit Plinius, parva ineſt velut ſanguinea gutta, quod eſſe cor avium exiſtimant, primum in omni corpore id gigni opinantes. Teſtam nonnunquam mollem eſſe mirum ſit, niſi imperfectam adhuc cenſeas: ſed duplicem quoq; eſſe animadverſum eſt: intra corticem albumen, & intra albumen corticem. ubi id inprimis difficile, quomodo durū ſub molli cogatur. Albumen verò alii alborem & liquorem album, alii candidum ovi, & candorem; Græci ſimiliter λευκὸν τοῦ ὠοῦ, & λέυκωμα nominant, quod geminum aliquando naſci nonnulli tradunt, & membranula interiùs diſtingui. Vitellus à vita dicitur, quæ non qui-

dem pullo, ſed potiùs homini acce-dit. à vita, id eſt alimento vitæ. ete-nim ſine cibo nemo vivit; & ſic quod alit maximè, vitam quaſi donat. O-lim nonne vitæ ſymbolum à cibo vi-ctuq; fuit? Hinc quidem quercus, hu-mani generis prima altrix, coronam præbebat civicã; & qui ſervatus erat, non certius acceptæ vitæ ſalutiſque ſignum dabat, quàm quod in totam famem aliquando ſuffecerat. Malo igitur, ne vitellus ignoretur, ab ho-mine vitam, quàm à pullo derivare. Ac ſanè, quia plura in cibum ova, quàm in avem natura deſtinat; imò quia nonnulla fœturæ inepta ſunt & irrita redduntur, quippe citra coitum generata; tanti pretium nominis nu-trimento potiùs, quàm generationi adſcribendum eſt: niſi id omnino fa-teri volumus, quod abſurdiſſimum eſt, in ovo à gallina adhuc virgine edito vitellum non eſſe: id enim nullo unquam incubatu, nullo calo-re in pullum matureſcit. Ideoque contrarii effectus ſunt: quippe ſub matre corrumpitur, ſed cùm cibus

ſit,

ſit, alit: in nido putor eſt, in corpore humano vita. An dicam, longè purius meliusq; ovum eſt, quod patrem non agnoſcit: Imò an dicam? hìc Venus immunda eſt, & inficit. Quin etiam, ſi Plinio credimus, non aliam ob cauſſam vitam à vitello pullus poteſt capere, quàm quia nutritur. Ipſum enim animal ex albo liquore ovi corporatur; cibus ejus in luteo eſt. Si igitur vitellus eſt quia nutrit, hominis potiùs cauſa vitellus eſt, quàm animalis. Vires modò vitelli noſce, & in nomen, quemadmodum explicui, conſenties. A colore verò luteum ovi, quemadmodum ipſe vitellus croceus, & Grecè χρυσὸς τῦ ὠῦ appellatur. Admirabili igitur ordine compactum à provida natura ovum deprehendis. in ipſo meditullio luteum latet; illúdque interdum geminum; & maternũ terræ officium imitatur, alit enim: albumen circumfuſum eſt, quem ovi velut aërem poſſis nominare: putamen extimum ſummúmque, & imginem cæli habet. Ita quidem Varro apud Probum, Gramma-

tibúſque augeri: hoc pondere ſuo & ſoliditate trahi. Quemadmodum & circa cadaver uſu venit: id enim ſpiritu deſtitutum primò fundum petit, & in imo delitеſcit; mox ubi computreſcere cœperit, emergit ac natat. Sic verò & in ovo velut cadaver habemus; ſed corrupto; hominiſque fatum hæc imago, hoc ovum ſuſtinet; quoties tabeſcit ac moritur. Moritur ovum, nec colorem ſervat: & ut ſcias, in hoc naturæ miraculo meras teneriimaſque delicias eſſe, nihil tam facilè perit, quàm quod præſtantiſſimum eſt: ac tale eſſe debebat, quod tantâ cuſtodiâ ſervaretur, albumine cinctum, membranâ clauſum, teſtâ munitum: imò tale eſſe debebat, quod auri colore dignum natura judicavit. Ergo non in terrâ tantùm, ſed & in ovo habent mortales quod æſtiment: quàm pulcher vitellus, tam quoque pretioſus eſt: pulcher ideo, quia pretioſus. Has divitias ſi intellexiſſet Rex Mydas, & aurum inveniſſet & obſonium: nunc quemadmodum cupiditate cæcus fuit, ita fame periit: &

voven-

vovendo egit, ut ditiſſimus & ſimul miſerrimus eſſet. Medullam cùm dico, dignitatem exprimo. Ovi luteum, medulla ovi eſt, pars optima, quia intima. Medulla, inquam, ſed molliùs teneriúſque à natura hic collocata, quàm in homine atque brutis videmus, quæ duriſſimis concluſa oſſibus, vitæ vigorisq; ſui elementa circumferunt, turpi colore, velut ſanguine maculata. In ovo, ut delicata omnia, ita diſtincta & venuſta ſunt, ac prorſus virginea. Putes in argento aurum, in aquâ ignem: in cryſtallo chryſolithum, in nive crocum, in vitro electrum, in lacte purpuram natare. Sive igitur formam, ſive colorem examinemus, nihil pulchrius ovo: omnium quæ amare & æſtimare poſſis imaginem continet. Repeto voces meas: Nihil pulchrius ovo: mundi ordinem, elegantiam, & ornamenta habet. Imò augeo voces meas: Nihil robuſtius ovo. *Firmitas putaminum*, ut verbis Plinii utar, *tanta eſt, ut recta, nec vi nec pondere ullo frangantur, nec niſi paullulum inflexâ ro-*

Conan-

tunditate. Qui nervos & firmitatem corporis jactant, hoc certamine exerceri ſolent, ut confringant ovum. Conantur etiam, & ſtrictis nexiſque digitis utrumq; cacumen valido palmarum niſu premunt, ſed quid? ut fruſtra ſint, & vires humanas à fragili teſta vinci fateantur. Putares ſub ipſis manibus ovum in marmor commutari. I nunc homo, & robur *jacta*: tenuiſſimum corticem non dicam conterere, ſed ne commovere quidẽ potes. Quid dicam? niſi ludere naturam, mortales verò illudi? Quod tenerrimũ eſt, firmiſſimum tamen exiſtit. nihil faciliùs læditur frangiturque, nihil pertinaciùs reſiſtit. Miraculum ſi quis velit, hîc habet. Nullum vitrum ovo fragilius eſt, nullum tamen æs, nullus chalybs durior: levi caſu aut colliſu vulnus capit & effluit; & vim tamen omnem è tranſverſo illatam ſuperat. Si partes has concedis ovo, dixerim, in capite pedibusq; tantum robur eſſe. Cauſſam verò natura conditioq; ligni non obſcuram ſinet, quod frangi tranſverſim poteſt,

teſt, rectà non poteſt. hîc enim quià longitudo fit craſſities, prementi reſiſtit, quicquid extenſum eſt, & in unum robur coaleſcit ac conſpirat. Subtilior ratio à poris ſumatur, qui nervis ſuis, ut ſic appellem, diſtincti; ſecundùm longitudinem, non craſſitiem excurrunt. Rupturam igitur compreſſio facit, cùm in inane incidit; ſed ipſa inanis eſt, cùm in ſolidũ nititur, etſi procurrentibus poris & velut comitibus interſtinctum. Vtcumque iſta ſunt, mira ſunt: ſed idem ovum & duriſſimum & molliſſimum eſſe faciliùs credas, ſi fortaſſis quod optimum eſt, fieri peſſimum poſſe pronunciem. In hominibus id ſive ingenii, ſive educationis pravitate contingit, quorum aliqui boni ſunt, plures mali, & ſic tamen bonos ipſi mali commendant. Ovum optimum eſt, cùm recens: contrà peſſimum, cùm vetuſtùm & grandævum. Dicam potiùs, jam deſiiſſe ovum, poſtquam factum eſt peſſimum; imò nec eſſe, poſtquam malum eſſe incœpit. O pugnantem naturæ indolem!

lem! etenim aliis rebus cùm pretium mora temporis addat, hic adimit. Nihil eſt quod difficilius ætatem ferat, & ſimul bonitatem inducat: quia puriſſimi tenerrimique ſucci eſt, mora corrumpitur: ut natum eſt, ſenium timet; ut cœpit, perfectum eſt, & niſi in uſum eſúmque mox denaſcatur, jam ſponte deſinit ac computreſcit. Quid ſi & conſenuiſſe dicam, ut è matre natum eſt? Teſtam vide, calvitiem loquitur: & niſi avem ſperes, pædorem, putredinem, ſordes alis, aurumq; in venenum commutabis. Et tamen quid fœdius? ſunt qui hoc agant, qui in menſes, imò annos horarium & impatientiſſimum ætatis cibum torto fune ſtipent, & corbes impleant. Scilicet, ut ſuaviſſimi alimẽti copioſior merx ſit, annonam è diario faciunt, vendunt ova, poſtquam ova propemodum eſſe deſierunt. digni mehercle, ut ſorbeant quotquot corrumpi ſinunt, vel certè ut corruptis lapidentur. Quanti apud Belgas omnes pretii butyrum ſit, nemo ignorat: hujus igitur (atque utinam

non rancidi) quia annoſæ in forum & inde in culinam obbæ ollæq; veniunt, audent omnes pari ætate ova ferre. Credo & his ſenium ſalſugo ſive muria faceret, niſi credita eſſent ſale exinaniri. Veteres an prætereo? egerunt quod accuſo. *Alii* enim, ut Columella ſcribit, *ſalibus integris ova adoperiunt, alij muria tepefacta durant.* atq; hæc ταριχηρὰ ab Alexide nominata. Sed quid addit Columella? *Omnis ſal quemadmodum non patitur putreſcere, ita inanit ova, nec ſinit plena permanere, quæ res ementem deterret.* Servari tamen *in lomento, aut hieme in paleis, æſtate in furfuribus, utiliſſimum* cenſet Plinius: aliis ſolida aut etiam freſa faba tegi, ut eſt apud eundem Columellam. Sed parum eſt, inveniri homines, qui requieta putidáque vendunt: amplius dicam: inveniuntur, qui ut teruncium ſeponant, emunt: & digni hi quoque, ut quoties putamen ſorpturi rumpunt, pullum inveniant, talemq; prorſus guſtent cibum, qualem vel odor ipſe damnat. Sed nos quidem ſi aliter animati non ſumus,

in

in naturæ liberalitatem, peccamus: quia namq; nimis fœcundæ gallinæ ſunt, avari & maligni ſumus: & quia quotidie pariunt, numerum colligimus, & annonam conſtipamus. Non fruendo agimus, ut perfectiſſimum naturæ munus deſtruatur. Flos enim ille & vigor nuclei poſt paucos dies langueſcit, mox exſpirat, denique computreſcit. Interim verò pennatæ illæ matres *omni tempore* (Plinium auditis) *præterquam duobus menſibus brumalibus pariunt ova. Ex iis juvencæ plura quàm veteres, ſed minora, & in eodem fœtu prima ac noviſſima*. Eſt autem tanta fœcunditas, ut aliquæ & ſexagena pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis die, aliquæ in tantum, ut effœtæ moriantur. Fabulator Phrygius (neq; enim pigebit ad leviſſimum Sapientiæ genus deſcēdere) fœcunditatis hac imagine avaritiam humanam perſtrinxit. Mulier vidua gallinam quotidiano fœcundam ovo nutriebat: rata verò, ſi plus hordei præberet, bis parituram die, alimentum auxit. Sed gallina pinguefacta ſtultiſſimum mulieris vo-

tum eluſit: parere deſiit. Neque remota aut obſcura epimythii verba ſunt. Solent enim, qui ob avaritiam plura appetunt, etiam quæ adſunt amittere. De aureo ovo in fabula quoque eſt, quod parere gallina potuit: avarus theſauro inhians, ut metallum tolleret, gallinam eviſceravit. Sed cùm nihil præter naturam gallina haberet, cupiditas damno fuit: cùm aurum avarus quæreret, ne gallinam quidem habuit. Sic Gallinarii, & ovorum propolæ agunt: perdunt ova, quæ in quæſtum ſervant. Quid malum! vendant recentia, ut ſciamus ova eſſe. Nunc ad ſolem & flammam itur, ut minùs ſaltem mala arbitrio luminis explorentur. Credere non potes bona eſſe, de quibus dubitas an recentia ſint; imò non mala dicis, quæ in pullos adhuc non coiverunt. O lepidam ſcenam! injuriæ ſoror hîc quoque fraus eſt. mulierculæ verſipelles è toto acervo etiam putidiſſima ſolent eligere, in ſinu interq; ubera calfacere & fovere, mox proferre & obtrudere, tanquam à matre nova, &

va,& nido calentia: nec omnino mentiuntur. Sinus ille nidus fuit, & ſibi mulier, ut gallina eſſet, ovum ſuppoſuit. Cogitate bis natum eſſe, quod tum denique, ubi computruit, recentiſſimum habetur. Sed quoniam de forma partibúſq; diximus, nunc, quò ſeries orationis ducit, Diſcrimina videamus. Nam quod pulcherrimum eſt, varietate quadam natura diſtinxit: quemadmodum quod optimum, corrumpere avaritia potuit. Debiliſſimum eſſe, & frangi non poſſe, admiratus ſum, & viam velut ad majora ſtruxi. Præmitto etiam, Ovum ovo, quod de lacte, aqua, ape dici ſolet, ſimillimum eſſe, & diſtingui tamen; item gemino faſtigio cacuminatum eſſe, & conſiſtere. tantum conſuetudo non oculorum tantùm, ſed manuum poteſt. Itaque erectum in plano ſtare ovum, quidni credas? poſſum collocare. Ita dico, poſſum collocare. non, ut ille novi orbis inventor, qui teſtæ caput leviter in menſam alliſit, & apta imagine obtrectatorum linguas repreſſit: non profe-

ctò. Nam ille hoc ipſo confeſſus eſt, tam arduo labore antipodes quæri, quàm ovum ſtatui, & fallaci aſtu peregit, quod aliter fieri poſſe deſperarat. quotquot naſcuntur ova, locabo integra & illæſa; haud aliter quàm nucem, glandem, pyrum, ſolemus. Experiatur quicumque volet, facile inveniet, quod ἀδύνατον exiſtimarit. Etenim tanquam cælum & ſidera amet, ovum erigi ſe patitur, manuiq; ſtatuentis morem gerens, faſtigio innititur, & onere libratum velut quieſcit. Parum hoc: recipit pondus quodcumque & ſuſtinet, & hac potiſſimùm parte ſtare poteſt, quà firmiſſimum eſt, & omnino frangi nequit. In ſimilitudine verò differentiam eſſe, curioſi oculi obſervarunt. Ac ſanè *Deli fuiſſe olim complures* Cicero credidit (neque pigebit verba ejus referre ex Academicis, & à Nonio citata) *qui gallinas alere permultas quæſtus cauſſâ ſolerent: hi cùm ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.* Minuta quidem obſervatio, ſed obſervatio. Vel enim aliquod

formæ

formæ diſcrimen pro natura aut magnitudine gallinæ erat, vel certè in ovis ſingulis aliquid illi diſtinguebât, quod internoſſe unuſquiſq; non poterat. De colore quid attinet dicere? non eâdem nive omnia albicant; ſic homines diſtant, ſic ſtellæ lucent, ſic dies ipſi diſtinguuntur. In magnitudine & forma idem eſt. Nam alia aliis manifeſta obſervatione majora aut minora ſunt; alia aliis magis minúſve ſive acuta ſive obtuſa; quædam longiora, quædam rotundiora: his venter tumet, his vertex coarctatur; tanquam membra videas, putes variari. Sic verò naſcendo fiunt, formamq; cortex ſumit cùm egeritur, & ſimul dureſcit. Nam, ſcribente Plinio, quem hac in re, quàm Ariſtotelem ſequi malo, *exeunt à rotundiſſimâ ſui parte dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuſcumque emergunt portionibus.* Sic igitur & à ſapore, qui formam ſequitur, diſcrimen eſt. Etenim emendatioris ſucci longiora perhibentur, quia marem edunt; vilioris rotundiora, tanquam

ſexu deficiant : quod nec Romanæ fidicen lyræ olim ignoravit.

Longa quibus facies erit ovis, ille memento
Vt ſucci melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere: namq; marem cohibent calloſa vitellum.

Subſcripſit huic opinioni Plinius, auctorémque laudavit: alii quoque Plinium ſecuti, ſive non animadverterent, ſive negligerent quæ Ariſtoteles tradiderat, ovi naturam Latio cõcluſerunt. Sed nos reliquas differentias an laudes dicam? perſequamur. Nam quicquid hîc varium eſt, admirandum eſt, ſuáque indole ſe commendat; imò quicquid hìc vile eſt, rarum eſt, pretiúmque à natura habet. Eſt igitur Decumanum ovum, & contrà Nanum, ſive parvum. Decumanum non ſimpliciter, quia maximum, ut decumanum ſcutum, decumana porta, decumanus limes; ſed quia poſt decimum majus naſcitur, & velut in toto numero eminet. Etenim quod in mari videmus, cùm *Vaſtiùs inſurgens decimæ ruit impetus undæ*, id ubiq;

id ubiq; natura agit, ſed in ovo præcipuè exprimit. decumana ubiq; ſunt, & inter decumana ipſa ovum decumanum eſt. Iam verò Nanum, ultimum cujuſque fœturæ cenſent, & ab hoc uterum gallinæ claudi. Nanum, ſed tamen ovum: nanum, & ſic magnum: quippe in tam puſillâ quoque formâ mundus eſt. Decumano quid ni δίδυμον, ſive geminum adjiciam? & hoc magnum meritò videatur, imò magno majus: molem pretium ſuperat. Et quanta hæc fœcunditas naturæ! quanta benignitas! tanquam ſatis non eſſet ovum naſci, δίδυμον procreatum eſt; & cùm nihil præſtantius haberetur ovo, geminari tamen ſub eâdem teſtâ luteũ potuit. Vnum duo eſſe poſſe, & duo unum, quod nemo hactenus calculatorum ſcivit, hîc ſine myſterio diſcimus. Atque ejuſmodi Ledæ ovùm fuiſſe crediderim, è quo Caſtores natos eſſe Antiquitas putàvit. nec immeritò: Cygni concubitus perfectiſſimo dignus erat ovo. Sed qui cum Dioſcuris Helenam ex eodem ducunt ovo, tergeminum ſive

τρίδυμον fingunt. Sic Auſonius:

Iſtos tergemino naſci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis, & matribus aſſere natos.

Atq; hoc illud triplex eſt, quod idem in Gripho ternarii numeri exprimit,

--Triplexq́; Helenes cum fratribus ovum.

Sed quid dicam? deſiit jam Iupiter mœchus eſſe, deſierunt & homines & dii ex ovo naſci. ſeu gallina incubet, ſeu mulier foveat, è teſta non niſi pullus prodit: pullus, ſed qui ſatelles tamen Martis appellari meruit. Viri quoque ſtrenui, & ſub pellibus nati, ad arma & bella educati, laudari non poterant, niſi ab ovo peteretur encomium, & pulli dicerentur. videlicet jam armati erant, priuſquam in lucem venirent. Vna teſta, ſive cortex & loricam, & galeam, & ſcutum, & thoracem faciebat. Sunt tamen *Et viles pulli nati infelicibus ovis*. An quos alba gallina non peperit? ita Iuvenali viſum. Ergo & infelicia quædam ova ſunt; ſed quibus felicia diſtinguamus. Sunt, ut ſemel dicam, irrita, ſive ſubventanea, Græcè Zephyria,

phyria, hypenemia, ἀνεμιαῖα; quę ſi pullationi apta eſſent, aliquod ętiam hominum genus producerent, quod tumidum, turgidum, & inflatum diceremus. Sed pulchrè rebus natura conſuluit, Zephyria omnia ſterilia atque abortiva fecit: faſtum ſuperbiamque naſci ab ovo noluit. Sunt & urina, quæ ab incubatione relicta: tanquam jam præſagiat mater, indignum luce fœtum fore; monſtrum, non pullum gigni. Sic quoque in ipſa incubatione quædam animata, quædã ſilentia ſunt: de quibus ne nimis minuta perſequi videar, ſilere & ego conſtitui. Poſt naturam igitur non minùs varia culina eſt, & artifex coqui manus. Hinc dura, mollia, ſorbilia, elixa, ſive ἑφθὰ; frixa, ſive τηγανιστὰ; aſſata, ſive πνικτὰ; ſecta, ſive ἡμίτομα. & erit hodie quoque magirus, qui ſexcenta è ſolis ovis fercula conficiat, & quã-tum ad Luxum ſatis. Quid mirum? dabo ego convivam, qui unâ cœnâ ſorbere XXV. poterat, & tamen eſurire. ergo huic homini hecatombe ovorum opus erat, cujuſmodi ferculum

lum apud Athenæum Ephippus nominat, & cum bellariis devoratum. Dimidio ovo conſtringi cammarum piſcem, notat Iuvenalis, & *exiguam feralis cœnæ patellam* nominat; ſecto coronari lacertum Martialis: alibi lactucis, aliiſque cibis jungit. An dicam? Nullum habet cibum, qui ovum non habet: imò an dicam? Omnem habet cibum, qui ovum habet. Quid verò in omni menſâ melius, paratius, mundius, ſecurius? & lubet ordine breviterq; percurrere. Primùm nihil melius: totum in nutrimentum & purum putúmque ſanguinem commutatur. nullum hîc retrimentum, nullæ ſordes ſubſidunt: alit, non onerat, teſte Plinio; reficit non farcit; venæ, non inteſtina implentur. & quis cibus tam beneficus, tam ad vitam vigoremque ſubminiſtrandum deſtinatus? cogita aurum ſine ſcoria eſſe, ignem ſine fumo, lumen ſine umbra, aërem ſine nube. Prorſus vitalis ille ſuccus eſt quem laudo, totusq; valet. Vidiſtíſne aliquando oleum igni infuſum, incendi protinus,

& in

& in meram flammam commutari: ſed poſt chartam exuſtam,ſive paleas, ſive lignum, cineres ſupereſſe? ſic ovum eſt; ſic reliqui cibi ſunt. Ergo primum optimumq; ferculum eſt ovum: quod deinde? ovum: quod tertiò? ovum. Sed quemadmodum optimum, ſic quoque paratiſſimum eſt. condimento non eget, & omnibus tamen cibis condimentum eſt. Vili pretio emitur, nullo coquitur: quaſi dicas quod pretioſiſſimum eſt, etiam communiſſimum eſſe, citiusque in pauperum caſis tuguriisq;, quàm magnatum prætoriis; paſtorum mapalibus, quàm Regum turribus inveniri. Si nutrimentum,non delicias queris,etiam crudum poteſt edi. ut natum,ſimul paratum eſt promptúmque. Babylonii,quemadmodum Suidas notavit, tam quoque olim ingenioſi erant, ut ova coquerent, licet ignem non haberent. Teſtati, ſine coquo, ſine foco edulium eſſe, præſtantiſſimum cibum eodem quo pugnarent inſtrumento præparabant. Experiri licet, imitari licet: modum nō ſubticeo. In

ſilva aut ſolitudine ſi fames urgeret, aliúſq; deeſſet commeatus, cruda & ſingula fundę ova imponebãt, quę jugi vertigine tamdiu rotabãt, donec caleſierent & percoquerẽtur. Iam verò ſi ignis placet, ob ſolam munditiẽ cibis omnibus ovum præferas: ut ſuapte natura puriſſimũ eſt, ita nec coquentium, nec contrectantiũ manu inquinatur. Fumo non inficitur, fuligine non amareſcit, cinere nõ conſpurcatur. Sordibus arcendis teſta à natura circumdata eſt; ſubit ignẽ & ſuſtinet; aquam, & arcet. non dehiſcit, non rumpitur; cùm vim patitur, totũ propemodum in teſtam indureſcit. Alia obſonia quàm varia immunditie nauſeam faſtidiumq; pariunt! ab olla & lance vitium trahunt, ſapórque nativus violatur. Quoties aut ſale acres aut inſipidi, aut crudi, aut aduſti! At ovum etiã ſine ſale ſapit, aut tua manu inſpergitur: ſine igni coctũ eſt, ſi recens & ſorbere placeat. Sic apud veteres ſorbilia, liquida & pęne cruda erãt, optima, cùm à matris utero calerent. Quid etiam? ſupellectili vix ulla opus

eſt: cùm eſſe placet, nucleum & vaſculum habes, cibum & lancem; imò verò cùm bibere, potum & poculum, nectar & cyathum. Teſta vas eſt, lanx eſt, poculum eſt, cyathus eſt, & in eodē ovo, ut pulchre Plinius, atque adeò in ſolo ovo vis ſimul potus ac cibi eſt. De cyatho, ſive ſcypho, non fruſtra addidi. Pulcherrimum venuſtiſſimúmq; poculorum ovum eſſe, meus me FLORITIVS RIQVEBOVRGTRIGAVLTVS docuit, ille Suadæ & Virtutis filius, candoris & elegantiarum alumnus, ille miraculum hominis, & quod in laudem gentis noſtræ verto, Belga; ille à XII. ætatis anno Sophiæ, XIV. Themidis, XVI. Æſculapii myſta, ſed ut ubique in toto ſodalium numero excelleret; ille, ut videtis, qui adhuc puer conſecutus fuit, quod pauciſſimis viris contigit; qui admirabili ingenio perfecit, quod ſimul omnes quæritis; qui tergeminā doctrinæ laurum accepit, cùm adire publicum Academiæ limen, alii primùm incipiunt. θαυμάσιον ac divinum niſi appellem, parùm dixero. Nemò illo

illo facundiùs dicit, ſubtiliùs diſſerit, modeſtiùs vivit, ſuaviùs amat. putes amicis natum eſſe, & huc facundiam, ingenium, ſtudia denique omnia & vota conferre. Qui vidiſtis, audiviſtis virum, admirari pergite, & benigniſſimæ naturæ prodigium appellare: qui non vidiſtis, famæ longè latéque ſparſæ credite; & hunc, quod nomen indicat, noſtrorum hominum florem, ſed conſtanti & duraturo vigore eſſe. Itaq; vir tam elegans, tam ſuavis, tam perfectus, ut in menſa quoq; haberet, quod abſolutiſſimum eſſet, ovum in poculum, an poculum dicam in ovum? commutavit. nec ampliùs ſanè commendare Liberi liquorē aut ingenioſiùs potuit, quàm ut gallinæ lacti compararet. Nihil ſalubrius vino eſſe jam diſcimus: ovo propinatur. Sed ille mihi altiori ſapientia inculcare ſobrietatem viſus eſt, ut quoties conviva eſſes, & ovum videres, bonæ valetudini & honeſtæ voluptati, & conſtanti amicitiæ ſcires poculum temperatum. In ipſa quoq; menſa Medicum FLORITIUS agit, ſed

ſed ne Amici partes omittat : ſic ſobrius eſt, ſed ut ſuaviſſimus tamen ſit: condimentum ipſe cibis ſermone nectareo addit. Ferculis lautus eſt, & delicatiùs tamen loquitur. Peream, niſi tota cœna audire conviva malit, quã edere. Atque Floritianum illud Liberi ovum, majori etiam laude dignum cenſeo, quia doctiſſimo antiquitatis exemplo commendatur. Etenim Perſarum olim Reges ex aureo ovo bibere ſolitos apud Athenæum Dinon refert. Sed & Ooſcyphia Myrleanus Aſclepiades nobis gemino inſtructa fundo promit, cujuſmodi Neſtoridem, ſive Neſtoris olim fuiſſe pateram argenteam Homerus canit: tanquam cæli naturam & colorem cerneres, ſed aureis clavis, velut ſtellis transfixam, quæ διὰ τὸ πυρῶδες puriſſimo metallo ſimiles ſunt ac rutilant : denique quatuor auribus anſatam, quam cùm alii vix geſtarent, attollere ſolus Neſtor poterat, ille jam ſenex. Dionyſius poſtea Thracius Rhodi, ut ferunt, Neſtoridem fabricatus eſt, collato à ſectatoribus &

diſcipulis argento. Item Neſtoridem Capuæ dicatam Dianæ fuiſſe Athenæus ſcribit, atque in ea verſus illos Homericos aureis litteris inſcriptos. Hoc pulchrum igitur erat, Neſtorem imitari: ovum ille expreſſerat. Ac credo ſanè, niſi rotunda forma Sol & Luna reliquaque ſidera ſe offerrent oculis, orbemque perfectum mentirentur, & menſas, & tripodes ovatos feciſſet antiquitas. Poculum ſaltem aptari debuit, quod totum cœlum exprimeret, ovumque eſſet, & nominaretur, quaſi tum demum feliciùs mortales biberent, ſi ab imagine ætheriæ domus non abirent. Sed ſatis jam poculorum, à potu ad cibum redeundum eſt, ut qua ſecuritate comedi ovum poſſit, videamus. Etſi omnes omnino cibi in damnum noxamq; verti ſoleant, & veneno infici, tanto tamen ſceleri ovum aut omnino ſubductum, aut minùs obnoxium videatur. Quid enim? clauſum, munitum, & velut obſignatum eſt: atq; ipſum pro antidoto valet. Illæſo & illibato cortice, transfundere in nucleum

eleum vim veneni tabemque difficile arbitror: & ut concedam tam ingenioſam mortalium improbitatem eſſe, ut etiam per obſtacula à natura objecta noceat; tamen non minùs arduum puto, ovum corrumpere, quàm hominem occidere. Verùm enimvero ſic corrumpere ovum, perverſitas eſt; ſic occidere hominem, ſcelerum ſumma eſt. Re bona in rem malam uti, duplex malum eſt. Qui ferro utitur, noxio inſtrumento cruentus eſt, & quia per vim nocet, vitari poteſt: qui vitæ alimentum in venenum vertit, priùs naturam quàm hoſtem violat; & quoniam inſidiis parricida eſt, peragit ſcelus quod abſcondi poteſt. Itaque cavendum eſt: non ut omnino tutus, ſed ne promiſcuo periculo expoſitus ſis, ante omnes cibos Ovum faciet. Hoc utantur ferculo Principes, & minùs tacitas occultasq; parricidarum molitiones timebunt. hactenus enim nemo, qui ovo perierit, inventus eſt. vino, aqua, lacte, ſale, boleto, pomo, & quocumque cibo plures extincti. Poſt eſum nunc ad uſum,

& hinc ad luſum orationem transferam, & hoc agam, quod præcipuè deſtinaveram. Vſus tam varius eſt, ut unde potiſſimùm ordiar, ignorem. Seligere animus eſt, & ex antiquis obiter noſtriq; ævi moribus proferre, quæ, ut ſic dicam, decumana ſint, & præcipuè argumentum illuſtrent. Ante omnia igitur ad Religionem antiquam ſpectabat ovum. Sic Orgia celebrari, ſic Cerealia, partim dixi, partim adhuc dicam. Religionis verò magna pars, luſtratio ſive expiatio fuit, per aquam, ignem, aërem fieri ſolita, tanquam elementis ipſis opus eſſet, ut innocentia atque puritas haberetur, præcipuum hominis bonum. Iam verò non ſatis aqua, non ignis, non aër expiabat, niſi idipſum ovum faceret, ac velut elementum cenſeretur, quod februum eſſet. Ovum inquam tanta religione dignum erat, ovum expiabat; ovum purificabat; ovum aqua, igni, aëre præſtantius ſanctiusq; habebatur. Sic luſtrari torum lectulumq; Ovidius in Arte indicat:

Et ve-

Et veniat quæ luſtret anus lectumq́; locumq́,
Præferat & tremulâ ſulphur & ova manu.

Lucius Apulejus, ut alios omittam, ſcriptores, Ovidium, Iuvenalem, Plinium, non ſine ovo abſolutam metamorphoſin ſuam teſtatur, cùm navem Iſidi, elementorum dominæ, dedicatam à ſummo ſacerdote ſcribit; antè tamen *tedâ lucidâ, & ovo, & ſulphure puriſſimè purificatam*. Sic ſine ovo totum exuere aſinum Lucius nō potuit: & quemadmodum nihil majus erat, quàm è bruto redire in hominem; ita nihil religioſius eſſe poterat, quàm ovo expiationem inſtitui. Magnum igitur crimen, quod, ut eſt apud Iuvenalem, centum luſtrari ovis non potuit. Ad hunc ritum verba Luciani referenda: *Ovum ex catharſio.* Religioni proxima Medicina eſt: ſed hæc vim ſuam in ovo præcipuè oſtendit: imò tolle ovum, & vix medicina erit. De nucleo quid non ſtatuas? ipſum, ut naturæ tradunt myſtæ, putamen ſalutare eſt. Nam

in cinerem redactum, & in vino potum, ſanguinis eruptionibus medetur. Comburi autem ſine membrana oportet, ſic fit & dentifricium: nec promptiore remedio aut mundiore pulviſculo candeſcit oris ſeptum, illuvies ac labes removetur. Ovum vide: hoc colore emaculabis dentes, nec pretium impendes.

Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris,

nitorem, munditiem, candorem, verbo dicam, ovum oſtendes. Idem cinis & mulierum menſes cum myrrha illitus ſiſtit. Quid de membrana dicam? detracta ſive crudo ſive cocto ovo labiorum fiſſuris medetur: etiam tibiarum vulnera, quæ curatu difficilia ſunt, ac remediis exaſperantur, conſolidat. Sed nucleum cõtemplari malo, & paulliſper auctoritate m Plinii ſequi. Candido quidẽ ovi facies illita, ſole nõ aduritur. Ament ova virgunculæ noſtræ. hac enim ceruſſa ſi utantur, larva opus non erit: oſtendent vultũ, quæ ſpectari avidæ: urentem autem Phœbum non exhorreſcent. Præterea ambuſta quæcumq;

aquis,

aquis, ſi ſtatim occupentur, puſtulas non ſentiunt. Hulceribus verò ex ambuſto cum candido ovorum toſtũ hordeum & ſuillo adipe mirè prodeſt. Eadem curatione ad ſedis vitia utuntur: ad pedum rimas ovorum candido decocto cum ceruſſæ denariorum duûm pondere, pari ſpumæ argenti, myrrhæ, & exiguo deinde vino: ad ignem ſacrum candido ovorum trito cum amylo. Ajunt & vulnera candido glutinari, calculosq; pelli. Majores verò etiam lutei vires ſunt. Tuſſientibus devoratum liquidum per ſe prodeſt, ita ut dentibus non attingatur: thoracis deſtillationibus, faucium ſcabritiæ. Coctum ut indureſcat, admiſto croco modicè, item melle & lacte mulieris illitum, dolores oculorum mitigat. Prodeſt & renibus, veſicæ roſionibus, exulcerationibusque, & cruenta excreantibus. Sic dyſenterici, cœliaci, lienici, aliiq; à luteo morbis ſuis remedium petunt. Tota ova adjuvant partum, cum ruta & anetho & cumino pota ex vino. Scabiem corporum ac pruritum, oleo

& cedria miſtis, tollunt. Dantur & tuſſientibus cocta & trita cum melle, & cruda cum paſſo, oleiq; pari modo. Et quid opus omnia perſequi? *Nullus eſt alius cibus, qui in ægritudine alat, neque oneret.* Sed quia Æſculapio ovum jam conſecratum eſt, & medicamenti vim habet, præſtabit omnia, in omnem valebit uſum, quod ſalutem dare potuit. Cibum donat, & hoc parum erat, niſi & domicilium mortalibus præberet. Non hoc dico, in ovo hominem habitare poſſe, niſi quis græco more cœnaculum ὠὸν appellet; aut tantæ magnitudinis inveniri, ut dolium ſive domus fiat, & ſapientiam, ſive ſupellectilem & familiam capiat: hoc dico homines eſſe, *quorum caſæ luto pennisq; & ovorum putaminibus conſtruuntur.* Tales enim Pygmæos nobis deſcribit Plinius: qui tamen aut nuſquam ſunt, aut certè parvi non ſunt, vel ideo magni, quia ſic habitant. Omittere non poſſum, ſpatia olim curriculorum in Circo ovis notata, quemadmodum Livius, Diodorus, Caſſiodorus ſuggerunt, ut hinc

quidem

quidem videri poſſint in Cereali pompa circumferri prima ſolita. Sed quod antiqui in Circo, quid ni in Sphæriſterio nos faciamus? tam pulchrè notari pilæ termini ovis poſſint, quàm quicquid in Circenſi pulvere ſignabatur. Fauſtum eſt quicquid candor notat. ut exiſtimem eos, qui gemino dies colore diſtinguebant, non alio calculo, quàm ovo debuiſſe uti. Sed quia pilæ mentio facta eſt, de luſu, ut inſtitueram, pariter dicam. Quamcumque luſtrate gentem, Auditores, quamcumque ætatem, fuiſſe ubique, & eſſe in deliciis atq; amœnitatibus ovum reperietis. Sanè tractare per oblectamenta paſſim mortales ſolent, pueri, ſenes, mares, feminæ: ſed quiſque ſuo ritu, modo, ingenio. Nemo eſt, qui voluptatem ignoret ovi. Olim non ſine ovo ludi Circenſes, non Cerealis pompa erat. De qua re Varro Ruſticans: *Non modò ovum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis; ſed ne illud quidem ovum vidimus, quod in cereali pompâ ferri ſolet eſſe primum.* In Italia ho-

liâ hodie, ut carptim ludicra noſtri attingam ævi, ſic Bacchus tametſi ſobrius laſcivit. Myſteria ova ſunt, & putes hæc nunc quoque Orgia, imò hæc nunc quoque Cerealia celebrari: niſi tamen à frugum deâ & Proſerpinæ matre, ad vini auctorem & Semeles filium præpoſtero ceremoniæ ritu tranſlatæ ſint. Ova quidem, cùm ſuavi furore in ſexu mendacium, in habitu peregrinitas placet, pompam voluptati faciunt. Sed his deliciis velut in exilium præſtantiſſimus mittitur cibus, ut ſanctiùs revocetur; his exſequiis parentatur ovis, quibus abſtinendum eſt. Ergo efflari medulla anguſtiſſimis foraminibus ſolet, florum ſuccus infundi; teſta verò nunc emblemate ornatur, nunc lineis obducitur, nunc ſtellis ſpargitur. Putes ovum in gemmam converſum, & ſic vacuum pretioſius eſſe pleno. Hæc munera in ſinum dominæ amator mittit, hæc miſſilia in populum ſpargit. Alius blando jactu feneſtras petit, alius parietes flagellat, alius limina ſalutat: quamcumque formam
quiſque

quiſq; dignam putat ovo. Suavis hęc, & interdum ſereno cælo tempeſtas eſt. Quid dicam? Iovis perſonam, ut & Dii jam larvati ſint, ipſe Bacchus ſumit: gtandinem hibernâ adhuc manu miſſurus, ova jaculatur. ac jam putares in ova grandinem ſuccreviſſe. Hic capite, ille pectore, iſte manu ictum excipit, nemo tamen læditur: perluitur, & odorem amat. Honoris & Amoris ſignum ovum eſt. Enarrare omnia, tœdioſum ſit. Paſchale autem ovum nemo ignorat: ubique celebratur. Sed lepidum illud, quod intelligo apud Germanos alibi vigere. Cùm poſt eſuriales ferias, ad ova & viſcerationem reditur, in prata exeũt, & curſu certaturi, ova ſportis efferunt. Centum, ducenta, aut plura ordine & paſſus unius intervallo in longam lineam locata extenduntur. Hæc ſingula itu redituque in ſportam juxtà poſitam properiter infert: meta antagoniſtæ conſtituta, quam interea currendo emetiatur. Certamen eſt, uter celerior ſit; hic currendo, an ille colligendo. Sed ſi ovum rumpit, jam col-
lector

lector priuſquam abſolvit, victus eſt. Iucundum ſanè atque honeſtum ſpectaculum, quod ut imitari luberet, libentius recenſui. Belgæ verò ovi tripudium quoddam habemus paſſim, atque inſtituimus. Saltant ſinguli, ſeu pueri, ſeu puellæ, gyrosq; lege quadã ducunt. Ovum circulo incluſum, & lignea ſcutella tectum jacet: hanc inter ſaltandum pedibus comprehendunt, & nudato ovo ad numeros circumferunt. Cùm fecerunt omnia, eodem involucro rurſus ovũ operiunt. Ruptum verò aut læſum velut in pœnã ſorbent. Plura ſunt, ſed breviùs abſolvere non poſſum, quàm ſi nuces puerorum, ova dicam eſſe omnium. Nunc ut magis etiam ludam, ad Somnia dilabi orationem patiar, ut dormientes quidem ova, at vigilantes inveniamus myſteria. Sed vos interea agite Auditores, quod agitis: ſilentio velut ſomno opus eſt: hunc verò ſtrepitus omnis violat. Mehercle tam facilè frangi oratio, quàm ovum poteſt. Medicos igitur & pictores primùm alloquor. ſiqui adeſtis, favete dicenti: vobis enim

enim peculiari interpretatione propitia ſunt ova, aut me Artemidorus fallit. Non jam dicam, edite, ſed ſomniate ova, quæ præſcribere & præbere decumbentibus conſueviſtis. Datis ſalutem, & ecce felicitatem recipitis: per ſomnium honores divitiæq; obveniunt. Rem augebit Medicus, augebit pictor, ſi ovum ſomniabit. Medicus quidẽ, quia non alio ipſe pharmaco prodeſſe magis mortalibus poteſt; quia vitam viresq; donat. Pictor autem, quia admirandâ quadam arte & velut mixtura lucis & umbræ colores animat, vitamque exprimit, quæ & in ovo eſt, & ovi potiſſimùm imagine deſignatur. Sed & ovum ad colores facere Plinius alibi teſtatur: *Pingentes ſandyce ſubditâ mox ovo inducentes purpuriſſum, fulgorem minii faciunt.* Medicorum Pictorumq; prærogativam pariter uſurpant, qui quæſtum ex ovis faciunt. Quid reliqui? quid vos omnes qui adeſtis & auditis? Si pauca ſomniabitis, fauſta evenient, διὰ τὸ τρόφιμον: ſi multa, curæ, anguſtiæ, lites timendæ ſunt. Quemadmodum

dum enim pulli ex ovis nati ruſpari pedibus terram ſolent, & eruere quæ latebant: ita fortuna eſt, & ſæpe quæ ſepulta velles in lucem protrahit, atq; malignitate ſua quietem mortalium velut ex tranſverſo turbat. Nicephorus, qui interpretationes ſomniorum ordine alphabeti expoſuit, ova coquere aut tenere indicium vult eſſe mœroris; edere cocta, divitiarum. Idem ferè Achemetes, ſed diſtinctiùs fuſiúſque. Ego tranſire ad exempla malo, & erudita voluptate mulcere aures, quibus jam longiori oratione fortaſſis moleſtus ſum. Somniavit ſervus quidam, ovum ſibi ab hero, ſed coctũ tradi: quod ille ſic accepit, ut nucleo uteretur, putamen abjiceret. Quid factum? Prægnans hera erat, & mox filium enixa è puerperio periit. Servus igitur infanti nutricius datur, qui tum demum intellexit, mulieris gravidæ imaginem ovum eſſe, cocto maturitatem fœtus deſignari. maternum corpus vita deſtitutum pro putamine habitum. Sanè educandus infans non poterat, niſi abſolutiſſimo nutri-

menti

menti ſimulacro, id eſt, ovo repræſentari. Somniaverat alius, ut apud Suidam Chryſippus teſtatur, è lecti faſcia ovum dependere. conjectorem conſulit: is reſpondet, defoſſum ſub lectica theſaurum latere. Fodit, vas invenit, in quo auri argentíque velut nucleum ignota avaritia concluſerat. Lætus inſperato lucro communem eſſe Mercurium voluit, & fucum fecit. Conjectori de ſequiori metallo dedit, quantum eſt viſum. Tum ille venuſtiſſimo dicterio ampliorẽ mercedem exigens, Nihilne, inquit, de vitello? Vas ſanè ovum erat; nec poterat niſi luteo aurum, niſi candido argentum notari. Addam, quid amico cuidam meo & ſodali olim ſtudiorum contigerit. is cùm Patavii ageret, & domo ſubſidia nummorũ exſpectaret, viſus ſibi à tabellario ovum accipere, mox frangere, & nucleo toto corpus perungere. Verum profectò ſomnium fuit. Etenim paullopoſt tranſmiſſa pecunia eſt, quæ partim aureis, partim argenteis conſtabat nummis. atque hoc candidum luteumq; ovi erat.

Sed

Sed quid? vix nummos acceperat, & in graviſſimum morbum incidit, quo omne illud aurum argentumq; conſumptum eſt. id enim erat corpus inungere. Nunc poſt ſomnia amœnus etiam ero, & laudibus hiſce velut pompam adjecturus, in tota rerum natura imaginem ovi oſtendam. Tanquam aliter aut pulchra omnia aut perfecta non eſſent, ſic aut fieri aut comparari debuerunt: formam inquam ovi, aut certè ſimilitudinem ſortiri. De cælo quidem, ſuo jam loco dictum eſt: & hoc tamen Deorum domicilium Pythagoras & Democritus ovi nomine appellarunt. Nemo poëtarum ut maximè fingeret, veriori imagine ornare ſermonem potuit. quicumque ſic luſit, philoſophum egit. non depinxit cælum, ſed expreſſit. Elementa ſi inſpicere grave non eſt, non aliter aëris regiones diſtinctæ ſunt, quarum infima gemino velut vertice in æquinoctialem circulum extenditur: media in ipſos polos. putes in contrarium ova iacere ac librata eſſe, imminuente rigorem Sole, quà

recti

recti ſunt radii, & impuriore ſub axe utroque plagâ. Qui Oceanum navigarunt, & audaciâ pluſquam Herculeâ orbem terrarũ emenſi ſunt, hunc quem incolimus globum ovi figura ſuſpenſum eſſe,& in Orientem Occidentémque longiori ſui parte porrectum tradunt. Pleræq; urbes nonne ſic ſtructæ ſunt? nónne quæ in urbibus opera & ornamenta ęternitati publica magnificentia dedicavit? Olim quidem Amphitheatrum ipſum tam ſpatio ſive arenâ quàm cuneata mole in ovi formam circumſcriptum fuit. Circus etiam ſive hippodromus, qui Soli conſecratus, naturæ miniſteria, ut cum Tertulliano dicam, ſpectaculorum compoſitâ imaginatione luſit, in ovi lineam flexit aurigationem, ut toties ovum eſſet, quoties curreretur. In ipsâ Circenſi pompâ nonne ovum fuit? Oſtendi. Sed & factiones quadrigariorum gemino primùm colore diſtinctæ & nominatæ erant, ut ſic velut ovi partes pingerentur. Colore inquam albo, ruſſeoq;. Vnde Albati & Ruſſati qui aurigabãt, non cer-

ſamine tantùm, ſed veſte, ut propriè dicam, factioſi. quos ſi componeres, ſignificare poſſes, quicquid gallina parit. Circus ſeptumque velut teſta erat, reliquum ovi utraque inſigni ſuo factio repræſentabat. Sed cùm ovum dico, mundum, & hîc peculiariter annum intelliges, niſi ſuperſtitionis myſteria imperitè Tertullianus vexarit. De ſpectaculis, *Aurigis coloribus*, inquit, *idololatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, albus & ruſſeus: albus hiemi, ob nives candidas, ruſſeus æſtati, ob Solis ruborem voti erant. Sed poſtea* (lubet enim adjicere) *tam voluptate, quàm ſuperſtitione provectâ, ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt: praſinum verò Terræ matri vel Verno: venetum cælo & mari, vel Autumno.* Ergo praſinus venetusq; acceſſere. *De Praſino Conviva meus Venetoq; loquetur.* In qua re obiter tamen diſſentit Caſſiodorus, qui praſinum virenti verno, venetum nubilæ hiemi, roſeum æſtati flammeæ, albũ pruinoſo autumno dedicatum ſcribit. Sed hæc fortaſſis à ſtructuris abeunt: in qui-bus

bus ovi potiſſimùm imaginem, non colorem expendebam. Græci igitur veteres, ut eſt apud Athenæum, ſic ædificare cœnacula ſoliti ſunt, atque etiam nominare: quid niſi pulcherrimam aptiſſimámque humanis uſibus fati formam, quæ maximè naturam, id eſt, ovum ſequeretur? Quare ὦϊα erant; quæ poſtea ὑπερῷα dicta. nec alio errore audax fabula fuit, Helenamq; ex ovo prognatam poëtico prodigio divulgavit. Ædepol decepti fuere non minùs qui id traderent, quàm qui crediderunt: imò verò decepti non fuêre, niſi intereſſe dicas, & tantùm non portento diſtingui, ex ovo, an in ovo, quis naſcatur. Helena quia in ovo, id eſt cœnaculo nata eſt, ex ovo prodiiſſe credita; & pro Tyndaro Iovem invenit patrem: Quid? Cygnus fieri adulter debuit, & in deo turpiſſimum crimen excuſari. Relinquo nunc iſta, & hominem intueor, quem & corpore toto, & membris omnibus aut ovum eſſe, aut ex ovo fatearis. Etenim naſcendo quiſque & ubique, quemadmodum dixi, ὦϊον ſive

ὑπερῷον faciet. Et primùm quidem præſtantiſſima ſenſuum inſtrumenta velut ſe ingerunt, oculi, lingua, aures. Etenim vides velut ovo, loqueris ovo, audis ovo. Scrutare oculum, hoc eſt quod dico: os & linguam, deprehendes ſimilitudinem : aurem denique, pari ambitu deſcriptum capreolum orbiculumq; invenies. Et quid mirum ſic partes eſſe? ipſum caput eſt, & à vertice velut planiore faſtigio in mentum ovi imagine acuitur. Sic quod natura egit, ſequi & ars ſolet. Pictor ut vultum hominis, ſive lineis ſive coloribus conſtituat, ab ovo orditur. Ipſa quoque pictura vultus ut fundum in tabula ſpatiúmq; habeat, venuſtiùs ovi, quàm circuli, aut quadrati termino, velut horizonte claudi ſolet. tanquam non aliam formam ornamentum amet, quàm ipſa jam imago adepta eſt. Etiam in homine eæ partes ova dicuntur, ſine quibus vir nemo fuit. Galenus certè in libello Iſagogico didymos teſtes appellavit. Didymon igitur tibicen, ut in Græcorum eſt monumentis, non alie-

nam

nam ab hac imagine dignamq́; crimine ſuo pœnam ſuſtinuit. Etenim in adulterio deprehenſus, ἐκ τοῦ ὀνόματος ἐκρεμάσθη : *ex nomine ſuſpenſus eſt*. Quippe ἐκ τῶν διδύμων, id eſt, è teſtibus. Hæc liberioris ſunt commatis: ad manus tranſeo, velut præcipuum, ut Iſidorus appellat; corporis munus. Has à carpo ad extremitates digitorum circumſcribe, ovum habebis. Sic & ungues ſunt, & alia ferè (ne orationem extendam) membra. Totum verò corpus ſi anſatum ſtatuas, ovi linea includet ; quemadmodum plenum propemodùm circulum extenſa brachia dare ſolent. Iam & cranium hominis manifeſtum velut ovum eſt. Ac venuſtè quidem Nicias poëta, ut rideret effeminatum & calvum, ὠὸν, inquit, ἅπας γέγονεν: *Ovum totus factus eſt*. Mollis ille canitiem non ferens, fuco tingere capillos non deſinebat : ſed cùm ſic continuum cum naturâ negotium eſſet, neque nives capitis vinceret, hoc egit, ut vitiata cute capilli defluerent, Neſcio tamen an dignus, ut ovum fieret. cer-

tè calvum eſſe, malũ non eſt: ſic fieri, vitium puto. Rectè verò: non invenit laſcivia crines, quia tinxerat. Sic puniri debuit, qui formæ decus in florido capillitio collocaret. Hominem & partes ejus præcipuas vidiſtis, Auditores: quæ infra hominem ſunt, & partim natura, partim induſtria conſtituta, ovi paſſim videntur imagine inſigniri. Qui in hortis & amœnitate eſtis, ruris & pomonæ delicias expendite. Nuces, glandes, pyra, pruna, corna, mora, & id genus, ovum referunt, aut imitantur: ut non fruſtra Empedocles arborum fructus ova appellarit. Folia quoque, ſi examinamus, ſic ferè admirabili naturæ ingenio circumſcripta ſunt, non ſatis colore formoſa, niſi & forma commendentur. Quid margaritis pretioſius? laudantur tamen, quæ & forma & magnitudine ad ovum proximè accedunt, candore niveo & longitudine faſtigiata, elenchi Romanis vocitati, ut teſtatur Plinius. Quin & Vnionum nomen maximè grandibus margaritis Romani impoſuêre

bello

bello Iugurthino. Sed inſanit mortalium luxuria circa benigniſſimam naturam. Ovum quærimus in margarita: cùm in ovo margaritam habeamus. Placent ſuperbiæ inſtrumenta, corporisq; totius onera, quia per damna & pericula quæri debent: quicquid promptum, paratum, facile eſt, ſtultiſſima opinione evileſcit. Ovum ſi concha clauderetur, & ſuppliciis quoque munitum eſſet, placeret luxuriæ: ſi ab Indico Oceano, aut ſinu Perſico petendum eſſet, pretio res omnes, & ipſam margaritam vinceret. Sed quid eſt? quod quiſq; habet, nemo æſtimat; quo quiſq; fruitur, id in deliciis non cenſetur. In ſupellectili quoque hæc inprimis forma placet. ſic pelves, lances, cochlearia fieri ſolent: & hæc quidem dimidiata velut ova ſunt, ut cibo ingerendo longè rotundis aptiora. Neq; machinæ abeunt: Naves ferè omnes quid niſi ovum repræſentant? inſtrumenta muſica quid niſi ovum? Teſtudinem potiſſimùm reſpicio, ſive illam veterem, ſive illam noſtram, nam profectò ſi *jugum*

excipias in noſtra, cornua ſive brachia in veteri, ſciſſum & dimidiatum vides ovum. Sic ut ubiq: eſſet ovum, etiam organum fieri Muſarum debuit, & *laborum dulce*, ut ait Lyricus, *lenimen* in ovum commutari. De teſtudine parũ eſt, Simmias Rhodius tam ingenioſus fuit, ut & carmen ovum faceret, & Dianæ offerret. Quod & alii deinde viri docti numeris potiſſimùm dactylicis imitati ſunt. Ovum, ſed Luſciniæ, id eſt, avis μουσικωτάτης, tanquam natales ipſius adumbrans Muſicæ, quæ altiori ſtare origine non poteſt, quàm ſi ab ovo, id eſt ab ipſo principio deducatur. Hæc igitur omnia ſi magna, aut mira ſunt; miracula, ac pænè prodigia adjiciam, publico velut ſtupore quodam, encomium ſic nunc ſatis decumanum obſignaturus. Etenim qui naturæ occulta ſcrutati ſunt, tradunt, filum medio circumdatum ovo, & prunis & flammæ reſiſtere, nec ardere. Sic igitur non fruſtra coronatur ovum: nam quod accepit diadema, in ipſo quoque igni illæſum ſer-

vat

vat ac tuetur. Dureſcere albumen, & prorſus in lapidem, ſi auræ exponatur, experientia docet: volunt & nonnulli luteum. Fortaſſis, quia aliquando ut homines fierent, lapides in ova converſi ſunt, cùm magnæ parentis oſſa poſt tergum Deucalion jaceret. Etenim priuſquam rigore poſito formam humanam induerent, in ova emollita ſunt, ac deinceps in corpus ac membra. Sic quidem minùs abſurda prima metamorphoſis ſit, ſi non è ſaxo, ſed ex ovo terræ incola prodiret. Narrant quoque ſubtilitatis myſtę, in ventriculo bovis inventũ eſſe ovum, lapidi ſimile, magnitudine anſerini, colore ferrugineo, leviſſimum leniſſimumq́;. Quippe ita natura ludit, ut etiam quandoque boves ova pariant. Iam verò ſic emolliri, ut per annulum trahas, aut urceo includas, vis aceti docuit. Candidum calci vivæ admiſtum, glutinat vitri fragmenta. *Vis verò tanta eſt*, (cum Plinio hoc quoque dicam) *ut lignum perfuſum ovo non ardeat, ac ne veſtis quidem contacta aduratur.* Ergo ovo quon-

dam ſi munitus fuiſſet Hercules, viciſſet rogum, qui cuncta perdomuit, & centauri dolum, quo in ignem tracta fuit Herois omnia vincentis virtus. Quid venenum poſſet? ovum antidotum eſt: Quid flamma? ovum gelu eſt: niſi tam admirandæ poteſtatis naturam puritati malimus adſcribere. Etenim vis indolesque ignis eſt purificare. Sic quicquid recipit, conſumere mavult, quàm immundum relinquere. Illæſum verò manet integrumque, quicquid catharíſmo non indiget. Ejuſmodi ovum eſt, purum, totum, ſerenum, perfectum, imò cętera purificare natum. Quid februis obnoxium eſſet? nulla hic excrementa, nullæ ſordes, nullæ fæces ſunt: ſpiritus eſt, quicquid color diſtinguit, quicquid putamine clauditur, quicquid in cibum benigniſſima natura præbuit. Non mirum igitur, inventos olim eſſe homines, & nunc inveniri, qui ut pulcherrimā, & propemodum divina haberent nomina, ab ovo, ejuſque partibus appellari voluerunt. Ingenioſus quiſpiam, & Vitellios à Vi-

tello

tello, & Albinos Albutiosq; ab albumine derivabit. Sed ſatis hæc jam multa : de ovo quodcumque dixeris, miraculum eſt; imò ovum eſſe, hoc ipſum miraculum eſt. Ego, quantum bona dictavit Suada, humanitati omnium veſtræ credidi : non quæcumque fortaſſis dici queunt, ſed quę loci temporisque ratio paſſa eſt, deprompſi. Nullis laudibus ſatis extolli Ovum, maximum Encomium eſt. & tanquam omnem vincat eloquentiæ majeſtatem, à nemine hactenus, quod ſciam, celebratum eſt. An mirum? Edi non poteſt (& hic paſſim ritus legem fecit) niſi ut errorem etiam deliciarum peritus timeat: ſic nec fortaſſis laudari poteſt, niſi pariter Encomiaſtes delinquat. Religioſiùs nemo ſtruxit ferculum; ſepties peccari ſolet: nemo magis arduum argumentum explicuit; mera hæc myſteria ſunt. Si rectè expendimus, difficiliùs etiam dicas ovum, quàm comedas. Veſtrum erit, Auditores, hæc tanquā amœna, & ſimul tanquam ſeria amplecti. Qui jucundi eſtis, flores litterarum

ERYCI PVTEANI PAVCVLA DE MORTE:

Quemadmodum diſſerere quotidie ſolet.

* * *

GENEROSIVS dicam: in virum fortem magnumq́; mortis metus non cadit: nec bene vivit, qui ad mortem paratus non eſt: paratus autem non eſt, quiſquis timet. Mori, naturę opus eſt. hoccine detrectas, quod omnibus incumbit? Quemcumq; eſſe mortuum noſti, vixiſſe conſideras: vixit autem uti moreretur. Hæc neceſſitas omnes urget, ut qui cœpit, eſſe aliquando deſinat. Natura quidquid compoſuit, etiam reſolvit. O illum imbecillum igitur, qui hoc timet, quod omnibus commune eſt! qui hoc timet, quod evitare nulla ratione poteſt! qui hoc timet, quod familiare eſſe humano generi, infinita jam multitudo oſtendit. Quid tremis aut horreſcis? An primus fati hanc viam ſubis? à rebus conditis, agmen illud morientium cœpit: turbam ſequeris: & te quoq; quic-

pectore ac faucibus querimur: aliàs nervi nos, aliàs pedes vexant: nunc dejectio, nunc deſtillatio: aliquando ſupereſt ſanguis, aliquādo deeſt: hinc atque illinc tentamur atque expellimur. Hoc evenire ſolet in alieno habitantibus.] Sic eſt: neque enim domus, ſed hoſpitium hoc corpus eſt: & brevem omnino moram hîc trahimus, ſi cum æternitate comparetur. Quòd ſi verò inexorabiles Parcę ſint, & urgens mortales omnes fatum; quid unus ego horreo Naturę leges; & tam audax ſum, ut vereri ſuſtineam? Nimirum non tam mortem genus humanum, quàm præmaturam omnes timemus, & tamquam leges ſcribamus Deo, in ſenectutem rejicimus. Formidat igitur quiſque mortem, ne præoccupet: ſed neſcit miſer, jam ſenem eſſe quicumque moritur: omni anno, menſe, die, horâ claudi vitam poſſe. [Erramus autem, qui ultimum timemus diem: cum tantumdem in mortem ſinguli conferant. Non ille gradus laſſitudinem facit, in quo deficimus, ſed ille profitetur. Ad mor-

tem

tem dies extremus pervenit, accedit omnis.] Iulius Baſſus dicebat, [Tam ſtultum eſſe qui mortem timeat, quã qui ſenectutem. Nam quemadmodum Senectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Vivere noluit, qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data eſt: ad hanc itur: quam ideo timere dementis eſt, quia certa exſpectantur, dubia metuuntur.] Hoc ſemel nobis perſuaſum ſit, naturam in omni ætate mortem eſſe. Sed video quid ſit: in malis hanc ipſam ponimus, quam timemus; in malis autem non eſſe, Seneca ubique & eleganter diſſerit. Sed hęc nobis clauſula placeat: [Non recipit rerum natura, ut aliquis magno animo accedat ad id quod malum judicat: pigrè veniet & cunctanter.] * * * *

FINIS.

ERYCI PVTEANI
PALÆSTRA
BONÆ MENTIS,
Eloquentiæ & Sapientiæ
OFFICINA,

Auctoritate Sereniſſimorum Belgicæ Principum LOVANI *inſtituta.*

LOVANII,
Typis Io. CHRISTOPH. FLAVII.
Francofurti apud LVDOVICVM
ELZEVIRIVM.
clↄ Iↄc. XV.
Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSmo POTENTmo

OPTIMO
ALBERTO
ARCHIDVCI
AVSTRIÆ,
DVCI
BVRGVNDIÆ,

PRINCIPI DOMINO PATRI
BELGARVM.

MAGNITVDINIS Tuæ Famam, SERENISSIME PRINCEPS, venerabor, ſi de LITTERIS

loquar. Eæ excelſæ quædam dotes ſunt, & quoties magnum aliquod pectus invaſerunt, propè divinæ. Homines inter homines olim inclyti, & qui Deo velut proximi cæleſte in terris munus ſuſtinebant, Bonarum Artium numina coluerunt: quaſi Regno ac Diademate digni, quos Sapientiæ Genius extuliſſet. Pulchrum videlicet erat, parem Imperio habere Mentem; non tam regere multa, quàm ſcire: ut tantam quiſque caperet Animo Potentiam, quantam Sceptro uſurparet. Atque horum, ut conditio; ſic

quo-

quoque gloria Tua eſt, Po-
TENTISSIME PRINCEPS, qui perfecti exemplum, ævi repræſentans, nihil deeſſe votis noſtris paſſus es. Nuperam belli tempeſtatem cùm tot Victoriis, quot Virtutibus mitigaſſes, & cruento Marte nolles vincere; Pacem & Pacis ſtudia amplexus es. Quid multis? Aureum Belgis reddidiſti ſeculum; ut qui Optimus eſſes, Feliciſſimis quoque populis imperares. At poſtquam caſtrorum ſtrepitum miſſa cælo tranquillitas compeſcuit, deprehenderunt omnes, in Aulæ tuæ Sacrario junctam Virtuti

Minervam habitare. Etiam ad Academiæ noſtræ colles gloriæ iſte rivus promanavit; & tanquam ibi habitares, ubi Muſæ coluntur, novo favoris exemplo excitare ad eas potiſſimùm Artes ingenia Belgarum voluiſti, quas & amares ipſe maximè, & intelligeres, cum damno atque dedecore publico jacuiſſe. Ego certè, quo in munere benignus me Liberalitatis Tuæ affectus aleret, ignorare non potui: & vel hinc nemo, quanti LITTERAS faceres, quibus admotus ſum. Igitur ut PRINCIPI meo placerem, prodeſſem omni-

omnibus, laborioſo adjeci moleſtiam muneri; & ut quàm utiliſſimè Docerem, EXERCERE Iuventutem in optimo genere ſtudiorum aggreſſus ſum. Sed hîc quoque conatum meum induſtriámque incredibilis & promptiſſima Humanitas Tua vicit: quantum Iuventuti petii, conceſſum fuit. Univerſum verò Inſtitutum, quâ Prudentiâ expendiſti, eâ Auctoritate confirmaſti. Nihil fuit, quod non ſummo affectu proſecutus ſis. Ne ſorderent deinceps LITTERÆ, præmia Diſcentibus addicta ſunt; &, ut omnia vide-

teris promittere, IMAGINEM quoque donaſti, aureo velut favoris radio omnium pectora accendens. Hæc igitur PALÆSTRA BONÆ MENTIS eſt: quę uti vitam à perenni Serenitatis Tuæ aurâ accepit; ita jam producta, divinum tot Virtutũ ſubire jubar audet, ut vires accipiat; & perferre hominum injuriam poſſit. Tantum enim adhuc à moribus ſeculi impetrare non potuimus, ut, quemadmodum Animi Ingeniique cultus Serenitati Tuæ placuit; ita Iuventus utrumque capeſſeret; & vellent omnes publico iſto E-

legan-

legantiarum rore Ingenia imbui, quo Felicitas omnium nutritur. Etenim, cùm ubique terrarum Magnis Doctisque hominibus velox Fama EXERCITATIONES haſce commendaſſet, & Academiæ nomen etiam PALÆSTRÆ beneficio creſceret; domi felices eſſe honeſtiſſimi conatus non potuêre. Quicquid feceram, Invidiæ ſcopulis Malignitas illiſit. Tam ſuaviter etiam nocere aliqui anniſi, ut nefas putarent, BONAE MENTIS nomen LITTERIS concedi: putarent, cum damno inſtitui, quicquid ipſi

non inveniſſent. Satis jam doctus erat, qui PHILOLOGIAM poſſet contemnere: multúmque ingenioſus, qui aut in circulo, aut in convivio rationem Inſtituti ſarcaſmate conſpuere. Quid ampliùs? PALAESTRA, quia Serenitati Tuæ placuit, hoſtes invênit. Ita factum, ut qui BONAM MENTEM neſcio quibus ludibriis exagitarent, proterere dignitatem LITTERARVM non potuerint, niſi & in PRINCIPEM ſuum peccarent. Sed res omnis nova hoc infortunio mactatur; difficilis eſt: originem Livor ſolet concute-

re,

re, progreſſum Calumnia; nec quicquam omnium tam bonum unquam fuit, quin diſpliceret malis. Sed in hac judiciorum corruptelâ puræ tamen faculæ relucent: Viri Magni, clari, candidi, & rerum examen ſeverâ ſoliti trutinâ caſtigare. Nam ut integerrimos invictóſque SOCIETATIS IESV Athletas, & LITTERARVM Atlantes omittam, qui Diſciplinas omnes, bono ſeculi, ad cultum revocarunt; plures adhuc circumquaque Fautores numero, quàm Æmulos; & plures Amicos, quàm Obtrectatores. Sed quid eſt? ſplen-

ſplendere Inſtitutum meũ, umbra indicat: & non omnibus placere, virtutis ſignum eſt. Ego, quia reducere Elegantias conatus ſum, offendi: quia hoc egi, quod promereri plauſum Poſteritatis poſſet, Livoris tela irritavi. Tantum ſcilicet ſibi ſumunt, qui Muſarum non ferunt ſtudia; qui ut bonis conatibus nebulam objiciant, maligni eſſe ſuſtinent. Sed illi quidem cùm perverſiſſimæ naturæ obſequuntur, hoc maximè peccant, quòd ignorent, quàm iniqui ſunt. Primùm enim, ne floreat Academia, Famam impediunt: quip-

quippe qui ſolo LITTERARUM amore longinquas petunt terras, arceantur. Deinde noſtra Iuventus ſi negligit Humanitatis ſtudia, habitare hîc magis videtur, quàm diſcere: namque magnis inſtructa ſcientiis, ſi Eloquentiâ & Prudentiâ careat, faſtoſa & inutilis eſt. Paucis: nocetur Vrbi, nocetur Academiæ: Reipublicæ, & Religionis fructus retardatur. Si rectè calculum ponimus, ſubſidia omnis Doctrinæ, ornamenta omnis Virtutis, fulcra omnis Vitæ, LITTERÆ ſunt: proſcribit hæc omnia, & è medio tollit, qui

LIT-

Litteras. Sed ille, ut omnia dicam, optimum optimi Principis ſui Genium violat. Meum igitur erit, diſſimillimum me præſtare iis, à quibus reprehendor: ut ſciam, quid Optimo Principi Pietas ſubditorum debeat; ſciam, quo fructu obtrectationes, non duraturas, concoquã; & quàm facilè ſpernere impedimenta poſſim, Serenitatis Tuæ præſidio munitus. Confido; nihil moleſtiæ poterunt: fumum mox flamma diſſipabit, dies noctem, invidiam gloria. Non ceſſiſſe malis, victoriæ auſpicium eſt. Suave olim erit,

rit, in re laudabili habuiſſe adverſarios; pulchrum, per tot impedimenta PALAESTRAM creviſſe; glorioſum denique, repperiſſe ſubſidia ab ipſo, quem omnis admirabitur Poſteritas, PRINCIPE: Pergam igitur Tuo juſſu, & ne inutilis Iuventuti aut Academiæ vixerim, LITTERARVM, BONAEQVE MENTIS agam cauſſam, ſemel ſuſceptam. DEVS aderit, Tu aderis, SERENISSIME PRINCEPS, ut quantum pro Religione & Republicâ generoſus hic ſpirat animus, viribus exſequar. Neque tam bona vota ſiniſter

niſter eventus excipiet.
PALAESTRAM quia eſſe voluiſti, exordia habuit; quia durare voles, incrementa ſumet, &

Caneſcet ſeclis innumerabilibus.

Vt autem omnes ſciat, quâ origine cœperit, quâ ſtabit perennitate, Sereniſſ. Nomini Tuo eam Dedicamus. Vive OPTIME PRINCEPS, & feliciter impera. Te ſuperſtite, miſeri eſſe non poſſumus: in Te, quicquid ſperare Belgæ audent, conſecuti ſunt.

ÆTERNITATI TVÆ

Devotus

Erycius Puteanus.

A D

AD LECTOREM.

PALÆSTRAM BONÆ MENTIS, *quam inſtitui,* LECTOR, *nunc etiam produco: ſi vanam aut inutilem, ut inſectari audacter pergant, qui ſibi immenſum ſapiunt; ſi fructuoſam & honeſtam, deſinant maligni eſſe. Sic jam vivitur, ut peccet, quiſquis pro Litteris aliquid audet: ego verò nec ſilere crimen meum diutius poſſum, niſi ut accuſem; nec abſcondere Inſtitutum, niſi ut ingenia retardem. Pridem placerem hoſtibus* BONÆ MENTIS, *ſi aut ignavus eſſem, aut quàm pauciſſimos erudirem. Sed in eo verſor munere, ut otiari non debeam: bene etiam mereri de Iuventute non poſſum, niſi multorum calumniis induſtriam exponam. Pulchrum verò, ſtrenuè agere; impedimentis nequaquam frangi. Quam nactus fui Spartam, adornare cæpi. Suadæ*

ſororem EXERCITATIONEM *eſſe om-
nes ſciunt: ad hanc præivi. cùm vilis labor
fructum dignitatemq́; Litterarum ſepeli-
ret, pompam quæſivi; nec infeliciter cona-
tus ceſſit: quantum impetrare ſtudiis meis
muneriq́; potuiſſem, Iuventuti impendi. Sed
quid eſt? infra humanitatem dignationém-
que optimi* PRINCIPIS *jacere aliqui
vellent hæc ſtudia, ut glorioſè contemne-
rent; faſtidire magnificè, ut honeſtè neſci-
rent. Meâ quidem cauſsâ ferre poſſum,
& vel non audire, quicquid imperitia gar-
riat atque ſtrepat: at Iuventutis, nō poſſum.
Nimis facilè negligit artes, quas videt infa-
mari; pulchrumq́; putat, ignorare, quæ cum
dedecore diſcuntur. Ergo ſplendore quodam
veſtienda hæc* PALÆSTRA *erat, & ad-
dendus apparatus, ne Litteræ ſorderent. In
Italia quidem Illuſtriſſimus & Reveren-
diſſimus* CARDINALIS BORRO-
MÆVS, *ille ævi & hominum eruditorum
Phœbus, ſuaſu quoque meo hanc honoris
viam ingreſſus eſt; & cùm centum Aureo-
rum millia Litteris, Libris, Viris impendiſ-
ſet, invênit, quod majus & efficacius tantâ
liberalitate haberetur. Tituli & inſignia
decreta ſunt; Equites ſcripti, qui Philolo-
giam*

giam promoverent; dignum Numiſmate aureo pectus habitum, in quo Muſæ habitarent. Ite jam, & pompam accuſate, qui ſine Litteris Docti eſtis: aut Litteras promovete, qui pompam non fertis. Quàm difficile ſit, ſqualorem ingeniorum corrigere, tot hic quoque moleſtiis laboribúſque viri paſſim doctiſſimi confeſſi ſunt. tantum efficere non potuêre, ut quod corpori daretur, animus inveniret: à Scientiis ornamenta ſecreta ſunt. Si res dicenda eſt, placent nonnullis tenebræ, quia lucem non ſuſtinent; ſordes, quia moleſtiam nitor habet. Vellent etiam omnes ſine labore eruditi eſſe; ſine mora magni. Vt patiar, fateárque eſſe quod accuſent, EXERCITATIONES *ſunt, ad quas voco; & in* PALÆSTRA *inſtituuntur. Aliquid hîc quoque agendum eſt, ut loqui cum laude incipias, cum fructu ſapere. Nemo Romam veniet, ſi proficiſci nolit. Iter oſtendere, ductoris opus eſt; tuum, facere. At certè totum hoc iſtud iter quoddam eſt: ad Eloquentiam, Prudentiam, Sapientiam, uno verbo, ad* BONAM MENTEM *Auditor meus tendit; quem cupio*

Μύθον τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.
DIRECTOR *ego,& quò eundum,quid faciendum, doceo. Fruſtra ſingula conor dicere: totum complecti Præfatiunculâ Inſtitutum non poſſum: intelliges inſtitutum, quiſquis uſurpabis.* *Lovanii*, XI. *Kalend.Octobr.* CIↃ. IↃC. XI.

ERYCI PVTEANI

PALÆSTRA BONÆ MENTIS.

IN PALÆSTRA BONÆ MENTIS Animi ingeniiique cultus eſto: Hermathena eſto; ut Principi Patriæq; Iuventus placeat,Sophiæ ſtudiis atque Suadæ. Vtriuſque hæc ſacra, quæ ordimur; utriuſque præmia, quæ promittimus: Inter homines,inter cives eminere. Tu, cui ætas bona, etiam Mentem facito: Dignum te Majoribus, aut Poſteris reddito: Virtutis nominiſq; boni inſtrumenta capeſſito;imò facem, quâ in curſu ac certamine ſtudiorum luceas. Si fas dicere, Prometheus adſum, & quem accendi elo-

quentiæ radium, trado: DIRECTOR adſum, & qui voce ſoleo, nunc te manu duco.

SVMMVM *perpetuúmque in Palæſtrâ munus, auctoritate fultum Principis,* DIRECTOR *obtineto.*

Ex ipsâ Iuventute ARBITER, *&* CVRATOR, *eliguntor. Horum dignitas ſemeſtris eſto.*

ARBITER *cum auctoritate eſto, Imaginem Principis gerito. Honoris prærogativâ publicè privatimq́; fruitor. Quam ſuſtineat perſonam, jugi induſtriâ exprimito. Quod gerat aurum, animo oſtendito. Homericum illud ſibi habeto:*

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Ergo ſtrenuè ſe gerito, ceteris ſpecimen eſto, in oculis Principis ſe verſari cogitato. PALÆSTRAM *adminiſtrato. Ad Viros magnos doctóſque Litteras mittito. Si qui tales ad Academiam venerint, viſito: Cultum obſequiúmque ſolennibus verbis deferto, Nomina & memoriam excipito. Exercitationes diſponito, exigitóque. Sæpius ipſe Diſſerito. Feriarum tempore in Atrio* BONÆ MENTIS *publicè doceto. Nequid* PALÆSTRA *deho-*

neſta-

neſtamenti capiat, provideto. Cùm munere ſuo defungetur, Numiſma Directori reſignato.

CVRATOR *Res* PALÆSTRÆ *agito ſcribitóque, Acta condito, Sigillum gerito, Litteras obſignato, Albo nomina inſerito. Multas corrogato, & in Aerarium conferto. Bibliothecæ Catalogum cuſtodito, & quidquid ſervandum* PALÆSTRA *ſcripſerit. Menſtruos Schematiſmos præparato ac diſtribuito; Tabellas figi, & Conventus indici iubeto: Arbitri vices abſentis gerito. Cùm à munere ſuo abibit, Directori, & Arbitro accepti & expenſi rationem reddito. De Admiſſione & Dimiſſione cujuſque ſuam quoque ſententiam interponito.*

ADMISSIO *pro moribus cujuſque & eruditione eſto. Quem dignum Director pronunciaverit, is adoptator, isq́; BONÆ* MENTI *ſe devoveto. In* PALÆSTRÆ *leges ſolenni formulâ jurato. Aerarium ſive Bibliothecam pignore augeto. Tum & Scitum aſſumito, Et Symbolum in* PALÆSTRA *ſuſpendito, Et ſuper utroque extra ordinem Diſſerito. Scriptorem familiarem eligito, Huncce comi-*

tem individuum habeto, Ad ejuſce imitationem ſtilum efformato: cùm Directori viſum, commutato.

DIMISSIO *duplex eſto: Honeſta, & Inhoneſta; aut hæc ne quidem eſto; niſi Cauſſa aut Culpa coëgerit. De utrâque ad Directorem Arbiter & Curator referunto. Is ſtatuito. Honeſta ſolenni modo peragitor: Et cùm ex Vrbe quis & Academiâ diſceſſurus; Induſtriæ, Doctrinæ, Probitatis Teſtimonium accipito: Si cum honoris publico inſigni, publicè Laudator; Encomiaſten Arbiter deſignato: Cùm feſtinus abitus, adjuvato, aut ipſe hanc provinciam ſumito. Reliqui Collegæ favento, Carmen aut Elogium ſcribunto, Inaugurationi pompam addunto. Qui abiturus, libero munere affectum ſuum teſtator, Mnemoſynon relinquito, Et in quavis occaſione Rem & Famam* PALÆSTRÆ *promoveto.*

QVI *Exercentur, frequentes ſunto,* *Leges* PALAESTRAE *obſervanto, Mulctas perſolvunto, Arbitro morem gerunto. Directorem publicè docentem audiunto, Diem & Studia diſponunto, Locos communes ordinanto. Difficultates proponunto.* PALAESTRAE

Ortho-

Orthographiam, Diſtinctionem, Pronunciationem, & Chironomiam obſervanto. Tempori manum injiciunto, Latinum Sermonem uſurpanto, Græcum addiſcunto. Rationem & præcepta à Directore accipiunto. Commercium epiſtolare inſtituunto: Sine conſenſu Arbitri alibi non oranto. Optimam ſupellectilem, Libros; ſed optimos, cenſento: Malos, futiles, turpes arcento. Duces ad eloquentiam Latinã, Ciceronem & Quinctilianum; ad Græcam, Demoſthenem & Ariſtotelem habento. Viris doctis honorem deferunto. Nihil, quod quemquam lædat, dicunto aut agunto. Quas privatim diſcent Litteras, Moribus publicè oſtendunto. Inter vitia, ignorantiam; inter damna, otium & ignaviam ponunto.* BONA MENTE *in Iuventute eminento. Sobrietatem, Modeſtiam, Honeſtatem, Pietatem colunto. Principi, Patriæq; ingenium ſe debere cogitanto; nec prodeſſe poſſe, niſi exercuerint. Ab iisdem Præmia in occaſione exſpectanto. Annuum Sacrum & Epulum celebranto.* PALAESTRAE *Tutelarem* D. HIERONYMVM *colunto. Ejus diem inter ſolennes, Imaginem in* PALAESTRA *habento.* AD EXERCITATIONES

ſtato tempore & loco conveniunto. CONVENTVS *alius familiaris, alius Solennis eſto. Familiaris Iovis quâque luce, ante Meridiem, habetor. Ante nonam omnes adſunto. Dum conveniunt & conſident, è Bono aliquo Scriptore pagellam Curator prælegito. Audito horæ ſigno ad* PALAESTRAM *quiſque ſe componito. In eâ* DISSERTATIO, RECITATIO, LECTIO, DISPVTATIO; *ſed ordine, & ſuis ſingulæ ſeptimanis, ſunto; & horæ unius ſpatio terminantor. Schematiſmi ſub principium menſis componuntor,* PALAESTRAE *Typographo excudendi dantor, Ad valvas Auditorij affiguntor.*

Prima, DISSERTATIO, *& ad extemporalem facultatem parandam eſto. Argumentum Arbiter conſtituito. Dicenda verò omnes cogitatione concipiunto. Rem verbis & colore ornanto. Exemplis & Sententiis confirmanto. Quid Ingenium poſſit, Vox audeat, Frons ſuſtineat, maſculâ dictione experiuntor.*

Secunda, RECITATIO, *& ſtili hic campus eſto: ſed ab Arbitro præfinitor. Quæ quiſque ſcripſerit, de Tabellâ promito, &* PALAESTRAE *ſimul cenſuram ſubito.*

ſubito. Director meliorem ſeligito, PALAESTRAE *libro, ſub Auctoris nomine, inſerito.*

Tertia, LECTIO, *ſive Interpretatio loci è Scriptore Familiari; & unà Criſis eſto. Locum quiſque in anteceſſum proponito, aut ab Arbitro accipito. Quæ mores, hiſtoriam, & eruditionem ſpectant, explicato, ac tantiſper Doctoris munus ſuſtineto.*

Quarta, DISPVTATIO. *Et è ſeverioris Philologiæ adytis ſumitor: præcipuè Ethica, aut Politica eſto. Sed* QVAESTIONIS *capita ad Arbitrum deferuntor.*

Hic cenſuræ Directoris ſubjicito; Admiſſa, Schematiſmo inſerito. Qui reſpondeant, BINI *ſunto. Suum uterque dogma defendunto. Iidem proximo menſe oppugnanto, Rationibus & bonorum Scriptorum teſtimoniis agunto. Reliqui parati ſunto. Arbiter ſe pro nomine gerito, & diſputantibus præſideto. Si quis dignus vindice nodus inciderit, ſententiam ſuam Director promito. Diſputatio in orbem ito. Diſſerere, Recitare, Interpretari, liberum cuique eſto. Paratos Arbiter evocato. Etiam loquentis orationem, ſi opus, abrumpito. Cum ſilentio omnes*

omnes audiunto. Sermones, nugas, ſtrepitum, & reliqua immodeſtiæ ſigna ableganto.

CONVENTVS *Solennis, Menſtruus eſto: Et primâ menſis cujuſque Iovis die, in Auditorio Trilingui celebrator. Orationem is habeto, quem Arbiter conſtituerit. Menſem quiſque vacuum ſumito, ut ſe paret. Ergo promptus & Exercitatus eſto: De omnium hîc honore agi putato. Locum Accenſus præparato, Sedilia inſtruito, Auditores convocato, Viros in Vrbe & Academia primos. Reliquam Iuventutem tabellis commoneto. Qui Dicturus, argumentum orationis in anteceſſum Directori exhibeto: mox & ipſam cenſendam dato. Habitam deſcriptamq́ ad* PALAESTRAM *deferto, libro conſecrato; & viciſſim induſtriæ præmium ab Arbitro capito. Orationes haſce quotannis Director colligito. Recitationes menſtruas jungito. jus emendandi & edendi habeto. Nomen* PALAESTRAE *& Auctoris cujuſque præſcribito. Illius famam, hujus conatum promoveto.*

EXER-

EXERCITATIONES BONÆ MENTIS, VELVT, In Specimen Propoſitæ.

EXERCITATIO I.

Omnia promittere Princeps videtur, cùm Imaginem ſuam donat.

SÆPE diu multúmque trutinare animo beneficia Principis ſoleo, quæ incredibili liberalitate PALÆSTRÆ BONÆ MENTIS contulit: cetera tamen omnia mihi fulgor Imaginis ejus tegere & obſcurare penitus videtur. Quid enim præſtabilius eſt, aut pulchrius, quàm præſentem habere figuram, cujus recordatione & memoria juventus

tus ſeſe ad Virtutem univerſa componat? ac ſi adhuc rudes animi nulla dulcedine Litterarum caperentur; poſſent tamen ſolo Numiſmatis intuitu ſeſe à tenebris ignorantiæ vindicare. Non enim hominis, ſed Principis Imaginem accepimus: ac ſi hominis, at certè hominis ſupra hominem poſiti. quippe cui ſatis non fuit Orbem terrarum complere armorum gloria, niſi & in pace Muſarum præſidio innoteſceret. Paucis id conceſſum eſt, qui utrumque hoc tempus pari Famæ concordia temperarent: quia tamen ea felicitas ipſi obtigit, non poſſum illam niſi noſtræ felicitati aſſignare; quippe qui illo ſeculo vivimus, quo Doctrina reducta eſt cum Virtute in contubernium: ſiquidem ſolæ Litteræ ſint, quibus ſeſe longè lateq; Virtus in pace oſtentat. Etenim id fateri debeo, neminem hactenus ita complexum eſſe amatores Bonarum Artium, ut Imaginem ſuam daret. Lipſium quidem reducem ſuſcepit maximus ille Hiſpaniarum Rex, Philippus, imò & ampliſſimo ſibi honorario aſtrin-

aſtrinxit. ſed quis affectus cauſſa eſſe actum dicat? quaſi id utilitas non exigeret. etenim Reipub. intererat Litteras non interire. quærendus erat in hac fortunæ lucta, qui nobis etiam CONSTANTIAM præſcriberet. ſollicitandus ille, qui ſplendore ſui nominis illuſtraret univerſum orbem: eoq; ipſo ſollicitandus, quòd promeruerat, ut ſollicitaretur. Noſter autem Princeps verè & ex animo Litteras amat, quia ſeſe amare teſtatus eſt. nec verè & ex animo amet, niſi teſtetur. Imaginem ſuam nobis elargitus eſt, ne quicquam non elargitus videretur. Ingens amor erga bonas artes, ingensq; beneficium, quo nec optare majus, nec concipere poſſet avarus animus. omnia promittere viſus eſt, qui ſeipſum donavit in amoris teſſeram. Si vel ad honores, vel ad dignitates accingimur, ecce quid attinet manum prenſare? fautores & ſuffragia beneficiis extorquere? quotidie Principem habemus in conſortio, à quo omnis honor emanat & profluit, velut à Phœbo ſuo dies. Si quis ad eruditio-

nem

niem virutémque aſpiret; ſemper in oculis ſcintillat Imaginis iſte radius, animúmque neſcio quo imitationis ardore inflammat. *Admiratio incitationem accendit.* Quid enim ſtatuæ olim, quid imagines ſibi in atriis voluêre? niſi ut exemplo provocata Poſteritas, in BONÆ MENTIS deflecteret obſequium. *Non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque priùs ſedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquarit.* Meritò igitur purpuram bulláſque pueris aſſignavit antiquitas, ut tum ſeſe homines eſſe erubeſcerent, ſi corde non præſtarent. Quid nos? ſi ingenui ſimus, ſi ad Rempublicam à natura ſubornati, obliquemus oculos ad hæc ornamenta conciliandæ virtutis. ad hoc conceſſa nobis, ad hoc communicata ſunt, ut Principis iſte ſplendor mentem animúmqne æmulatione perſtringat. Nam ſi rectè ex Imagine vultum, ex vultu animum colligo: in vultu Majeſtas, in animo Virtus elucet. utrobique verò ſingulare

lare perfectionis exemplar. Otioſum eſt ſingula percurrere. ſatis ſeſe prodit ſublimis animus, ad ſceptra purpurámque natus. Quid? talem nobis obtigiſſe Principem, qui habenas Belgicarum Provinciarum ſine Litterarum miniſterio dubitarit accipere? quid mirum? ſervire ſibi didicit, priuſquam aliis imperaret. fores cupiditatis occluſit, antequam voluntatis frena reſolveret. humanitatem aliis præſcripſit, quam priùs ipſe excoluiſſet: imò æſtimare Litteras cœpit, ut eſſent qui amplecterentur. pulcherrima ſtudiorum præmia propoſuit, ne ſub onere Virtus laſſata deficeret. Quanquam ſatis fuerat exemplo ſuo docuiſſe, quanti Litteras faceret: propterea, quòd omnes principum imitatores libenter exſiſtunt. Sed quid? affectum laxiùs aperire voluit, & ampliſſimo Diplomate univerſos ſollicitare, quorum animos generóſa titillaret ambitio. Talem Principem eſſe oportuit, ſub quo priſca nobis redderetur eloquentia. imò priſcam eloquentiam eſſe oportuit ſub tali Prin-

cipe, cujus integritas nullo vitiorum cõſinio obliteraretur. Propè eſt ut exclamem, πάντες πάντα καλῶς ποιοῦσιν, ἐπειδὴ σὺ καλῶς ἄρχεις: *Omnes omnia rectè faciunt, quia tu rectè imperas*. Viden', quo ſtudio ſeſe omnes ad Bonam Mentem accingant? Viden', ut ſurgentes Muſæ caput erigant, & in procinctu ſint, ut fœdiſſimas Ignorantiæ reliquias totâ mole expugnent? Sed quid Ducem exſpectant? ecce feliciſſimis auſpiciis ſeſe Princeps obtulit; ſacramenta militiæ, legéſque firmavit; Directori pondus auctoritatis adjecit; denique Imaginem ſuam in Symbolum dedit, ut præſentem ſemper adeſſe exiſtimemus. O benignitatem! ô prudentiam Principis! Etenim ille non ignorat, poſitam eſſe illecebram benefaciendi in conſpectu Ducis. Macedones olim ab Illyriis ſuperati, Regem in cunis prætulerunt ad prœlium: quo exemplo docuere Victores, non tam requiri Virtutem in exercitu, quàm præſentem Imperatorem. Nos quoque circumferamus oculos, generoſi juvenes.

Præſen-

Præſentem habemus Principem, quem tot votis expetivimus. ille in aſpectu, ille in vultu verſatur omnium. notat & deſignat oculis ad dignitates unumquemque noſtrum. Felices nimiùm, quòd talis nobis laudator contigit, teſtisque virtutis! imò felices ampliùs, ſi nos illius præſentiâ dignos præſtemus. NICOLAVS BVRGVNDIVS.

EXERCITATIO II.

DE GRADIBVS ad Eloquentiam.

QVERI ſolent homines, cur in hoc renaſcentium Litterarum vigore, aut omnino nulli reperiantur eloquentes, aut perpauci. Naturam quiſquis intuetur, æquam matrem agnoſcit: laſſam & effœtam putet, ſi in ipſos partus declinet cogitatio. Quotuſquiſq; nunc Demoſthenis, nunc Ciceronis ad ſummam proceſſit? quis gravitate Livium, quis Salluſtium brevitate adæquat? nam & Ovidium & id genus Poëtas omitto, quibus eſt facilius ſubſilientem alterno pede Muſam ſollicitare ad numeros, quàm nobis latinè loqui. Magnos omnino Muſarum hic conſeſſus nonnullos agnoſcit; quia verò illos à priſcâ eloquentiâ ſolo tem-

lo temporis intervallo fortuna ſecrevit, liventi oculo famæ tacentis perſtringuntur. quos tamen ſi ferax ingeniorum commendatrixq; tuliſſet antiquitas, velut cælo miſſos haberemus, & præſentes deos. Ceteri aut vix ſciverunt, quà iretur ad eloquentiam; aut controverſiarum ſententiolas timuerunt vibrare. Viam ſi quis quærit, ardua eſt, difficilis eſt, & quam ſine frequentiſſimo pervigilio nemo confecerit. Errant etenim, meo judicio, & in ſumma opinionis perverſitate caneſcunt, qui tam facilè putant eloquentem fieri quàm ſutorem. Neque enim furtivos quiſquis eliquat ſententiarum centones, horrẽdum continuò perluſtravit eruditionis ſecretum. Gradibus etenim opus, & perfectum hoc dicendi culmen non perfunctoriè quiſquam aſcenderit; nemo denique greſſum illuc ſine ductore duxerit. Mollis, ut ita dicam, & caduca juvenum ætas: alliſúſque ſemel ad metam, in hoc vitæ flexu, tenellus impetus, moratur tanquam in ſcopulo, & extinguitur. Quippe vix editi

in lucem, vix educati ſimus, quin continuò caligine pravitatis circumventi, errorem cum lacte nutricis hauſiſſe videamur. Vtique pertinaci lectione mitigandus animus, & cum prætexta puerili ſenſim induenda ſunt ſeveritatis elementa. A teneris ſi inceperis, facilè tecum naturam trahes. Nam, ut ait Plautus,

Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat ſuo,
Vtrùm id itáne eſſe mavelit, ut eum animus æquum cenſeat;
An ita potiùs, ut parentes eum eſſe, & cognati velint:
Sin animus hominem perpulit, actum eſt, ſi animo ſervivit, non ſibi.
Si ipſe animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet.

Proinde Socrates in Platonis Republica hominem dixit inſtitui oportere ab adoleſcentia, ut officioſus adoleſcat, & his gaudeat, quibus gaudendum eſt; & doleat, quibus dolendum eſt. formatur enim diſciplinis tenera ætas, ut cera manu artificis; ſiquidem illis annis natura tenaciſſimi ſimus: quid-

quidquid perceptum, durat, ac velut recentis teſtæ primus liquor nunquã evaneſcit. Quis Lacones à ſeveritate, aut Aſiaticos à luxu dimoveat? ceterùm cum illis virtus adolevit, in his ne fucus quidem unquam enituit. Quid mirum? blanda parentum indulgentia primos annos deliciis immerſit, neque marcentes unquam permiſit ad meliora erumpere. Mollis illa educatio juventutis enervat animos ad magna ſurgentes, & ſopit. Eruditionum radios non admittit, quiſquis interpoſita nubecula viã præcludit: nunc verò, quid aliud eſt infantiam deliciis ſolvere, quàm bonitatis umbram animis objicere marcentibus, ne virtutis obſequio veſtigiis bonæ mentis inſiſtant? Non eſt igitur, quòd naturam accuſent homines velut novercam, & perfrictâ fronte oſtendant ſupercilium. Quòd ſi laboris paterentur acerbitatem, continuò ſeſe proderet ingenium, & inerrantem vulgi mentibus eraderet opinionem. Nunc verò cùm extra luxum & divitias nihil crepent, neceſſe habent, ut inquit Arbi-

ter, cum inſanientibus furere. Plerique tamen eorum adeò ambitioſi, ut, cùm ne ſpiritum quidem Litterarum ferant, excellentes tamen viros in eâ arte quovis modo in notitiam trahāt. non quòd verè ament, ſed ut his Mercuriis utantur ad laudem: & quam merito ſuo famam non inveniunt, alienis alis ſuſtineant & explicent. Planè, quaſi is ſtudiorum quæſtus ſit, alienæ ambitioni inſervire. O cæcas hominum mentes! Gloriam verè neſciunt, quia virtutem non amplectuntur. Neque extra virtutem gloria, neque ſine gloria virtus elucet: adeò hæc juncta atque indiſcreta ſunt. Virtus gloriam ſecum trahit, ut corpus umbram: gloria virtuti reſonat ut imago, & rectè factorum plerumque comes eſt, ut inquit Cicero: rectè autem facere, quid aliud, quàm virtutem amplecti? At enim virtutem amplectitur, qui mores animúmque tingit melioris doctrinæ ſucco. mores animum componunt, ſed è profundo ſapientiæ penu depromti. animus autem in bonos mores ſua ſponte declinat, ubi

eruditus

eruditus eſt: erit autem, ſi aſperioribus ſtudiis ab incunabulis aſſueſcat. Atque hic primus ad eloquentiam; addam? primus ad virtutem ac duraturi gloriam nominis gradus eſt, ſeveritatis inire commercium. Etenim eloquentia ipſa virtus eſt, & præterquam in virum bonum haut cadit. Neque facilè bonus non poteſt eſſe, qui in aſſiduo virtutis enutritur contubernio. Nam cùm metas honeſtatis extendere, pariq; librâ trutinare cum utilitate Philoſophorum ſit ſudor, etiam eloquentium eſt: quia ita conſpirant hæ diſciplinæ, ut extra alteram prorſus altera deficiat; denique altera non proferatur in populum. At verò ſi exemplis ſtandum eſt, Ciceronem nemo Philoſophum, aut Ariſtotelem negaverit fuiſſe eloquentem. Quorum ille ex Rhetore Philoſophus, hic ex Philoſopho factus eſt Rhetor. eloquentiam alter in Philoſophia, Philoſophiam alter exercuit in eloquentia, & uterque ſuo ſtudio delectatus, alterum non contempſit. Proinde ſapienter Poëtæ ſoli Mercu-

rio caduceum adfingunt. ſermonis iſte thyrſus ſine prudentia non penetrat: abſque ſermone, prudentia obmuteſcit, & ſuffocatur. Sed ut firmiorem utriuſque nexum oſtendant, inſertam Mercurio Minervam, unico verbo dixere, Hermathenam. Multi tamen in ea ſunt opinione, ut Philoſophiæ ſuæ religiones & arcana nulla verborum amœnitate audeant profanare. Sed neſcio quibus verborum monſtris Ariſtotelis nitorem deturpent. Et hæc ipſa tolerabilia eſſent, ſi in ſcopum facerent quodammodo compendium. Nunc verò ſtridenti verborum ſartagine hoc tantùm proficiunt, ut cùm brevitatem itineris affectant, nodo velut Gordiaco concludant veritatem, & ab immani Charybdis alliſione declinantes, æſtuantibus Scyllæ objiciantur vorticibus. Hinc frequens illa de verborum tricis (dicam trugis?) controverſia. hinc enormi luto arcana Philoſophiæ involuta, lacerantur in partes, & diſputantium latratui expoſita veritas, torquetur ad exitium. Denique ſi expungendæ

gendæ ſinceritati centonem quiſquã eorum adulterinum effoderit, continuò ſeſe putat aut Saturnum cælo, aut iratam Iovi conciliaſſe Iunonem. Magnum profectò operæ pretium, atque in Vlyſſis utrem damnandum, ut cum ventis erumpentibus ſpargatur in Oceanum. *faciunt* (Terentii verbis utor) *næ intelligendo, ut nihil intelligant*; eóque inutiles illos verborum ſcrupos enodant, quia tertiam, eámque pulcherrimam Philoſophiæ partem aut neſciunt, aut omnino contemnunt. Primus omnium Socrates Sapientiam è cælo devocavit ad domos: & de quibus philoſopharentur homines, etiam in tabernis invenit. Cujus exemplum ſecutus Plato, membranis inſeruit doctrinam ſapientiſſimi viri, monumentóque donavit æterno. At nos quidem paratas artes audemus attingere? Iacet præterea priſcus iſte vigor eruditionis, & ſine ſucco ſuo nequit exſurgere. Succus autem eloquentiæ, Philoſophia eſt; alta illa, divina illa, operationis limites non excedens. Siquidem Virum

rumBonum ſolaVirtus indigitat:quomodo ſine illa poteſt aliquis dici eloquens, cùm hunc optimum velit eſſe Quinctilianus ? Neque in ſordidam mentem cadit ſcientiarum cultiſſimus nitor. Volvuntur enim in cœno ſenſus, vitiorúmque caligine oppreſſus animus, nullos omnino ſapientiæ radios, aut quàm maximè obliquos, admittit. Idcirco Boëtius à ϖ dixit eſſe aſcenſum ad θ : hoc eſt, à practicâ ad theorema. Idem Arbiter paullo diſtinctiùs hoc carmine perſtringit:

Artis ſeveræ quiſquis amat effectus,
Mentémque magnis applicat, priùs more
Frugalitatis lege palleat exactâ.

Neque ego ſermonem ſordere volo, ſed in hoc puritatem quandam ineſſe, ut ſententiarum quodammodo continuo nexu ſtili exoneretur atrocitas. Duobus autem modis id fiet, Lectione & Exercitio. Sit autem lectio frequens, & attenta, quæ vel minima quæque ſine rabioſa taciturnitate non liguriat. Intervallo igitur opus, & ſub unaquaque diſtinctione ſuſpendendus eſt præceps ſpiritus, uti per hujuſmo-

juſmodi rimas admiſſa cogitatio, aut rem ipſam perluſtret interiùs, aut denique aliquid ſemper effodiat, à quo ſtili poſtmodum junctura limetur. At niſi continuo uſu percolamus ingenium, velut agros ſolent diligentes agricolæ; infœcundum ſterileque permaneat. Mortalium animos natura donat, induſtria perficit. Bonas artes Superi laboribus vendere ſolent, non inſtillare: Muſáſque in Parnaſſo ſedentes ſomniavit antiquitas: nemo tamen ad illas niſi vigilando pervenit. Nam qui in forum negligentiùs properant, plerumque loquaces ſunt, ac neſcio quo verborum tumore ſemper aliquid ſtrepunt, ita ut ab eloquẽtia longiùs abeſſe videantur, quàm ab ignorantia. Profectò in roſtra prodeunt, non ut doceant, ſed tantummodo ut audiantur, & fermentum vomant. Scilicet ſeſe tum ornatè dixiſſe putant, ubi aut ſeſquipedali termino ſententiam claudunt, aut petulanti verborum ſaltu laſcivientes, ſcloppo tandem buccas rumpunt. Neque ego tamen lumina reprehenderim

in clau-

in clauſulis poſita; ſed in his frequentiam duntaxat accuſo : *Quæ* (cum Quinctiliano dicam) *minùs crebra apud antiquos, noſtris temporibus modò caret.* Limbum in veſte laudamus extremæ laciniæ, atque juncturis diligenter aſſutum. Limbus autem orationis, ſententiolæ ſunt, non turgidæ iſtæ & inanes, ſed vibrantibus clauſulis expreſſę: curandum tamen, ne extra corpus orationis emineant, ſed æquali junctura verborum eniteat curioſa felicitas, ut fiat, *Odi profanum vulgus & arceo.* Torquenda igitur quotidie ſunt oratorum monumenta, & curioſa ſciſcitatione ablactãdus eſt Poëtarum ſuccus : ab illis enim expugnabimus nexum orationis ; ab his arcana neglectæ vetuſtatis myſteria. Præterea curandum eſt, ut quos eorum exprimere propoſuit ſtudioſus adoleſcens, quotidiana exercitatione imitetur. Sed de exercitatione nihil dicam. Clariſſimus enim Director noſter, ERYCIVS PVTEANVS, novam dicendi rationem introduxit, quæ ad formandam eloquentiam vel ſola videatur ſuffi-

ſufficere. Novam inquam, quia in hoc celeberrimo Athenæo non uſurpatam priùs. Video tamen ad hanc PALAESTRAM pleroſque veterum acceſſiſſe. Cicero enim ad Præturam uſque Græcè declamavit, Latinè etiam ſenior. M. Antonium, Cæſarémque Auguſtum, ne graviſſima quidem bella deterruere ab antiqua conſuetudine. Atque ut ad Imperatores deſcendamus, Nero bis publicè, Gordianus in Athenæo, declamarunt. Senecam, Quinctilianum, Plinios, tantam denique temporibus iſtis admiramur profluxiſſe copiam? illi tamen omnes in umbratica PALAESTRA ſe ad forum accinxere. Nam *declamatio*, inquit Fabius, *eſt judiciorum imago*. Et, *Schola velut ludus, forum quaſi arena quædam eſt. ibi armantur ingenia; hîc præliantur: ibi prælуſio, hîc pugna committitur*, ait Eumenius. addo ego: ibi audaciam aſſumunt, ut hîc attonita non obmuteſcant. Quemadmodum ante pugnam, ſanguine gladiatorum faſcinatus exercitus, obfirmato oculo poſtmodum ſpectat vulnera morientium,

tium, & proterit: ita ſcholaſtici ab umbra in forum tranſeuntes, hominum vultus ferre, & frequentiam ſciunt. O inventum, ô inſtitutum multò utiliſſimum! at neſcio quomodo hactenus ſic neglectum jacuerit: nunc verò, Clariſſime Director, à te uſuram lucis accepit. Beneficium hoc tuum eſt: imò quantumcumque eſt, totum tuum eſt. Solus excogitaſti, ſolus promoviſti, totum denique tranſegiſti ſolus. Vtinam mecum hoc omnes agnoſcant, & probent! agnoſcant, ne ingrati: probent autem, ut videantur agnoſcere: reddit enim beneficium, qui debere ſe fatetur. IDEM.

EXER-

EXERCITATIO III.

Pace potius quàm bello clarum fieri licet.

NVLLI, opinor, homini ita mens obduruit, ut tanquam obducta callo, nullis abblandientis fortunæ illecebris, nullisq; gloriæ titillationibus capiatur, quem nimirum non excruciet ſititor honoris animus; tyrannus ſanè crudeliſſimus,& non unius belli cauſa,ſed univerſi propemodum generis humani pernicies. Hinc enim *cædes hominum, hinc prælia nata,& brevior diræ mortis aperta via eſt.* Tanquam ſi non ſatis foret homines deficientibus naturæ viribus occumbere; etiam bella inventa ſunt, ut præter fortunarum lubricas ambages, inſtabiles incurſio-

nes, & reciprocas rerum viciſſitudines, quibus obruitur, ne quidem etiam illis ſua laniena deeſſet. Nimirum honoris quippiam accedere non poſſe videbatur, niſi priùs quàm plurimi diſcederent, & non eſſent illi, quos abeſſe nihil utile, nihil neceſſum. O inſipidi, ô inſulſi homines! honorem ambitis & gloriã, cujus fontem ignoratis; aut potiùs, quam facili & expedita via poſſetis, mavultis per flexuoſas ambages, malè tutas anguſtias, & mille pericula reperire (ut ſaltem fatear bello clarũ quemquam fieri poſſe:) is enim demum vivere videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris famam quærit. Sed adoreolam ſuam Mars habeat: dabit quoque divina è cælo miſſa Pax, quod imiteris, & unde nominis tui immortalem gloriam conſequaris: quia, ut Salluſtius ait, *vel pace vel bello clarum fieri licet.* Sed quantò pax bello potior, tantò laudabilius, pacis ſtudio innoteſcere, & clarum fieri, etiam utilius. Nam, quòd ſi hoſtem tuum felici dextra profligaris, lauream coronámque

que reportaris; quid egiſti? In diſcrimen civium ſecuritatem præcipitaſti, & infructuoſa folia reportaſti, mercedem fortè ſatis amplam, ſi abſque tuo infortunio. Sed belli & ludi ferè eadem eſt alea, eadem conditio, & fortuna; neutro in loco beatur victor, ſed victus depauperatur, aut uterque. Fit enim nonnunquam, ut, dum mutuo odio & bello colliduntur principes, utrique ſubvertantur, & tertio cedere cogantur, cùm alter alteri nollet. Apage ergo bellum, abeſto bellum, & omnis bello parta gloria, cùm tam caro ſis præſtinanda pretio. Dulcior multò, & major eſt gloria, quam pacis delitiæ proferunt, ac illa, quæ tuis ſæviſſime Mars, extorta minis, nihil tam ſanctum, nihil tam pium habet, quod violare non audeat: gratior quoque eſt, quia à Deo, & Dei donum pax eſt. Sed in ea ſe futurum magnum fortè quis deſperet? Viam ad honorum culmen, nominisq; immortalitatem pace ſterni quis neget? Næ ille vehementer erret. nam non, bellorum, ſed æquitatis & pacis gratia crea-

ti reges. Iuſtitiæ, non Martis myſtæ ſunt: & idcirco ſapientiſſimus Poëtarum Homerus non bellatores illos vocat, ſed jus dicentes; οἵτε θέμιςας πρὸς διὸς εἰρύαται. Bellicis verò curis, & Martiali æſtu qui agitatur, juſtum injuſtum, ſacrum profanum juxtà æſtimat: leges, quarum ille lator & obſervator eſſe debeat, opprimit; uno verbo, Rex eſſe deſinit: Regis ſiquidem nomen non aliunde deducitur, quàm à prudentia & juſtitia. Qua virtutum biga quiſquis Princeps ornatus fuerit, de nominis & famæ perennitate ne dubitet: etiam fugienti & nolenti aderit. Nam quid favorem Dei, nominisq; immortalitatem magis conciliare poſſit, quàm neminem lædere? unicuique ſuum tribuere, cultum veri Dei neglectum revocare? cerimonias & ſacra, Martis indignabundi proculcata veſtigio, reſtaurare? Petiit hac cælum via Numa Pompilius; vir ille, qui ob inclytam ſuam religionem ſucceſſor Romulo dari meritus eſt, & alter Vrbis conditor nuncupari; ille, quem pacis ſtudium; & in ea, ſacrorum

rum

rum cura, immortalem, & univerſo orbi admirabilem fecit; vir ille, profectò dignus, qui Curibus Sabinis agens ultro ad Imperium vocaretur, ut quod Romulus vi & armis munire cœperat, ille Religione atque Iuſtitia perficeret. IVSTVS MVLDERVS ASCANIVS.

EXERCITATIO IV.

BELLVM GERENDVM in hoſtili ſolo.

QVÆRENDVS hoſtis, non expectandus, ut cum gloria pugnes. Etiam vilis & imbellis quiſque bellabitur, ſi percundum ſibi conſpexerit, niſi reſiſtat. In ipſa terra hoſtili figenda trophæa ſunt, quæ loquantur poſteris, fuiſſe, qui in externo ſolo generoſi pugnare maluerint, quàm in ſuo deſidioſi quieſcere. En Annibal, gloria Martis, ſpes Pœnorum, terror Quiritium, è ſuis egreſſus tranſivit in Italos, uti Carthaginenſis juventus acriùs prœliaretur, ipſa telluris inimicæ calcatione facta ferocior. Hic Romanis fuit fructus Annibalis non repulſi, ut per

per bis ſeptenos annos in propriis penetralibus externum ſenſerint dominum. Hærere potuit, poſtquam venit, qui non arceri, cùm veniret. Limitis hoſtilis concluſio, longinquitas patrii, luſco Principi prudentiam auxêre, qua regeret; militi fortitudinem, qua certaret. Decretum fuit, aut Oenotriam Carthagine in triumpho ferre, aut decóra ſua clade facere funeſtam. Sic deliberati bellatorum animi certiſſimæ cauſſæ plerumque victoriæ fuerunt. MATTHIAS BONERVS.

EXERCITATIO V.

AMOR INGENII NEminem unquam divitem fecit.

VITIO fit humanæ fragilitatis, ut dulcedine divitiarum correpta cupiditas, nulla unquam ſatietate retardetur. Ineſcamur enim mortales imagine quadam felicitatis, & in hac uſura vitæ nihil ſuavius ducimus, quàm fortunæ benignitate frui. Hinc adeò fit, ut animæ iſtæ nobiliores ad virtutem à natura ſubornatæ, in primo ſtatim curriculo, ſub infelici divitiarum faſce deficiant. Nempe dum hoc unum omnes agunt, ut genus ſuum inſerant alienæ nobilitati, negligunt bonas artes, & in Aula libentiùs quàm in Helicone verſantur. quaſi hoc unicum

ſit

ſit emergendi inſtrumentum. Nam quiſquis irretorto oculo BONÆ MENTIS iter cœpit inſpicere, nihil priùs meditatur, quàm licentiam frenare cupiditatis, & cum paupertate habere commercium. Ea enim eſt virtutum omnium mater: ea eſt regina magnarum cogitationum; cujus inſtinctu erectus animus, ſeſe ad immortalitatis iter accingit. Quotusquiſque olim ad Philoſophiam aggreſſus, vel de viatico ſollicitus fuit? alius labore nocturno ventris debilitavit injuriam; alius in dolio corraſa ſtipe conſenuit. fuere etiam ex illo numero, qui ne quidem heredem invenirent. Hodie quoque; ſi quis ſine pera Philoſophum quærat, helleboro illi opus eſſe puto, ut ſanius aliquid ſentiat de hoc ſacro noſtro ævo. Neque enim virtus in pretio eſt: virtutis officium nummi exſequuntur. Longè defecimus à majorum diſciplina. Nūc enim per Plutonis ædem, templum Honoris ingredimur; præpoſtero ſanè judicio. Nam ut quiſque ad trecenties HS. quomodocumque per-

venit, continuò purpuram & faſces aſſumit privatis auſpiciis: agrum agro adjicit, urbes & imperia molitur: & ut cælum ſuum faciat, tantùm exſpectat venditorem. Dubito ſanè, an hoc hominum genus virtutem aliquando agnoverit: hoc tamen ſcio, ſæpius aurum tractare conſueviſſe, quàm librum. Nam ſi quis è porticu prodeat, qui domeſtica vitia nonnihil acerbiùs deteſtetur; continuò omnes hoſtem proclamare, more majorum ſedibus exſtirpandum: denique nomen ejus, famam, æſtimationem, quaquaverſum commentis ſpurcare, planè, ut, ſi hoc præjudicio ſtetur, videatur humanitatis officium exuiſſe. Sic itaque jactantur BONAE MENTIS amatores; & dum virtuti placere ſtudent, compoſitæ paupertatis onus incurrunt. Quid mirum? *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.*

NICOLAVS BVRGVNDIVS.

Sed Philoſophus amore ingenij dives eſt.

CÆCVM eſſe Plutum, non fruſtra genus humanum conqueritur. Nam

Nam qui maximè divitiis digni, paupertatis domicilium incolunt, & fortunam coguntur accuſare: qui benè vivendi rationem inveſtigant ac tradunt, vivendi commodis deſtituuntur. Si rectè calculum ponis; *Amor ingenij neminem unquam divitem fecit:* neque mirum. Non poteſt animus, in ſeipſo occupatus, externis attendere. Magni labores, magnæ difficultates exantlandæ tibi ſunt, quiſquis agis, ut diteſcas. Nunc metuis, nunc ſperas, etiam doles: nunquam certa tranquillitatis ſtatione mens Mercurialis poteſt conſiſtere. Etiam eò imprudente lucrandi cupidine traheris, ut omnem patrimonii vim, ut propriam ſalutem, fragili navi, infido pelago, inſtabili fortunæ committas. O miſerum! ut aliquando dives ſis, periculoſis planè auſibus, pari itinere cum Sole proficiſceris. Et quidem, cùm plurima conquiſiveris, crudeli lancinaris carnificina: nimirum, non ſatiaris. Quod miſerrimum, propter inexpletam auri famem, vix unquam potes naturæ virtutíſve dignitatem

cogitare

cogitare: quaſi nullum meliori contemplationi locum indulgeat inſana cupiditas. Ridet Philoſophus ac BONAE MENTIS poſſeſſor vanas has curas, hæc ſtulta ſtudia. mavult ille naturæ dona mirari, quàm venari fortunæ. Omnis illi fluida felicitas; ne felicitas quidem, niſi quæ ſereniori vultu penetralia mentis aſpexerit. Hæc hæret: nec infelici ſortis eventu tollitur, quia felici non datur. Ne minimam quidem partem fortuna ſibi vendicat; nihil hîc ducit ſuum: totum naturæ, totum Dei. Quid? Quiſquis amator & æſtimator ingenii, nec Attalo, nec Lucullo, nec Crœſo, nec Myda minor eſt. Habet dominium, quod collabi non poteſt. Scitè Valerius Maximus, BONAE MENTIS *uſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum*. MATTHIAS BONERVS.

EXER-

EXERCITATIO VI.

DE L. IVNIO BRVTO, &L. Tarquinio Collatino.

Brutus ad populum de Collatino dimittendo.

SI libertatem, Quirites, ſalvam habere vultis, incipite velle amare. Reges jam pridem exſtirpaſtis; ſubſtituti conſules: at ſubſtituti, ut iterum eſſent reges. videte, quonam in diſcrimine res veſtra ſit conſtituta. Faſces Collatinus aſſumpſit, ut Tarquinio cederet: perdimus libertatem, quia retinere laboramus. regi ſtudet, quem Patriæ conſuluiſſe oportuit. Perieramus, ſi ſolus magiſtratum gereret. Quòd Tyrannos pepulit, injuriæ ſuæ parentavit, non regno: quòd Patriam liberavit,

ravit, gratiam habeo; criminor tamen, quòd affinem non neglexit. Revocare Tarquinios apertè non potuit; dolis aggreſſus eſt: ſupellectilem iis reſtituit, ut pugnarent; arma ſubminiſtravit, ut vincerent; patriam prodidit, ut regnarent. O facinus! Quid ampliùs potuit?. Ecce conjurata juventus exulem revocabat. datum fidei Sacramentum, obſignatæ Litteræ: at in Senatu detectæ & reſeratæ ſunt. Agnovi annulum filiorum, agnovit ille nepotum. Sed ego meorum ſupplicio oculos conſceleravi. quid ille? cauſæ ſuæ velum obtendere, excuſationi fucum adſpergere, nolle cognato ſanguine paſcere oculos, non poſſe ſupra ferarum morem ſævire. Latebræ, latebræ. quaſi infra nepotum amorem poſitus ſit paternus affectus. Scimus, Collatine, quid moliaris. Sponte tua faſces depone, priuſquam extorqueantur: abi in exilium, quò te affinis ille tuus jampridem exſpectat: libera urbem metu. Conſul ſuadet, Senatus jubet, Populus imperat. An exſpectas, donec in te urbis

furor

ſuror atrociſſima manu deſæviat? non conſulo. abi, inquam, & quod mox coactè facturus es, ſponte perfice. NICOLAVS BVRGVNDIVS.

Pro Collatino in Brutum.

NON tanti fuit ſcelus punire, ut preſſa innocentia gemeret, & virtus pateretur. Imò graviùs peccat, qui bonos iniquè affligit, quàm qui crimen aliquod ſinit inultum. Remedia quædam triſtiora ſunt morbis; & multi, ne experirentur, quo dolore convaleſcerent, mori elegerunt. Nemo tamen Medicus ægrum ita curat, ut valentes occidat. Itaque Brutus, Pudicitiæ vindex, Libertatis aſſertor, Tarquiniis imperium glorioſè extorſit. Sed idem mox collegam ſuum, optimum civem, infelicem maritum Magiſtratu privavit: & quem Regii adoleſcentis injuria toro fecit viduũ, Bruti (ſcilicet) pietas exſulem Vrbo proſcripſit. Sic de hoſte, non civibus mereare, ut laudandus ſis. An verò ſoli tibi, Brute, in nullo erit diſcrimi-

ne Tyrannus, & Patriæ liberator? Adcóne vecordi libertatis novæ ſtudio lancinaris, ut quæ Superbus Rex merito ſuo perpeſſus eſt, etiam in ſanctiſſimum Conſulem audeas? Tarquinium occupato per parricidium Regno exuiſti: Collatino Magiſtratum comitiis centuriatis à Præfecto Vrbis delatum eripuiſti. Illum integris quinque luſtris crudeli faſtu dominantem pertuliſti; hunc ne auſpicari quidem annuam cum faſcibus dignitatem paſſus es; utrumque horrendi carminis exilio damnans. Mitiorem te reus Iudicem, quàm Patronum innocens expertus eſt. Nam bona Tyranni, quæ exſul jam per legatos petierat, reddenda Senatus Conſulto decreviſti: Collegæ ſola vaniſſimæ plebis ſuſpicione traducto nunquam aſtitiſti. Primus etiam, tanquam conſortis impatiens, abdicandi ſe Conſulatu auctor & hortator fuiſti. *Non credere populum Romanum, ſolidam libertatem recuperatam eſſe: regium genus, regium nomen, non ſolùm in Civitate, ſed etiam in imperio eſſe. id officere, id obſtare libertati.* O magnam

gnam pro libertate curam! ô ſollicitum pectus! ſed ut non invidum credam, tua, Brute, voluntate effice. Tu quoque in exilium abi. *Exonera civitatem vano forſitan metu.* ſiquidem *ita perſuaſum eſt animis, cùm gente Tarquinia Regnum hinc abiturum.* Scis quanto arctiore ſanguinis nexu ſceleratum contingas regem, quàm Collatinus? Regius tu è germanâ ſorore; ille ex patruele nepos. & ſi altiùs originem utriuſque veſtrum repetas, jam is è Tarquiniorum gente excidit. certè nunquam ſtirpis Regiæ fuit. Nam Pater ejus poſthumus, & ab avô per inofficioſum teſtamentum velut exheredatus, nihil cum familia deinceps habuit commune: ſed novum potiùs exorſus eſt cum nomine genus EGERIORVM. Avum privatum habuit, proavum exſulem etiam atque profugum Corintho. Solus propatruus Regnum largitionibus adeptus eſt: & iterum patruelis, Superbus ille, vi ac parricidio invaſit. Ita Collatinus humili loco & parentibus ortus, non animũ regnandi, non vires habuit. At contrà

L. Brutus, Regis ſorore, Regis filia editus, inter filios Regis in ipſa Regia educatus, ſpem regni, quam ſibi natales fecerant, reſponſis Deorum alebat. neque obſcurè Imperium affectare cœpit, poſtquam Delphici oraculi fidem impleturus, oſculo terram velut prolapſus contigit. Ab hoc igitur libertati veſtræ metuite Romani, inane Tarquinii nomen nequicquam exoſi. Vixiſſet ſine Regno Tarquinius, nunquam Reipub. gravis fuiſſet. Regnum eſt, quod Feroci ſuperbiam, & Superbo contumaciam infauſta fœcunditate aggeſſit. Regis itaque nomen, non Tarquinii, proſcribite. Sed vos Regis nomen in ſacrificulo veneramini, Tarquinii in optimo cive ferre non poteſtis; genus in exheredato perſequimini, in familiari honoribus ornatis: gratiam inde hanc exſpectantes, ut perfidi Iuniadæ ſceleſta cum legatis conventione de reducendis in Vrbem Regibus paciſcantur.

ANDREAS PETRICOVIVS.

Pro Bruto in Collatinum.

SI innocentia jam rea pro tribunali ſtare, & judicium ſubire debet, ultrà non eloquor; Brutus exulabit. Sin verò ea, quæ ſemper apud majores fuit ſeveritas; qua bonus à malo diſcernitur, adhuc in urbe vivit, me hodie patronum habebit Brutus; neque exilii tantùm pœnam effugiet, ſed conſervatæ præmium libertatis conſequetur. Sed patiar jam iniqua dici tempora, Brutúmque etiam innocentem judicio ſubjici. Nam quo potiùs ſigno amorem erga Rempub. declarare potuit, quàm cùm ut verùs patriæ pater eſſet; prolibus ſuis eſſe deſiit? cùm inconcuſſo vultu eas virgis cædi, cùm denique ſecuri percuti, citra dolorem vidit? O virum (ſcilicet) ambitioſum, qui ne quidem in poſteritate vivere voluit! O collegæ infeſtum, qui pro univerſæ Reipub. ſalute ipſe ſolicitus, filiis iniquus fuit. Sed hæc fortè ne dubitata quidem ſcrutor, & dum caput deſero, reduviam curare videor. Lucius Brutus bonum civem, collegam, ſociúmque ſuum, Libertatis Ro-

manæ aſſertorem, dejici de Conſulatu ſuadet. quid poſtea? in Leges civitatis, in amicitiæ jura L. Brutus involat: nempe, quia bonum civem, ſed Reip. inſidiantem; quia collegam ſociúmque ſuum, ſed perfidum; quia libertatis Romanæ aſſertorem, ſed & turpiùs deſertorem in Conſulatu eſſe noluit. Scilicet ego eum bonum civem appellem, qui reſtitutæ libertatis pallio involutus, majus excidium, majorem populo ſervitutem machinabatur? quem non puduit publico in Senatu auctorem fieri, ut bona iterum Tarquinio redderentur? Quid? bonum civem, cujus nomen ipſum invidiæ plenum eſt. Hic eſt, qui ingratus Lucretiæ ſuæ, piorum ejus cinerum deſpector, etiam ei ſe amicum præſtitit, cujus violentiæ pudor matronalis ceſſerat; qui gladium reſtituit, à quo periculum aris, focis, matronis, denique populo pernicies indubitata immineret. Hunc Brutus in Conſulatu eſſe noluit, exulem voluit. Verùm turpe forſitan in Bruto, eam cauſſam exilii in Collatino notare,
qua

qua etiam ipſe notatus & inſignitus erat; proſapiam ſcilicet regiam, odioſam non minùs, quàm P.R. deteſtandam. hoc quidem non inficior; animadvertendum tamen eſt, tria eſſe potiſſimùm, quibus antiqua illa calamitas P. R. in memoriam rediret, & veluti quoddam vulnus libertati acquiſitæ infligeret. Amor Tarquiniorum, nomen ipſum, affinitas. Amorem Collatinus publicè in Senatu teſtatus eſt: affinitatem negare non poterat: nomen, velut unguis in P.R. adhuc prurienti ulcere exſtabat. Hic tamen civis erit, erit Conſul? Brutus verò inviderit & minori? Liquere non arbitror, ſine detrimento Reip. Collatinum conſulem manere potuiſſe: atque hinc nunc manifeſtum evadit, Brutum, nulla ductum invidia, Collatino obſtitiſſe. atque id apertiùs, ſi cognoverimus, omnes viri actiones ſpectaviſſe ſalutem conſervationémque Reipubl. Et ut cetera omittam, quo quæſo indicio pleniùs id oſtendere potuit, quàm cùm filios interemit, ut P.R. ſibi in filium adoptaret? O feli-

cem te Brute, qui ferrum, qui flammam, qui cædem à populo removiſti, cùm tuæ fidei optimæ & ſpectatiſſimæ ſalus urbis & civium inniteretur! Tu, tu, Brute Conſul, communis exitii inimicos cepiſti: tu incluſam in litteris Reip. peſtem deprehendiſti: tu periculorum indicia, tu auxilia ſalutis attuliſti. M. C.

EXER-

EXERCITATIO VII.

Zaleucus, cùm filio adultero unum eruit oculum, ſibi alterum, legi ſuæ non ſatisfecit.

NESCIO, quonam mortalium fato factum ſit, ut importuna naturæ propenſione, tam faciles ſint ad judicandum. Quivis actus alienos inquirit, alienæ vitæ quivis cenſor eſt. Ipſa principum decreta popularis judicii trutina ventilantur. In ima plebe reperias, qui ſapientia magnatum conſilia, non conſilia putet, ſed deliria. Scilicet Conſus Deus fugit generoſas animas, abjectas inſedit. Et quidem tam continua judicandi proclivitas, ut cenſeatur, quiſquis cenſet. Alter alteri judex eſt. Sed ille profectò magnus humanæ mentis error, quòd alienos mores curioſa quærit indagine, proprios non attendit. Expreſſit hoc reverenda ve-

tuſtas, cùm Lamias finxit domi cæcas, foris oculatas. *Tecum habita*, donec plena prudentiæ maturitas dignum te fecerit, qui de ceteris ſtatuas. Etiam mihi libet *cum inſanientibus furere*. Etenim paro de Iudice judicare. Vos tamen ignoſcite, ſi de proprii præſcripti regula videbor deviare. Sententiam dicam, non ſententiam. Agam judicem, non ero. Lingua judicabit, non animus. Quippe nefas mihi fuerit, ad verum cenſuræ traxiſſe tribunal ſacroſancta priſcorum legiſlatorum facta, tanquam non juſta. Solius exercitationis res eſt, quam molimur. Non noſtræ dictionis ſcopus, ut in ſententiam pedibus eatis; orare tantùm propoſui, non perorare. Audite, quæ dicturus ſum, non ſentite. Ego quidem qualiter dixero, num ad guſtum? è vobis ipſis intelligam. Placuiſſe, continuata teſtabitur aurium attentio: diſplicuiſſe, tumultuans pedum exploſio. Enorme crimen adulterium eſt: multorum Philoſophorum opinione perjurio gravius exiſtimatum. Quaſi levior foret

violatio

violatio numinis, quàm thori. In omni bene conſtituta Republicą pœnas adulter invenit. Apud Romanos lex Iulia temeratores alienarum nuptiarum ultore ferro perſequebatur: Apud Iudæos rigida ſaxorum tempeſtate mœchus oppreſſus: apud Ægyptios naſo truncatus: apuḍ Athenienſes paratilmo punitus. Ex nomine pœnam ferens apud Græcos Didymus tibicen, è teſtibus pependit. Zaleucus nomotheta Locrenſium conſtituit exoculandum, quiſquis adulterii convinceretur. Rectè. Nam radiis oculorum impudicus amor accenditur: ducibus oculis ad hoc ſcelus pervenitur. Verè Fabius: *Vitiis in animum per oculos via; oculi tota noſtra libido; hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiſcunt.* Sed quid Zaleuce? Filium tuum crimen jam fecerat adulterum; ſententia tua declararat: & tamen videre non deſiit. Non ſatis fuit, altero luminum privaſſe: lex voluit, ut utrumque vindice cuſpide foderetur; ac ſi planè foret indignus ætheris benefi-

cio, qui divinam vel Lunæ, vel Solis reverentiam, nefandi facinoris impuritate violaſſet. Dormivit in te ipſo tua lex? Ab auctore ſuo obtinere non potuit, ut præſcriptam caſtigandi formulam juſtiſſima ſeveritate ſequeretur? Sententiæ debitæ neglectu laudabilis tuæ ſanctionis auctoritatem minuiſti, gloriam maculaſti. Vel ſtrictiùs in filii delictum, quàm alterius fuerat animadvertendum. Sic majus dignitatis ſuæ pondus apud ſucceſſuros judices ſtatutum tuum habuiſſet, majus prohibitionis ſuæ robur apud ſubjectos. Illos nunquam inſidiatrix judiciorum corruptela, hoc nunquam illicitæ Veneris obſcœna cupiditas expugnaſſet: utroſque ſanctiſſimi præjudicii memoria, ſevera quadam religione continuiſſet. Tantum facit ad impetrandam legis obſervationem, legiſlatoris exemplum. Summa Rerumpublicarum ſalus eſt, vel exulare planè vitia, vel juſtè puniri. Non leviter igitur in tuam legem peccaſti, cùm turpiſſimi ſimul & graviſſimi criminis tam facilis ultor extitiſti. Vix

pœnam

pœnam ullam inflixiſſe cenſendus es, quia non ex legis regula. Remittitur potiùs facinus, quàm punitur, cùm ſic in puniendo delinquitur. Quid? Plus Reipublicæ debebas, quàm filio; plus Reipublicæ debebas, quàm adultero: pluris tamen filium, pluris adulterum, quàm Rempublicam æſtimaſti. Marcus Curtius, uterque Decius, devotas animas impenderunt, quò nutans Romanæ gentis gloria deſineret periclitari. Innocentia filii lumina non impendiſti, quò juſtitiæ fundatior floreret auctoritas. Non tanti tibi fuit Aſtræa. Maluiſti Deam negligere, quàm excæcare ſontem. Sedes jam proinde, cum dira furiarum triade, lacrymoſo miſerrimæ vocis ejulatu judicibus inclamans, *Diſcite juſtitiam*. Admones ceteros, teipſum crucias. Cogeris extorta per pœnas teſtatione juſtitiam commendare, cùm exercere non potes; quia contempſiſti, cùm poſſes, imò cùm deberes. Si quidquid apud inferos durum Rhadamantus impoſuit; ſi cruciatuum quâdã viciſſitudine nunc

Tityus

Tityus es, nunc Siſyphus, nunc Ixion; digniſſimè luis. Ipſis namque Numinibus refragatus impiè fuiſti, quia nō ſat ſtrenuè proſequutus æquitatem. Hæc nullo quenquam habent diſcrimine, *Tros, Rutulúſve fuat*, cùm ſupplicia ſceleribus diſpenſanda ſunt. Faciliùs omnium decorum ſuorum patiantur jacturam, quàm Iuſtitiæ. Nec enim Numina ſint, niſi juſta. Tu mihi reſponde *Mercuri, facunde nepos Atlantis*, Deorum nuncie, cæleſtium arcanorum interpres: Quid primum in Diis? Iuſtitia. Quid ſecundum? Iuſtitia. Quid tertium? Iuſtitia. Te pudeat itaque Zaleuce, qui vili pendiſti, quod tanti facit æternus ſuperæ ſedis habitator. O malum! Lenocinantibus paternæ facilitatis illecebris inductus es, ut ſacroſanctum tribunalis rigorem temerares. Iudex eras: animo debebas excludere, quidquid inſidias juſtæ ſeveritatis ſententiæ facere potuiſſet. Mittendus in exilium paternus erat animus, ut diſciplina legis vigorem ſuum obtineret. Quid tu Iuni Brute? In foro, ante ora Qui-

ritium

ritium, filios tuos ſecuri percuti juſſiſti: quòd novarum rerum cupidi, in regnum reſtituere Tarquinium cogitarent. Exuebas patrem, ut ageres conſulē: orbus vivere malebas, quàm publicæ deeſſe vindictæ. Quid tu Manli Torquate? Gnatum tuum extra ordinem cum Geminio Metio prœliatum capitis pœnâ non exemiſti, tametſi victor ab hoſte ſuperato ſpolia reportaret. Satius eſſe judicabas, patrem forti filio, quàm patriam militari diſciplina carere. Quid tu Aule Fulvi? Filius ad caſtra Catilinæ temerario tendebat impetu; medio ab itinere retractum ſupplicio mortis affeciſti. Non illum Catilinæ contra patriam, ſed patriæ contra Catilinam genueras. O magnas Heroum animas! Qui ſpectatores eratis amovendi, pœnarum ipſi fuiſtis exactores. Plus Nemeſi, quàm Naturæ tribuiſtis. Nè longus exemplis ſim; paucis dico: tota te, Zaleuce, condemnat Antiquitas. MATTHIAS BONERUS.

EXER-

EXERCITATIO VIII.

Male eſt extra legem viventibus: quicquid meruerunt, ſemper exſpectant.

MAxima pars felicitatis humanæ in virtute conſiſtit. Nam qui extra legem vivunt, conſcientiæ ſtimulis exagitantur velut tedis furiarum ardentibus, & in cruciatu perpetuo conſeneſcunt. neque enim indormiſcit aquila iſta Promethei, ad cuſtodiam menti appoſita; ſed ubique ſontes perſequitur, & occultis ictibus interpellat. Videas eorum membra cogitatione palleſcere, mentem animúmque hebetari; vultum triſtitiam induere, & ante oculos ſemper pœnam verſari quam meruerunt. Tanti eſt à juſtitiæ præſcripto recedere. imò tanti eſt velle mori cùm non poſſis, & tamen ſemper tabeſcendo mori. Siquidem ex

ſapien-

ſapientum ſententia annorum fomentum ſit lætus hilariſque animus: nulla vita poteſt eſſe diuturna, quæ in perpetuo dolore trahitur. at verò improborum mentes, neque ſomno revocantur ad ſanitatem, neque vigiliis: ſed quotidie pœnam in procinctu eſſe putant quam timent, & domeſtico teſte convicti, ipſi ſeſe ad ſupplicium proſcribunt. Vis igitur feliciter vivere? vive bene. NICOLAVS BVRGVNDIVS.

EXER.

manæ aſſertorem, dejici de Conſulatu ſuadet. quid poſtea? in Leges civitatis, in amicitiæ jura L. Brutus involat: nempe, quia bonum civem, ſed Reip. inſidiantem; quia collegam ſociúmque ſuum, ſed perfidum; quia libertatis Romanæ aſſertorem, ſed & turpiùs deſertorem in Conſulatu eſſe noluit. Scilicet ego eum bonum civem appellem, qui reſtitutæ libertatis pallio involutus, majus excidium, majorem populo ſervitutem machinabatur? quem non puduit publico in Senatu auctorem fieri, ut bona iterum Tarquinio redderentur? Quid? bonum civem, cujus nomen ipſum invidiæ plenum eſt. Hic eſt, qui ingratus Lucretiæ ſuæ, piorum ejus cinerum deſpector, etiam ei ſe amicum præſtitit, cujus violentiæ pudor matronalis ceſſerat; qui gladium reſtituit, à quo periculum aris, focis, matronis, denique populo pernicies indubitata immineret. Hunc Brutus in Conſulatu eſſe noluit, exulem voluit. Verùm turpe forſitan in Bruto, eam cauſſam exilii in Collatino notare,
qua

qua etiam ipſe notatus & inſignitus erat; proſapiam ſcilicet regiam, odioſam non minùs, quàm P.R. deteſtandam. hoc quidem non inficior; animadvertendum tamen eſt, tria eſſe potiſſimùm, quibus antiqua illa calamitas P. R. in memoriam rediret, & veluti quoddam vulnus libertati acquiſitæ infligeret. Amor Tarquiniorum, nomen ipſum, affinitas. Amorem Collatinus publicè in Senatu teſtatus eſt: affinitatem negare non poterat: nomen, velut unguis in P.R. adhuc prurienti ulcere exſtabat. Hic tamen civis erit, erit Conſul? Brutus verò inviderit & minori? Liquere non arbitror, ſine detrimento Reip. Collatinum conſulem manere potuiſſe: atque hinc nunc manifeſtum evadit, Brutum, nulla ductum invidia, Collatino obſtitiſſe. atque id apertiùs, ſi cognoverimus, omnes viri actiones ſpectaviſſe ſalutem conſervationémque Reipubl. Et ut cetera omittam, quo quæſo indicio pleniùs id oſtendere potuit, quàm cùm filios interemit, ut P. R. ſibi in filium adoptaret? O feli-

cem te Brute, qui ferrum, qui flammam, qui cædem à populo removiſti, cùm tuæ fidei optimæ & ſpectatiſſimæ ſalus urbis & civium inniteretur! Tu, tu, Brute Conſul, communis exitii inimicos cepiſti: tu incluſam in literis Reip. peſtem deprehendiſti: tu periculorum indicia, tu auxilia ſalutis attuliſti. M. C.

EXERCITATIO VII.

Zaleucus, cùm filio adultero unum eruit oculum, ſibi alterum, legi ſuæ non ſatisfecit.

NEſcio, quoniam mortalium fato factum ſit, ut importuna naturæ propenſione, tam faciles ſint ad judicandum. Quivis actus alienos inquirit, alienæ vitæ quivis cenſor eſt. Ipſa principum decreta popularis judicii trutina ventilantur. In ima plebe reperias, qui ſapientia magnatum conſilia, non conſilia putet, ſed deliria. Scilicet Conſus Deus fugit generoſas animas, abjectas inſedit. Et quidem tam continua judicandi proclivitas, ut cenſeatur, quiſquis cenſet. Alter alteri judex eſt. Sed ille profectò magnus humanæ mentis error, quòd alienos mores curioſa quærit indagine, proprios non attendit. Expreſſit hoc reverenda ve-

tuſtas, cùm Lamias finxit domi cæcas, foris oculatas. *Tecum habita*, donec plena prudentiæ maturitas dignum te fecerit, qui de ceteris ſtatuas. Etiam mihi libet *cum inſanientibus furere.* Etenim paro de Iudice judicare. Vos tamen ignoſcite, ſi de proprii præſcripti regula videbor deviare. Sententiam dicam, non ſententiam. Agam judicem, non ero. Lingua judicabit, non animus. Quippe nefas mihi fuerit, ad verum cenſuræ traxiſſe tribunal ſacroſancta priſcorum legiſlatorum facta, tanquam non juſta. Solius exercitationis res eſt, quam molimur. Non noſtræ dictionis ſcopus, ut in ſententiam pedibus eatis; orare tantùm propoſui, non perorare. Audite, quæ dicturus ſum, non ſentite. Ego quidem qualiter dixero, num ad guſtum? è vobis ipſis intelligam. Placuiſſe, continuata teſtabitur aurium attentio: diſplicuiſſe, tumultuans pedum exploſio. Enorme crimen adulterium eſt: multorum Philoſophorum opinione perjurio gravius exiſtimatum. Quaſi levior foret

violatio numinis, quàm thori. In omni bene conſtituta Republica pœnas adulter invenit. Apud Romanos lex Iulia temeratores alienarum nuptiarum ultore ferro perſequebatur: Apud Iudæos rigida ſaxorum tempeſtate mœchus oppreſſus: apud Ægyptios naſo truncatus: apud Athenienſes paratiſmo punitus. Ex nomine pœnam ferens apud Græcos Didymus tibicen, è teſtibus pependit. Zaleucus nomotheta Locrenſium conſtituit exoculandum, quisquis adulterii convinceretur. Rectè. Nam radiis oculorum impudicus amor accenditur: ducibus oculis ad hoc ſcelus pervenitur. Verè Fabius: *Vitiis in animum per oculos via; oculi tota noſtra libido; hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiſcunt.* Sed quid Zaleuce? Filium tuum crimen jam fecerat adulterum; ſententia tua declararat: & tamen videre non deſiit. Non ſatis fuit, altero luminum privaſſe: lex voluit, ut utrumque vindice cuſpide foderetur; ac ſi planè foret indignus ætheris benefi-

cio, qui divinam vel Lunæ, vel Solis reverentiam, nefandi facinoris impuritate violaſſet. Dormivit in te ipſo tua lex? Ab auctore ſuo obtinere non potuit, ut præſcriptam caſtigandi formulam juſtiſſima ſeveritate ſequeretur? Sententiæ debitæ neglectu laudabilis tuæ ſanctionis auctoritatem minuiſti, gloriam maculaſti. Vel ſtrictiùs in filii delictum, quàm alterius fuerat animadvertendum. Sic majus dignitatis ſuæ pondus apud ſucceſſuros judices ſtatutum tuum habuiſſet, majus prohibitionis ſuæ robur apud ſubjectos. Illos nunquam inſidiatrix judiciorum corruptela, hoc nunquam illicitæ Veneris obſcœna cupiditas expugnaſſet: utroſque ſanctiſſimi præjudicii memoria, ſevera quadam religione continuiſſet. Tantum facit ad impetrandam legis obſervationem, legiſlatoris exemplum. Summa Rerumpublicarum ſalus eſt, vel exulare planè vitia, vel juſtè puniri. Non leviter igitur in tuam legem peccaſti, cùm turpiſſimi ſimul & graviſſimi criminis tam facilis ultor extitiſti. Vix

pœnam

pœnam ullam inflixiſſe cenſendus es, quia non ex legis regula. Remittitur potiùs facinus, quàm punitur, cùm ſic in puniendo delinquitur. Quid? Plus Reipublicæ debebas, quàm filio; plus Reipublicæ debebas, quàm adultero: pluris tamen filium, pluris adulterum, quàm Rempublicam æſtimaſti. Marcus Curtius, uterque Decius, devotas animas impenderunt, quò nutans Romanæ gentis gloria deſineret periclitari. Innocentia filii lumina non impendiſti, quò juſtitiæ fundatior floreret auctoritas. Non tanti tibi fuit Aſtræa. Maluiſti Deam negligere, quàm excæcare ſontem. Sedes jam proinde, cum dira furiarum triade, lacrymoſo miſerrimæ vocis ejulatu judicibus inclamans, *Diſcite juſtitiam.* Admones ceteros, teipſum crucias. Cogeris extorta per pœnas teſtatione juſtitiam commendare, cùm exercere non potes; quia contempſiſti, cùm poſſes, imò cùm deberes. Si quidquid apud inferos durum Rhadamantus impoſuit; ſi cruciatuum quâdã viciſſitudine nunc

Tityus

Tityus es, nunc Siſyphus, nunc Ixion; dignïſſimè luis. Ipſis namque Numinibus refragatus impiè fuiſti, quia nō ſat ſtrenuè proſequutus æquitatem. Hæc nullo quenquam habent diſcrimine, *Tros, Rutulúſve fuat*, cùm ſupplicia ſceleribus diſpenſanda ſunt. Faciliùs omnium decorum ſuorum patiantur jacturam, quàm Iuſtitiæ. Nec enim Numina ſint, niſi juſta. Tu mihi reſponde *Mercuri, facunde nepos Atlantis*, Deorum nuncie, cæleſtium arcanorum interpres: Quid primum in Diis? Iuſtitia. Quid ſecundum? Iuſtitia. Quid tertium? Iuſtitia. Te pudeat itaque Zaleuce, qui vili pendiſti, quod tanti facit æternus ſuperæ ſedis habitator. O malum! Lenocinantibus paternæ facilitatis illecebris inductus es, ut ſacroſanctum tribunalis rigorem temerares. Iudex eras: animo debebas excludere, quidquid inſidias juſtæ ſeveritatis ſententiæ facere potuiſſet. Mittendus in exilium paternus erat animus, ut diſciplina legis vigorem ſuum obtineret. Quid tu Iuni Brute? In foro, ante ora Quiritium

ritium, filios tuos ſecuri percuti juſſiſti: quòd novarum rerum cupidi, in regnum reſtituere Tarquinium cogitarent. Exuebas patrem, ut ageres conſulẽ: orbus vivere malebas, quàm publicæ deeſſe vindictæ. Quid tu Manli Torquate? Gnatum tuum extra ordinem, cum Geminio Metio prœliatum capitis pœnâ non exemiſti, tametſi victor ab hoſte ſuperato ſpolia reportaret. Satius eſſe judicabas, patrem forti filio, quàm patriam militari diſciplina carere. Quid tu Aule Fulvi? Filius ad caſtra Catilinæ temerario tendebat impetu: medio ab itinere retractum ſupplicio mortis affeciſti. Non illum Catilinæ contra patriam, ſed patriæ contra Catilinam genueras. O magnas Heroum animas! Qui ſpectatores eratis amovendi, pœnarum ipſi fuiſtis exactores. Plus Nemeſi, quàm Naturæ tribuiſtis. Nè longus exemplis ſim; paucis dico: tota te, Zaleuce, condemnat Antiquitas. MATTHIAS BONERVS.

EXER-

ſapientum ſententia annorum fomentum ſit lætus hilariſque animus: nulla vita poteſt eſſe diuturna, quæ in perpetuo dolore trahitur. at verò improborum mentes, neque ſomno revocantur ad ſanitatem, neque vigiliis: ſed quotidie pœnam in procinctu eſſe putant quam timent, & domeſtico teſte convicti, ipſi ſeſe ad ſupplicium proſcribunt. Vis igitur feliciter vivere: vive bene. NICOLAVS BVRGVNDIVS.

EXER.

EXERCITATIO IX.

Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

SERVIRE nulli, viam quò lubet flectere, quodcunque animo complacitum fuerit agere, cùm datum ſit hominibus; una tamen eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor nimirum vitæ: ita ille nos detinet, ita perplexos reddit, ut vivere cùm nos putemus, prius incipiamus, aut potiùs jam deſinamus etiam, cùm non inceperimus. Neque enim tenacis terræ calcare gramina, vitalem hunc, & per cuncta rerum meabilem aërem haurire, id eſt vivere; ſed in vita morari. Vſque ad ſapientiam vivas oportet, ut diu & bene vivas. *qui ad illam pervenit*, inquit Seneca, *attigit non longiſſimum, ſed maximum finem.* agit hic quod vult, non deſide-

rat particulatim admoneri, doctus in totum. Sed abducit pleroſque pubeſcentibus genis decora ætas, in vitium flexibilis, aſpera monitoribus, & utilia relinquere pernix. gaudet illa

Equis canibuſq́. & aprici gramine campi:

lætatur, dum fata ſinunt, curas canis relinquens capillis. His, inquit, utile

Pallere & toto vinum neſcire Decembri:

tum juvat moroſo & titubante corporis geſtu Stoæ deliria percurrere. Sed quid? etiam ætatem diſponis, cùm nec craſtino domineris. Crede; nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. *properat* enim *curſu Vita citato, volucrique die Rota præcipitu volvitur anni.* Incertum autem eſt, quàm propè verſetur vitæ terminus, fortè in illam, quam præis, horam caſus incidet. Ita igitur animum tuum forma, tanquam ad extremum ventum ſit; nihil differ, vivere propera, & ſingulos dies, imò momenta ſingula, ſingulas vitas exiſtima, & ſi fortè canos rugáſque conceſſerit benignior dicam, an iniquior natura mater? iis tu viaticum ab adoleſcentia, veram nimirum ſapientiam,

quære. *Cultura illa eſt animi; quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos, eáque mandat his, &, ut ita dicam, ſeris; quæ adulta fructus uberrimos ferant.* Vt ager, quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ita nec animus. Hanc igitur, quiſquis vitam amas, quære; ne dicaris, fuiſſe tantùm, non vixiſſe. quære: ſed *hodie*. deſidioſa nimis vox eſt, *Cras hoc fiet.* cùm enim

----cras heſternum conſumpſeris, ecce aliud cras
Egeret hos annos, & ſemper paulùm erit ultrà.

IVSTVS MVLDERVS ASCANIVS.

EXERCITATIO X.

De puellâ, quæ maritum occidit.

Facinus novum & memorabile hîc narro, quod propè Grudios nuper accidiſſe fertur. Virgo quædam egregia forma paucis abhinc menſibus adoleſcentem ſollicitavit ad nuptias; peractoque ex more officio, cùm adhuc penè Hymenæus in limine perſtreperet, adverſumq; thalamum exornaret inceſta veſtis, ſponſi ſui exoſa commercium, alieno congreſſu genialem torum contaminare cœpit. Neque ſe his limitibus inſolens petulantia continuit. Quippe magis indies magisq; ſtimulante libidine, implacabile odium concepit adverſus maritum: & quò faciliùs cupiditati locum faceret, domeſtico jurgio totos dies in caupona detinebat. Redeuntem verò

intempeſta nocte eadem humanitate excipiebat, qua ejecerat. atque (ut eſt ingenium mulierum ab ira proclive ad injuriam) fœdiſſima linguæ petulantia tacentis patientiam quotidie exagitabat. Tandem bonus ille vir, ut aliquando rabioſæ conjugis evitaret inſaniam, rectà ſe ad quietem compoſuit, ſuaviſſimóque illo cantu, velut Argus à Mercurio delinitus, facilè ſomno immerſus eſt. Quid tum fit? ubi illa maritum indormîſſe videt, neque ultrà verbis poſſe ulciſci contumeliam; omnia humani manſuetique animi officia exuit, & in facinus prona cogitatio ſeſe porrexit ſupra muliebris naturæ audaciam. Sine mora igitur aggreſſa ſternutantem, adhibita collo novacula, impavidè jugulavit. Ac ne tum quidem aliquid de crudelitate remiſit: ſed ne cadaver ſcelus proderet, triſtiſſimo Medeę exemplo ſecuit in partes, atque infelicis mariti palpitantia membra in lutulento puteo diſſipavit. Videas tum quotidie apud parentes increpare abſentiam viri (aiebat enim profectum

in vi-

in vicinum oppidum ad mercatum:) videas nuncà prædiatoribus occiſum fingere, nunc torrentibus undis noctu obrutum, cùm titubanti greſſu referret pedem; imò fata ipſa deóſque palàm incuſare, qui tam citò aperuiſſent divortio viam. Denique ut omnia ſuſpicionis veſtigia tolleret, infeſtis unguibus radere genas cœpit, paſſis eſſe crinibus, inimico queſtu dolorem mentiri, eáque omnia facere, quæ lugentes ſolent. Sed quid? *Malè eſt extra legem viventibus*; quia eos ſemper pœna perſequitur, quam meruerunt. Interea enim dum blanditiis amici ſquallentem exonerant, dolorisq; pertinaciam expugnare perſiſtunt verborum lenocinio; non tulit fortuna diutius occultum nefas, neque ſine vindicta eſſe voluit tam execrabile temeritatis exemplum. Igitur ex eo ſolantium numero ſenex quidam notavit ſibi in puteo aquis innatare lineam veſtem (cui fortè ventrem interempti crudelis femina involverat, ne viſcera exciderent:) frugalitatis ſuæ memor, extraxit curioſa dilige-

tia, atque in conſpectu omnium, detecto humano pectore, tota ſeſe tragœdia aperuit. Præterea in culcitro ſanguinis relicta veſtigia, dubitationi ultrà locum non fecere. Confeſtim à miſericordia ad iram converſis animis, cohiberi vix potuit juſtiſſimus parentum furor, quin recenti funere funus cumularet. Sed infra amicorum preces facinus fuit. Interim, ne res ſine manifeſta ultione decederet, quæſtione à Prætore habita, crudelitati ſuæ nefanda uxor triſtiſſima morte litavit. Nicolaus Burgundius.

EXER-

EXERCITATIO XI.

Mulier imperio apta.

INIVRIAM ſequiori ſexui feciſtis, O Viri, quòd feminas ponte, roſtris, pœnulâ, laticlavo, trabeâ prohibendas decreveritis. Non illis novercata natura: non producere prærogativam poteſtis, qua præcellatis. Paribus prodiviſtis primordiis, pari conditione, ſolo corporum habitu diſcreti. Non ſoli bellatrices manus geritis; non ſoli largis ſcientiarum fluminibus inundamini; non ſoli rectè conſulitis: etiam mulieres Mars, Minerva, Conſus inſtruxit. Dicam? Invidia ſola ſtimulavit, uti tam indignè ſtatueretis; quò tandem generoſæ femininorum pectorum dotes obſoleſcerent, nullis exercitiis excultæ. Honoris, dignitatis, auctoritatis ſocias ferre nequiviſtis,

ſtis, ſine quibus eſſe non ſuſtinetis. Siccine rependitis pio matrum generi, quæ frequentes vitam linquunt, ut gnati auſpicentur? Siccine in quoddam ſervitutis jugum compingitis, quæ tribus proſunt temporibus, ne ſervi naſcamini? Diſcutite veterum ſcriptorum monumenta, luſtrate retrogradam ſeculorum ſeriem: muliebrium virtutum vibrantes radii malevolos oculos ubiq; perſtringent. Statuæ, flumina, campi, civitates, ſepulchra teſtabuntur tacitâ fide, fuiſſe feminas, quæ manibus, animis, ingeniis, mares vicerint, Deos ſtupefecerint, naturam tranſcenderint. Threicia Amazon ſuperari non poterat, niſi ſolius Alcidæ devota victoriis dextera. Tomyris tremendum Cyri caput utre ſanguinolento concluſit. Alexandri fulminantes acies Hippolyte non expavit. In attonitos Tiberis fluctus imperterrita Clœlia virgineum corpus immiſit, non tantùm obſidione, ſed etiam metu patriam ſolutura. Quis in divina Philoſophiæ diſciplina talem te formavit ô Socrates? Aſpaſia,

ſpaſia, Diotima. Quis apud Triumviros potente facundia te defendit, Hortenſi? Hortenſia. Quis bellaci carmine Pharſalicas acies tecum pugnavit, Lucane? Pollua tua. Cui refertis acceptam eloquentiam, Gracchi? matri Corneliæ. Æſtimavit Octavianus Cæſar femineum ſexum: etenim nihil unquam ſuſcipiendum putavit, nî priùs conjugis ſuæ ſententiam exploraſſet. Æſtimavit Iuſtinianus, Iuris Hercules: uxorem namque ſuam voluit ſacrorum conſciam, conſortémque conſiliorum. Æſtimavit Xerxes: cujus in arcano concilio, delectos inter Perſarum proceres Arthemiſia non ſemel adſedit. Ite viri, Principes erroris damnate, quòd imprudentibus, quòd infidis, inconſtantibus, quòd rimoſis feminarum pectoribus ſecretiora ſenſa crediderint. In hunc modum calumnioſè proſcinditis innocentes animas. Ampliùs? Vitia fingitis, ut inſectari poſſitis. Iis figmentis reæ ſunt. Quæ tua ſententia, divine Plato? *Omnibus partibus, quæ propriè virorum putantur, con-*

EXERCITATIO IX.

Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

SERVIRE nulli, viam quò lubet flectere, quodcunque animo complacitum fuerit agere, cùm datum ſit hominibus; una tamen eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor nimirum vitæ: ita ille nos detinet, ita perplexos reddit, ut vivere cùm nos putemus, priùs incipiamus, aut potiùs jam deſinamus etiam, cùm non inceperimus. Neque enim tenacis terræ calcare gramina, vitalem hunc, & per cuncta rerum meabilem aërem haurire, id eſt vivere; ſed in vita morari. Vſque ad ſapientiam vivas oportet, ut diu & bene vivas. *qui ad illam pervenit,* inquit Seneca, *attigit non longiſſimum, ſed maximum finem.* agit hic quod vult, non deſide-

rat

rat particulatim admoneri, doctus in totum. Sed abducit pleroſque pubeſcentibus genis decora ætas, in vitium flexibilis, aſpera monitoribus, & utilia relinquere pernix. gaudet illa

Equis canibuſq́; & aprici gramine campi:

lætatur, dum fata ſinunt, curas canis relinquens capillis. His, inquit, utile

Pallere & toto vinum neſcire Decembri:

tum juvat moroſo & titubante corporis geſtu Stoæ deliria percurrere. Sed quid? etiam ætatem diſponis, cùm nec craſtino domineris. Crede; nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. *properat* enim *curſu Vita citato, volucrique die Rota præcipitis volvitur anni.* Incertum autem eſt, quàm propè verſetur vitæ terminus, fortè in illam, quam præis, horam caſus incidet. Ita igitur animum tuum forma, tanquam ad extremum ventum ſit; nihil differ, vivere propera, & ſingulos dies, imò momenta ſingula, ſingulas vitas exiſtima, & ſi fortè canos rugáſque conceſſerit benignior dicam, an iniquior natura mater? iis tu viaticum ab adoleſcentia, veram nimirum ſapientiam,

 quære,

quære. *Cultura illa eſt animi, quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos, eáque mandat his, &, ut ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.* Vt ager, quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ita nec animus. Hanc igitur, quiſquis vitam amas, quære; ne dicaris, fuiſſe tantùm, non vixiſſe. quære: ſed *hodie*. deſidioſa nimis vox eſt, *Cras hoc fiet*. cùm enim

----cras heſternum conſumpſeris, ecce aliud cras
Egeret hos annos, & ſemper paulùm erit ultrà.

IVSTVS MVLDERVS ASCANIVS.

EXERCITATIO X.

De puellâ, quæ maritum occidit.

FACINVS novum & memorabile hîc narro, quod propè Grudios nuper accidiſſe fertur. Virgo quædam egregia forma paucis abhinc menſibus adoleſcentem ſollicitavit ad nuptias; peractóque ex more officio; cùm adhuc pænè Hymenæus in limine perſtreperet, adverſumq; thalamum exornaret inceſta veſtis, ſponſi ſui exoſa commercium, alieno congreſſu genialem torum contaminare cœpit. Neque ſe his limitibus inſolens petulantia continuit. Quippe magis indies magisq; ſtimulante libidine, implacabile odium concepit adverſus maritum: & quò faciliùs cupiditati locum faceret, domeſtico jurgio totos dies in caupona detinebat. Redeuntem verò

intempeſta nocte eadem humanitate excipiebat, qua ejecerat. atque (ut eſt ingenium mulierum ab ira proclive ad injuriam) fœdiſſima linguæ petulantia tacentis patientiam quotidie exagitabat. Tandem bonus ille vir, ut aliquando rabioſæ conjugis evitaret inſaniam, rectà ſe ad quietem compoſuit, ſuaviſſimóque illo cantu, velut Argus à Mercurio delinitus, facilè ſomno immerſus eſt. Quid tum fit? ubi illa maritum indormîſſe videt, neque ultrà verbis poſſe ulciſci contumeliam; omnia humani manſuetique animi officia exuit, & in facinus prona cogitatio ſeſe porrexit ſupra muliebris naturæ audaciam. Sine mora igitur aggreſſa ſternutantem, adhibita collo novacula, impavidè jugulavit. Ac ne tum quidem aliquid de crudelitate remiſit; ſed ne cadaver ſcelus proderet, triſtiſſimo Medeę exemplo ſecuit in partes, atque infelicis mariti palpitantia membra in lutulento puteo diſſipavit. Videas tum quotidie apud parentes increpare abſentiam viri (aiebat enim profectum

in vi-

in vicinum oppidum ad mercatum:) videas nunçà præmiatoribus occiſum fingere, nunc torrentibus undis noctu obrutum, cùm titubanti greſſu referret pedem; imò fata ipſa deóſque palàm incuſare, qui tam citò aperuiſſent divortio viam. Denique ut omnia ſuſpicionis veſtigia tolleret, infeſtis unguibus radere genas cœpit, paſſis eſſe crinibus, inimico queſtu dolorem mentiri, eáque omnia facere, quæ lugentes ſolent. Sed quid? *Malè eſt extra legem viventibus*; quia eos ſemper pœna perſequitur, quam meruerunt. Interea enim dum blanditiis amici ſquallentem exonerant, dolorisq; pertinaciam expugnare perſiſtunt verborum lenocinio; non tulit fortuna diutius occultum nefas, neque ſine vindicta eſſe voluit tam execrabile temeritatis exemplum. Igitur ex eo ſolantium numero ſenex quidam notavit ſibi in puteo aquis innatare lineam veſtem (cui fortè ventrem interempti crudelis femina involverat, ne viſcera exciderent:) frugalitatis ſuæ memor, extraxit curioſa diligē-

tia, atque in conſpectu omnium, detecto humano pectore, tota ſeſe tragœdia aperuit. Præterea in culcitro ſanguinis relicta veſtigia, dubitationi ultrà locum non fecere. Confeſtim à miſericordia ad iram converſis animis, cohiberi vix potuit juſtiſſimus parentum furor, quin recenti funere funus cumularet. Sed infra amicorum preces facinus fuit. Interim, ne res ſine manifeſta ultione decederet, quæſtione à Prætore habita, crudelitati ſuæ nefanda uxor triſtiſſima morte litavit. NICOLAVS BVRGVNDIVS.

EXERCITATIO XI.

Mulier imperio apta.

INIVRIAM ſequiori ſexui feciſtis, O Viri, quòd feminas ponte, roſtris, pœnulâ, laticlavo, trabeâ prohibendas decreveritis. Non illis novercata natura: non producere prærogativam poteſtis, qua præcellatis. Paribus prodiviſtis primordiis, pari conditione, ſolo corporum habitu diſcreti. Non ſoli bellatrices manus geritis; non ſoli largis ſcientiarum fluminibus inundamini; non ſoli rectè conſulitis: etiam mulieres Mars, Minerva, Conſus inſtruxit. Dicam? Invidia ſola ſtimulavit, uti tam indignè ſtatueretis; quò tandem generoſæ femininorum pectorum dotes obſoleſcerent, nullis exercitiis excultæ. Honoris, dignitatis, auctoritatis ſocias ferre nequiviſtis,

ſtis, ſine quibus eſſe non ſuſtinetis. Siccine rependitis pio matrum generi, quæ frequentes vitam linquunt, ut gnati auſpicentur? Siccine in quoddam ſervitutis jugum compingitis, quæ tribus proſunt temporibus, ne ſervi naſcamini? Diſcutite veterum ſcriptorum monumenta, luſtrate retrogradam ſeculorum ſeriem: muliebrium virtutum vibrantes radii malevolos oculos ubiq; perſtringent. Statuæ, flumina, campi, civitates, ſepulchra teſtabuntur tacitâ fide, fuiſſe feminas, quæ manibus, animis, ingeniis, mares vicerint, Deos ſtupefecerint, naturam tranſcenderint. Threicia Amazon ſuperari non poterat, niſi ſolius Alcidæ devota victoriis dextera. Tomyris tremendum Cyri caput utre ſanguinolento concluſit. Alexandri fulminantes acies Hippolyte non expavit. In attonitos Tiberis fluctus imperterrita Clœlia virgineum corpus immiſit, non tantùm obſidione, ſed etiam metu patriam ſolutura. Quis in divina Philoſophiæ diſciplina talem te formavit ô Socrates? Aſpaſia,

ſpaſia, Diotima. Quis apud Triumviros potente facundia te defendit, Hortenſi? Hortenſia. Quis bellaci carmine Pharſalicas acies tecum pugnavit, Lucane? Pollua tua. Cui refertis acceptam eloquentiam, Gracchi? matri Corneliæ. Æſtimavit Octavianus Cæſar femineum ſexum: etenim nihil unquam ſuſcipiendum putavit, nî priùs conjugis ſuæ ſententiam exploraſſet. Æſtimavit Iuſtinianus, Iuris Hercules: uxorem namque ſuam voluit ſacrorum conſciam, conſortémque conſiliorum. Æſtimavit Xerxes: cujus in arcano concilio, delectos inter Perſarum proceres Arthemiſia non ſemel adſedit. Ite viri, Principes erroris damnate, quòd imprudentibus, quòd infidis, inconſtantibus, quòd rimoſis feminarum pectoribus ſecretiora ſenſa crediderint. In hunc modum calumnioſè proſcinditis innocentes animas. Ampliùs? Vitia fingitis, ut inſectari poſſitis. Iis figmentis reæ ſunt. Quæ tua ſententia, divine Plato? *Omnibus partibus, quæ propriè virorum putantur, con-*

Jungẽdas eſſe mulieres, bellicis etiam; quippe cùm utriſq; natura una ſit, eandem eſſe virtutem. Quid vos, ô Trogloditæ? Sacroſanctæ nobis fuerunt; & adeò, ut intercurſibus ſuis iratas dexteras in mediis conflictuum furoribus conſtrinxerint. Quid vos, ô Germani? Reverenda quadam divinitatis æſtimatione cenſuimus. Quid vos, ô Lacones? Dignas judicavimus, quas in ſancta Curiæ ſubſellia admitteremus. Quid vos, ô Romani? Veſtam matrẽ, pignus imperii, fidei virginali commiſimus. Quid tu, ô erudita Antiquitas? Artes, Scientias, Muſas cùm nomine, tum ſexu feminino donavi: ipſius juſtitiæ Præſidem, Deam feci, non Deũ. Quid vos demùm ô Diique Deæque omnes? Pandoram ſumpſimus, feminam ſumpſimus, in qua beanda divinę potentiæ vires experiremur. Deſino. Nec enim ampliùs humana exquirenda ſententia, quando divina decîdit. MATTHIAS BONERVS.

EXERCITATIO XII.

Parvi magnis præſtantiores ſunt.

ADESTE, ſi tamen adhuc alibi terrarum eſtis, gigantes; hodie pygmęi in arenam deſcendent, hodie homunciones ad duellum vos provocant: adeſte omnes magni, & qui Maximini caligam æſtimatis, *parvos magnis præſtantiores* eſſe oſtendam, & ab omni ævo fuiſſe. Repetite memoria omnium temporum ætates; mentiar, niſi magnos ferè omnes, ſtolidos, inertes, barbaros, impios; contrà, parvos animoſos, induſtrios, morum elegantia & doctrina illuſtres reperietis. Ecce ſtatim poſt Deucalionis & Pyrrhæ diluvium, quis aureum ſeculum & candidiſſimos hominum mores violavit? Nempe gigantes Enceladus, Centimanus Gyges, & minaci Porphyrion ſtatu,

ſtatu, & ingens Tytius,

Per tota novem cui jugera corpus

Porrigitur:

Aliique *terræ omniparentis alumni:* qui eò dementiæ proceſſerunt, ut etiam bellum moverent ſuperis, hoc eſt, ut Deos penates aris & focis deturbarent, & impietatem, furta, latrocinia, tyrannidem inveherent. Quòd ſi hiſtoriis, quas ſuis Poëtę figmentis decoloraverunt, fides adhibenda non eſt, ſaltem divinis ſcripturis credite. Primus Nimrot magnus & ingens venator, jura naturæ temeravit. nam homines, quos ingenuos illa creaverat, hic ſervituti turpiter addixit, ideóque reprobum & deteſtandum, non Deo tantùm, ſed hominibus ſeſe præbuit. Verùm deflectamus parumper oculos ab iſtis primis ſeculis, & ad ſanctiſſimam Hebræorum Remp. accedamus. Hic Saul magnus, & toto vertice ſupra populum eminens, qualis obſecro fuit? manſuetus, fortis, pius, ut ad regnum veniret; ſævus, ignavus, impius, ut malè adminiſtraret; & tandem etiam amens, atque inſanus, ut ſceptro & ſimul

&ſimul vita ſpoliaretur. Magnus pariter fuit Goliat, ſed ſpurius, improbus, nec fortis quidem: Martem enim ventoſa in lingua duntaxat habuit. David verò parvulus legitur, omni humanitate præditus, facie & vultu decorus, in prœlio invicti animi, & roboris, in pace manſuetus & prudens, omnium virtutum cumulo ornatus. Si per profanas hiſtorias vagari & excurrere paululũ lubeat, Vlyſſes occurret, quẽ parvũ fuiſſe Homerus teſtatur: tamẽ *Qui mores hominũ multorũ vidit & urbes:* cujus providentia nullis potuit inſidiis ſupplantari, cujus tendiculas nemo hoſtium indemnis evaſit: cujus lingua plus valuit in Troiâ expugnandâ, quàm magni Ajacis magnus, & Phœbeiæ Lampadis inſtar clypeus: cujus inermis militia ulteriùs promovit Græcorum gloriam, quàm mille navium armata multitudo; denique cujus induſtria plus præſtitit, quàm Polyphemi monoculi, omniúmque Ætneorum gigantum procera illa & ſtolida corpora. Occurret etiam Alexander Macedo, magnus quidem rerum

rum geſtarum gloria, ſed quia ſtaturâ parvus, victor orbis terrarum: nec enim tanta fortitudo animi, tanta vis, tanta induſtria in eo fuiſſet, niſi puſillus fuiſſet. Occurrent mille alii, & alii, cùm bello, tum pace illuſtres viri: in Repub. quidem Spartana Lycurgus ipſe, & Solon apud Athenienſes, Demoſthenes, Themiſtocles, Miltiades, & ipſi ſeptem Græcorum ſapientes: apud Romanos omnes furioſiſſimi & ſeditioſiſſimi homines magni in hiſtoriis leguntur; contrà religioſi, fortes, & animoſi, Numa Pompilius, Coriolanus, Cæſar Octavianus: docti itidem & eloquentes, Virgilius, Horatius, Perſius, Hortenſius, Saluſtius, parvi prædicantur. Et certè ſi ratio aliqua à natura ipſa haurienda ſit & indaganda, cur parvi magnis præſtent, facili negotio reperietur. Cùm enim parvi contracta, & quaſi juncta ac conglutinata omnia membra ſua habeant, magni verò diſperſa, & quaſi ſejuncta, neceſſum quoque eſt, ut in iſtis vires conglobatæ fortiorem agiliorémque corporis ſtructuram faciât,

in his

in his ſeparatæ minùs validam gravémque ac ponderoſam. Conticeo plauſibile vulgi dictum, ideo parvos prudentiores eſſe magnis, quia ſapientiæ domicilia, cor & cerebrum, in puſillis non ita longè à ſe diſtant, quàm in vaſtis illis & proceris corporibus. Quidquid ſanè cauſæ ſit, nec enim facilè alias comminiſci queo, videmus pulcherrima & præſtantiſſima ipſius naturæ opera parva eſſe, & ab exiguitate commendari. Quatuor partes orbis eſſe ſcimus, & inter eas minímam Europam: tamen eâ fertilitate agrorum, populorum, & Regnorum multitudine, doctiſſimorum virorum florentiſſimis ingeniis alias longè poſt ſe relinquit. Et quantula obſecro Roma erit, ſi cum univerſa mundi machina conferas? Illa tamen Europam, Aſiam, Africam bellis victoriiſq; peragravit, toti orbi imperium & leges dedit. Iam verò inter beſtias, quid leone fortius? taurum tamen, equum, elephantem, & multa alia vaſta grandiáque animalia magnitudine corporis non adæquat.

Parva

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum:
A cane non magno ſæpe tenetur aper.
Quid ſolertius prudentia apum? parvæ ſunt. Quid laborioſius diligentia formicarum? parvæ ſunt. Quid ſubtilius ingenio aranearum? parvæ ſunt. Omnes etiam in aëre aviculæ, quæ dulciſſimè cantillant, parvæ ſunt: Omnes, quæ altiſſimè & rapidiſſimè volant, parvæ ſunt. Audis enim Luſciniam per integrum agri tractum molliter & mobiliter diſcordi concordia minurientem, & tamen vix vides: econtra maximæ volucres aut infeliciter canunt, ut bubo, corvus, cornix, milvius; aut nihil canunt, imò pleræque in genus ſuum ſæviunt, humano ſanguine veſcuntur, rapto vivunt: cujuſmodi ſunt Accipitres, Niſi, Aquilæ, Vultures, Harpyiæ, & id genus aves infauſtiſſimæ. In mari verò non ego mirabor cete grandia, non immanes belluas, non ſquamoſas balænas, ſed Delphina pium, & Remoram piſciculum minimum, qui naves vaſtiſſimas ſiſtere, & remorari poteſt. Hic

ſexus

fixus hæreo & ſtupeſco in ipſius naturæ miraculis, ſed tamen ut ulterius progrediar, faciunt, ipſam naturam ſemper æmulati præſtantiſſimi artifices, plaſtæ, pictores; ipſique oratores, qui quidquid magnum, id eſt, memorabile, & ſempiterna poſteritatis memoria dignum fecerunt, parvum eſſe voluerunt. Inſignis ille Cous artifex in muſca formanda totam ætatē ſuam conſumpſit, quam dum abſolviſſet, nec opus ejus videre potuerunt luſci; nec artem niſi periti. Et quis non laudet potiùs Zeuxis uvas aut parvulam artificioſamq; Apellis lineam, quàm gigantem Polignoti; aut grandes coloſſos, & Euphranoris marmora? Inter ſcriptores verò, tùm Græcos, tùm Latinos, qui minùs ferè ſcripſerunt, plus ſapientiæ nobis reliquerunt. Epicteti aureum illum de moribus libellum, quis dignis præconiis proſequatur? & tamen pugno concludi poſſet. Quis non miretur divina Senecę ſcripta? & tamen omnia libellis conſtant. Intellexerũt nempe viri ſapientiſſimi parvam orationem maximi ponderis

 eſſe,

eſſe,& fortiùs ferire, quàm copioſam illam, & Aſiaticam verborum colluviem. Sed vereor ego, ne dum copiosè nimis parvos laudo, longiùs quàm par ſit ſeſe provehat mea diſſertatio, & id ipſum vitium incurrat, quod contemnit, aut in aliis ignominioſum reprehendit. I. H.

EXER-

EXERCITATIO XIII.

Inter Palladis ornamenta Sclopus eſt.

IN hæc ſubſellia conſcendo, contra Doctorem breviter declamaturus, lectiſſimi IVVENES. Ne miremini: nec inconſultus, nec inſolitus hic meus conatus eſt. nam per eloquentiæ exercendæ rationem licet, ut diverſum ſentiamus ac loquamur: & Majores noſtri in hac ipſa ſchola Antagoniſtas delegerunt, quibuſcum lingua prœliarentur. Togam ſuam in argumenti patrocinium produxit: futurum non arbitror, ut ex pallio propoſitum meum condemnetis. ſagum quoddam & inſigne Martis mihi erit, ab inimica orationis nuperæ proſcriptione SCLOPVM defendenti. Duas cauſſas acturus ſum, dum unam agam: & noſtram, & SCLOPI. Illa etenim ætas noſtra, ut SCLO-

PVM projicere manu ſine generoſæ mentis infamia non poſſimus: ejuſmodi inſtrumentum SCLOPVS eſt, in quo non tantùm vim fulminis effictam, ſed artis & ingenii miraculum videamus. Mirari cogor, dum mente contemplor ejus induſtriam, qui conſtruit: ejus animum, qui diſplodit. Nihil profectò, præter ætatem, nihil præter dignitatem facimus, ſi in armis quoque ingenium colimus & uſurpamus. Non omne tempus libris adſignandum: dare quoque hæc Palæſtra debet, qui pro Principe, qui pro Patria, qui pro Religione depugnent. Non hoc ſolummodò agendum, ut animo docti prudentéſque, ſed actibus etiam fortes exiſtamus. Cui numini litamus? quas artes colimus? PALLADIS. illa non Sapientiæ tantùm præſes, verùm etiam Belli. Hoc galea, hoc ægis, hoc haſta teſtatur. quam una ex parte patronam habemus, ex altera quoque habeamus. Nullus nobis è manibus, è cingulo, SCLOPVM detorqueat, niſi ab otioſis & imbellibus litteris tantùm cenſeri velimus.

Non

Non eſt in SCLOPO crudelitas, ô IUVENES. finxit adverſarius, uti proſcinderet. Si taliter ſentiendum foret, nec pugio, nec enſis, nec lancea, nec arcus, dirum crudelitatis nomen effugerent. nimirum in idem cum Bombarda conſpirant, ut fugituræ animæ viam patefaciant. quid? etiam benigni ſumus, etiam miſeremur; cùm non avertenda machinæ violentia tollimus, quem diutius in vivis pati per ſcelus ſuum non poſſumus. hoc namque fit, ne mortis acerbitatem ſubiturus, mortis quoque tyrannico timore crucietur. In equuleo, in carcere, crudelitatem reperimus: quippe præſtant, ne moriatur, qui cadaver eſſe deſideret: præſtant, ut tamdiu necem patiatur, quamdiu exſpectat. Nec ideò à nobis hæc machina non uſurpanda, quod à Majoribus non uſurpata. pari ratione, veram religionem amplecti non debuerimus, quia priſci caruerunt: nec typis uti, nec aquas eliquandas igni dare, nec in undis molas ſtatuere, nec bombyces pretiosè laborantes fovere licebit, ſi

SCLOPUM non tractare. nam ſicut hunc, ſic illa, Majores ignoraverunt. attribuendum ingenioſæ ac felici noſtri temporis induſtriæ, quòd invenire potuerit, quo faciliùs victoriam pararemus: & hac inventione præſtitum, quòd præcedentia ſæcula vicerimus, ſubſequuturam poſteritatem in admirationem rapturi. Quiſquis es, honores tibi decernendi fuerunt, ſtatua ponenda, quòd in orbem primus induxeris uſum tonantis inſtrumenti. auctor es; quòd ingenio pugnare didicerimus. auctor es; quòd ori admoveamus intrepido, manu tractemus audaci, cujus ſonum ſine conſternatione plerique non audiunt. auctor es; quòd Iovis officium exercere cœperimus. Dolebunt nepotes, quòd inventum uſurpabunt, in faſtis inventorem non legent. Nequaquam ſceleri conjuncta victoria, quæ SCLOPO parta: tametſi doloſè repertum, quòd adverſarium ſimul & ſpiritu, & defendendi facultate privemus. Fortiter agit, qui ſic pugnat, ut ſibi reſiſti non poſſit. luculentum

victo-

victoriæ genus eſt, ingenioſo dolo poſſe ſuperare. In armis ſi cum laude dolos verſare non liceret; ab Ænea ſociisq; ſuis mutatos clipeos ac aſſumpta Danaorum inſignia, grandiloquus Maro non cecinisſet. etenim hoc conatus eſt, ut Anchiſiadæ cuncta facinora, laudabilia, magnifica, heroica cenſerentur. damnandi forent Græci, qui tum demum gloriosè ſibi conflixiſſe videbantur, cùm non armorum tantùm potentia, ſed induſtria quoque calliditate, victoriam peperiſſent. damnandi forent Romani, qui doloſis ſtratagematibus, munitiſſimas urbes, maximos exercitus, potiſſimam terræ partem devicerunt. Audacis animi robur oſtendimus, exonerare Bombardam qui non expaveſcimus. ipſa miſcemus elementa, ut tonemus. dirè ſonanti fragore tonitru, coruſcanti flamma fulgur ſimulamus. Miratur ales armigera, non ſuos in terra Ioves audiri. miratur cælum, infrà ſe tonitrua debacchari. miratur ipſe Iuppiter, annum totum noſtris fulminibus inquietum; ſibi fas eſſe

æſtate tantùm ſua jaculari. Inſigniter facis, quiſquis SCLOPVM perſequeris: crudelitatem doces, quiſquis inimicum lenta morte perimendum arbitraris. Gaudebit tali patrono Mezentius, qui

Mortua quinetiã jungebat corpora vivis,
Componens manibusq́ manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & ſanie taboq́ fluentes
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

gaudebunt Buſiris, Diomedes, Phalaris, Sylla; talem ſi crudelibus aris, ignivomis equis, ferventi tauro, ſævo carceri, defenſorem reppererint. Omnis ætas Tyrannos execrata: quis ſuadeat, uti ſimus? moras mortis nullus non damnavit: quis excuſet? Lugerent mites Muſæ, ſqualleret hi parietes, langueret Athenæum, ejuſcemodi ſententiam ſi probaremus. Eſto: vigeant alibi leges, quæ SCLOPVM ne geſtari quidem permittant. de veſtris ingeniis, ô IVVENES, tam ſiniſtrè ſtatuere nec libet, nec licet. celſior indoles, generoſior virtus, in pecto-

pectoribus iſtis dominatur, quàm ut abuti tam præclara machina cupiatis. Nihil conamini, niſi quod cum laude perfici poſſe judicatis: non facitis, quod condemnatura ſubſequi queat Metanœa. Vt aurum reliquáque metalla, ſic arma cenſenda ſunt; iſti bona, qui novit uti; iſti mala, qui neſcit. non uſurpare proponitis, niſi rectè: cur ſubtrahantur? ita me Deus! nemo dexteras veſtras exarmare poterit, niſi idem ingenito candori atrocis injuriæ ſtigma ſit inuſturus. Exeſto puer, exeſto mulier: animis caretis, quibus audeatis. Sic à natura comparatum, ut rigidi ſtetis, arma diſtricta ſi fulgere tantùm videritis, non rubere. patrare quomodò queatis, quod, ſi fiat, ſpectare non ſuſtinetis? Pectus Herculeum geras neceſſum eſt, quiſquis in arenam SCLOPO pugnaturus deſcendis. lædes fortean hoſtem, non ſternes: hîc maximum ſalutis periculum, ni te viriliter tueàris. ipſo nimirum vulnere ferocior, ſuo ſanguini non timebit, tuo pertinaciter inſiſtet. Erras toto cælo, ſola

ſi diſploſione certaminis fortunam concludis. Bombardam non tegamus, ſi gerimus. quod ſine gloria non tractamus, ſine dedecore non occultabimus. palàm feramus; ut quivis intelligat, ineſſe nobis animum, qui pugnam non exhorreſcat: palàm feramus, ut hoſtis ipſe cognoſcat, quòd imprudentem non ſimus invaſuri. ſic generoſitatis famam merebimur, proditoriæ machinationis ſuſpicione amoliemur. Cur Academiæ ſcita prohibeant? innatæ ſtudemus indoli, Principis ſaluti, Patriæ tranquillitati, cùm non Minervæ tantùm, ſed Marti ſimul operamur. Facimus enim, ut aliquandò non minùs dexteris, quàm conſiliis, juvare poſſimus. facimus; ut cùm res exiget, pugnare ſciamus, non diſcamus. Accuſabit PALLADEM, quòd armata ſit, quiſquis ab Athenæis armorum exercitia ſecludenda judicabit. Amœniſſima certè venatio, quæ SCLOPOS admittit. quid jucundius adſpectu? quàm tranſverberatas eminus feras ſublimibus montium jugis delabi. quid ſuaviùs factu? quàm

quàm unica glande impetrare, in quod multorum canum ardens velocitas adlaboret. quid præſtātiùs? quàm ſic peritis oculis Bombardam dirigere, ut alites ipſa volatus mobilitas ab ictu non defendat. Intrepidi ſumus hac machina: optamus obvias dari feras, quæ nullam victoriam patiantur, niſi difficilem. Quiſpiam cenſeat, nobisipſis ab hoc inſtrumento verendum? telum imbelle ſine ictu conjicit. neque enim tam ſupinæ ſumus inertiæ, ut noſtro corpore plumbum hauriamus, quod alienæ neci deſtinavimus. artis & ingenii præſtantia fecimus, ut in SCLOPOS imperium habeamus. Hæc dixi, lectiſſimi IVVENES: ut experirer, quid in eloquentiæ Palæſtra ſperare deberem; ut oſtenderem, nihil eſſe, cujus contraria ſententia rhetorico conatu defendi non poſſet. ignoſcetis, quòd in hoc loco perſtrepuerim, in quo nil, niſi meras Suadelæ veneres ſemper audiviſtis. Eloquar? optimè mihi peroraſſe videbor, ſi non perſuaſero. MATTHIAS BONERVS.

EXER-

EXERCITATIO XIV.

Hiſtoria Politicæ officina eſt.

CVM vitæ humanæ prudenter inſtituendæ rationem proponere vellet Cebes ille Thebanus, picturam quandam in æde Saturni ſe vidiſſe ingenioſiſſimè eſt commentus, quæ tria velut ſepta contineret. Primum quidem vitam hominis deſignabat, in quo Opiniones, Cupiditates, Voluptates morabantur; Fortuna regnum tenebat, & aliis quidem munera dividebat, aliis id quod dederat auferebat. Quare hi quidem miſerum in modum ejulantes, Fortunam malam appellabãt; illi contrà inani & inconſiderata elati lætitia, proſperam Fortunam vocabant, & quaſi impetu quodam abrepti, in Incontinentiæ, Luxuriæ, Avaritiæ, & aliarum cupiditatum domicilium

cilium ferebantur. Quos mox Pœna, Pœnam Mœſtitia, Mœſtitiam Luctus, Luctum Deſperatio ſequebatur. Paucos eripuit Pœnitentia, qui cùm ad demonſtratam ſibi Veram Eruditionem contendere vellent, à Falsâ ſunt abrepti. Igitur ſecundum ſeptum Falſi nominis Eruditio dicebatur, in quo Poêtæ, Dialectici, Mathematici, Cyrenaici, Peripatetici, Grammatici oberrabant. Ex hoc deinde ardua via per tertium ſeptum in altum tendebat ad Veram Eruditionem, ad quam qui perveniſſet, tum demum ad Sciẽtiam reliquáſque Virtutes mittebatur, quæ eum ad matrem ſuam Beatitudinem, coronandum deducerent. Sed, quid hujuſmodi pictura cum propoſita nobis ad diſſerendum quæſtione faciat, nunc dicam, nec diutius veſtram morabor exſpectationem. In tertio illo ſepto Veram Eruditionem Cebes repræſentat: hanc ego ſi Hiſtoriam dicam, à Veritatis ſcopo non aberrabo. *Vides*, inquit Senex ad Cebetem, *juxta portam ſtare matronam formoſam, conſtanti*

ſtanti vultu, ætate mediâ, & jam ad ſenectutem declinante, veſte ſimplici & aſcititij cultus experte. inſiſtit autem ſaxo non globoſo, ſed quadrato atque immobili : ei adſunt aliæ duæ, filiæ ejus, ut videtur: harum igitur media Eruditio eſt, altera Veritas, altera Suadela. Nónne vobis homo ſapientiſſimus ingenioſiſſimo hoc cōmento univerſam Hiſtoriæ naturam, quam hîc Eruditionem vocat, videtur expreſſiſſe? *Formoſa*, inquit, *eſt*. quid enim pulchrius hiſtoriâ, in qua pulcherrima Virtutis imago toti orbi ſpectanda proponitur? *conſtanti vultu eſt*. hoc verò hiſtoriæ proprium: non Opiniones, aut in utramque partem diſceptabiles Dialecticorum quæſtiones, ſed conſtantem Veritatis rerúmque geſtarum conſervare memoriam. *Aetate mediâ & jam ad ſenectutem declinante eſt*. & hoc hiſtoriæ convenit, quæ ab ipſo orbis conditi principio canæ antiquitatis non admirandas magis quàm imitandas Virtutes complectitur, & ad ſubſequentium ſæculorum defert poſteritatem. *Inſiſtit autem ſaxo, non globoſo, ſed quadrato atque immo-*

immobili. quis hoc hiſtoriæ denegēt? quæ in ſolido certitudinis fixa fundamento, non in volubili imperiti vulgi rumore conſiſtit; ſin minùs, non hiſtoria eſt, ſed fabula. Denique *ei adſunt aliæ duæ, filiæ ejus, ut videtur, Veritas* nempe, & *Suadela.* has qui genuinas hiſtoriæ filias eſſe negaverit, hunc non ſolùm hiſtoriæ, ſed omnis humanioris litteraturæ expertem dicere oportebit. Eſt itaque vera Eruditio, Hiſtoria, quæ ad ſcientiam reliquáſque Virtutes aditum patefacit: cùm verò vita hæc noſtra, quæ in ſocietate quadam conſiſtit, Virtute ſcientiáque maximè nitatur, facilè colligo id quod nobis propoſitum erat, unicam Politicæ officinam Hiſtoriam eſſe. Hæc enim, apud Tullium, *eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.* Et meritò. *Plures enim aliorum exemplis docentur,* inquit Tacitus; exemplorum verò theſaurus hiſtoria eſt, *cuſtos,* ut cum Diodoro loquar, *Virtutis, teſtis ſceleris, benefica in omne humanum genus.* In duobus, ni fallor, potiſſimùm civilis vita eſt poſita; Cive

ta;Cive,& Principe:illum bonum eſſe ſatis eſt, hunc bonum & ſapientem eſſe oportet. Diſcet itaque Civis Virtutem, Princeps Virtutem & Sapientiam. Verùm quo magiſtro hanc ſcholam uterque ingredietur? natura enim animum noſtrum velut tabulam raſam fecit, in qua inſcribere quod lubet licet; quinimò ad malum potiùs quiſque inclinat, boni amore vix ullus ducitur. Non ergo à natura Virtutem, aut Sapientiam conſequemur. Nec quidem ab educatione vel regio ſanguine; nam hæc in Aula ſæpius prava eſt, tum ob nimiùm affluentes delicias, tum ob adulatorum paraſitorúmque ingentem copiam, quibus nihil potius eſt, quàm voluptati, cui ſe conſecrarunt, ſuos quoque conciliare Principes. Vnica reſtat Eruditio, & quidem illa Vera, quam Hiſtoriam appellamus, & vitæ magiſtra eſt. In qua, teſte Livio, *hoc præcipuè ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, ut inde tibi tuæq; Reipub. quod imitere capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quotuſquiſ-

tuſquiſque obſecro noſtrum eſt tam abjecti animi degeneris q; naturæ, qui dum per antiqua hiſtoriarum vagatur monumenta, & fortiſſimorum heroum Virtutes velut in ſpeculo intuetur, non commoveatur, non inardeſcat, non ad ſimilia præſtanda inflammetur? Hinc verè Magnus Alexander Homerum ita adamaverat, ut eum ne noctu quidem à ſe divelli voluerit, ſed communi lectulo donaverit, ut quotieſcunque à ſomno excitaretur, ad Virtutem quoque rerum cum laude geſtarum exemplis incitaretur. Videtur mihi omnino, Hiſtoria officina eſſe, in qua Principes omnem apparatum bellicum aſſervare conſueverunt. ibi & tormenta muris diruendis apta, & globi plumbei, & ſulphureus pulvis, ſuo collocata ordine jacent; alibi fulgentes galeæ, thoraces, enſes, ſcuta, haſtæ, aliaque id genus miſſilia pendent, quæ ubi poſtulaverit neceſſitas depromuntur, & exercitui adornando, armandisq; militibus diſtribuuntur. Sic Hiſtoria omnem Virtutum apparatum vivis inſculptum

imaginibus continet, & quaſi publicum promptuarium omnibus patet. Hinc ſi ſapientes viros petere velis, quos imitari poſſis, dabit; ſi milites fortes, oſtendet: ſi ſtrenuos Imperatores, proferet: hæc patriæ quid debeatur, commonſtrabit. Prudentiam ſi ſuis depictam coloribus videre velis, aſpice Fabium Maximum, qui exultantis & temerè geſtientis Hannibalis invictas vires cunctando enervavit; ſi Fortitudinem & in bello robur, Scipiones Pompejóſque contemplare, domitores Africæ, orbis triumphatores; ſi in oppetenda morte conſtantiam, & ſervatæ hoſtibus fidei exemplar, dabit Romana hiſtoria M. Attilium Regulum, qui maluit ſenile corpus eculeo tradere, quàm aut Carthaginenſium juvenes aliquando Romano Imperio nocituros ſui unius gratia reddi, aut ſemel promiſſam inimico fidem violare. Iuſtitiam ſingularem in Iunio Bruto quis non miretur? qui non ſolùm ob alienam uxorem ſtupro pollutam, Tarquiniis regnum abrogavit, ſed & filios in conſpectu P. R. quòd

R. quòd Tarquiniis favere viderentur, ſecuri cæcidit. Longum profectò eſſet, ſingula Virtutum genera percurrere, & ſupervacaneum, cùm in eorum conſeſſu dicam, qui hæc meliùs, quàm ego dicere poſſim, noverunt. Lubet hic cum Seneca exclamare, *Quid ergo? non ibo per priorum veſtigia? ego vero utar via veteri.* Eamus omnino, eamus, & antiquorum Virtutes, ſi non aſſequi, ſaltem conſectari ſtudeamus. Verùm altera, quæ hanc Civilem vitam gubernat, eſt Prudentia, ſine qua, Stagyrità teſte; *fieri non poteſt, ut quiſquam verè probus audiat.* Hanc ex hiſtoria petendam eſſe nemo negabit, niſi qui in meridie ſolem lucere negaverit. Vnde modum cum Principibus agendi, ſecreta eorum conſilia tractandi, mandata explendi petes? ex hiſtoria. Vnde callidam ſimulandi diſſimulandiq; artem, unde providam invidiæ à ſe removendæ rationem diſces? ex hiſtoria. Vnde quinam optimi ſint conſiliarii, qui miniſtri probi videbis? ex hiſtoria; omnia enim in hiſtoria ſunt, quibus ſive in

toga ſive in ſago eſt opus. Hæc fortiſſimorum Imperatorum bellicas artes deſcribit, hæc pugnandi modum docet, hæc ſubtiliſſima ſtratagemata declarat; in hac delectum militum, ordinatas acies, armatas phalanges; in hac varia bellicorum tormentorum genera, obſeſſas urbes, expugnata oppida; in hac fortes milites, ſtrenuos Duces, impigros Imperatores licet intueri. Si de bello deliberandum ſit, hæc optimum dabit conſilium; ſi de retinenda pace quietéque publica conſervanda, hæc modum docebit; ſi de decernendis honoribus, ſi de ſtatuendis ſuppliciis, hæc rationem ſingulorum declarabit. Inter reliqua, quæ ad bene beatéque gubernandam Rempub. ſpectant, illud quoque Politici ſuo commendant Principi, ut in conſilium viros maturos & ſenectute graves adhibeat, ſcilicet qui longa experientia & rerum uſu Prudentiam ſibi compararunt, & per diverſa vitæ munia vagati, quid optimum & agendum, quid peſſimum & fugiendum, didicerunt. Nónne Hiſtoria

ſtoria noſtra maturus hic vobis videtur conſiliarius? quæ neque aſperum Tyranni vultum perhorreſcit, neque minis deterretur, neque opibus aut præmiis corrumpitur; ſed nudam veritatem, quam à majoribus noſtris per tot antecedentium ſæculorum memoriam didicit, expromit. Hinc providentiſſimus Regum Alfonſus, quos optimos Conſiliarios judicaret interrogatus, mortuos inquit; & mortuos quidem corpore, ſapientia verò, quam ad perpetuam ſui nominis gloriam poſteritati hiſtoriis conſignatam reliquerunt, vivos. Quare ô vos beatos, quicunque relicto Falſæ Eruditionis ſepto, & opinionum ſteriliúmq; quæſtionum tribulis, eouſque Veræ Eruditionis deveniſtis, ut eam non modò aſſequi, ſed etiam veſtro labore nutrire, veſtris portare ulnis, è veſtro cerebro, alteram veluti Palladem mundo gignere poſſitis! Beatos vos, inquam, qui dum Hiſtoriam ſcribitis, Principes prudentes, Cives bonos, felices Reſpub. redditis. Vos genuini Regum magiſtri, vos Scientiæ Virtutúmque

patres, vos non Vrbis ſed Orbis Cenſores. Veſtrum nomen, quamvis è corpore felix hic & verè eruditus evolaverit animus, vivet tamen quamdiu hiſtoria vivet, & vigebit mẽmoria ſæculorum omnium. Plura dicerem, niſi Exemplum ipſum hîc loqueretur, noſter ille Director & Doctor, Vir & fama Clariſſimus, & dignitate Ampliſſimus, D. ERYCIVS PVTEANVS, qui tam feliciter Hiſtoriam nobis in hoc ipſo loco quotidie interpretatur, ut nullam Antiquitatis partem, nullum doctrinæ genus, nullum Sapientiæ cenſum omittere videatur. Et ut ampliùs quoque nobis omnibusq; proſit, ſcribit ipſe Hiſtoriam, & ex intervallo aures animóſque noſtros imbuit, ita quidem, ut in PALÆSTRA BONAE MENTIS Hiſtoriam, in Hiſtoria præſentem Politicæ officinam habeamus, quam Poſteritas deinceps grato affectu excipiet, & ipſa Æternitas intuebitur. GEORGIVS OSSOLINSKY.

EXER-

EXERCITATIO XV.

Nil auro melius.

PRÆSTANTISSIMO metallo debitum laudis teſtimonium, daturus, non tam lectiſſimæ concionis ambire applauſum, quàm benignam eloquentiæ ſectari venam conſtitui, & vivida majeſtate decurrentem. Nulli unquam rei approbantium judicia deerunt, quæ aſpectu oculos repentina quadam oblectatione perfundit, & mentem dignitate ſui. Aurum idipſum eſt; & ſic auream exopto vocem, auream genio meo Suadam, quo auri excellentiam, ſi non celebrare, ſaltem enarrare in parte poſſim. Vt maturitate hoc metallum illuſtre, ita & origine admirabile. Viſcoſus quidam humor terræ, pingui Solis calore attemperatæ adhæret; accedit frigus,

quo paulatim condenſatur,& volventibus deinde ſæculis, in ſolidam ponderoſamq; evadit maſſam, cúmque fulgorem,qui tam ambitiosè delectat. Tellus, veluti tam chari & pulchri fœtus dignitatem admirata, gremio ſuo involvit,& pertinaci affectu, ut fideliſſima parens retinet,donec humana curioſitas indefeſſo labore ex abditis eruat,ſupérque omnia,quibus æſtimatio pretium fecit,extollat,nomine condecoret, quod nobiliſſimũ quodque ambit. Cæterùm, cùm in terrarum ſpatiis nihil par ipſi reperiretur, in cælo ſimile quæſitum eſt; atque in ſublimitatem Solis evectum, cum eo ſedem obtinuit. Quantum enim luciđiſſima illa ætheris lampas aſtrorum fulgorem coërcet,tantum victam cæterarum deliciarum venuſtatem auri pulchritudo caſtigat. Potentiſſimorum quiſque Regum,& præcipuo inter mortales honore eminentium, honoris augmentum ab hoc pretioſo metallo mutuatus eſt. Coronæ,diademata, amicula, omniáque regalia inſignia,vel ex auro fieri, vel diſtingui

ſolent:

ſolent: Palatia, tecta, interiores pariter receſſus, & quicquid ſive oblectationi, ſive quieti, ſivi dignitati conſecratum, aurea vibrare cælatura. Imò ut mortalium inſtituta omittam, ipſe Deus majeſtatem ſuam hujus metalli flagrantia exprimere voluit: Cælorum limina, aurea ſtellarum innumerabilium, veluti inſignium florum venuſtate conſperſit; & ſic omnium aciem excellētia æterni domicilii perſtrinxit: Ab auro ſibi cultum in terris à mortalitate exegit: ſacrarium ex præſcripto ejus in Repub. Iſraëlitica erectum, altaria, Antiſtitum veſtimenta, & pleraq; ſacrorum cultum ſpectantia auro circumquaque enituerunt. Poſtea venerabili hoc exemplo perpetua annorum ſerie, in templorum fanorúmque ornatu diligentiſſima æmulatione adhibitum; & aurea majeſtate effulſit, quicquid pietas ſanctáque religio æſtimavit. Aurea prima Chriſti fuerũt in terris vagientis munera, Aurum, inquam, fuit quod Reges, longinqua emenſi itinera, Redemptori, & Deo ſuo, eximia animi

 devo-

devotione obtulerunt. Quid mirum igitur, mortalitatem complecti, quod æternitati gratum fuit: homines amáre, quod Deus non repudiavit? Nihil hoc pignore naturæ amabilius, nihil oculis animiſque venuſtius: cujus obtutu gemmæ erubeſcunt; & adhibitæ ornantur ſplendore quem colunt. Quamvis ſpiſſum ſolidúmque ſit, facilè tamen ſeſe flectit, omniq; formæ docto artificio aptatur: in minutiſſimas particulas redigitur, atque adeò pulverem, ut non minùs commodè oblectet, quàm variè delicias præbeat. Pompæ auro potiſſimùm velut magnifico cultu celebrantur: convivia auro ſuperbiunt: & ubi triclinia, thalamos, menſas aurum premit, omnia ab humana liberalitate munera, uberrimè profluxiſſe videntur. Et quia præſtantiſſimis dapibus, non parum majeſtatis hic fulgor addit, qui inter eas exſurgit, optimus ille & exactus ad valetudinem liquor nobile iſtud metallum cupidiſſimè ambit. Vinum calici infuſum auri quantitatem non exiguam admittit, & cùm in tanta

anguſtia nihil vacui curioſa contemplatione advertatur, locus tamen uni auro patet. Porrò cùm dignitas ejus maxima ſit, digniſſimis quibuſque in præmia accedit, & æternitate donandis: in pectore ampliſſimorum virorum, & præclarè de patria meritorum tanquam publicum ampliſſimæ gloriæ indicium conſpicitur; atque ita complures laudum pulchritudine raptos, tam æmulos virtutis, quàm dignitatis accendit. Cæterùm quod omnium gratiſſimum eſt, vitæ ſive valetudini promptiſſimè inſervit divinus ejus in medicina uſus, & ſupra fidem ſingularis. Phthiſi febrique hectica afflictis, morbis (ut Galenus teſtatur) lethalibus, & ſui atrocitate corporis ruinam minantibus, in ſolatium venit. Pectus, quod illæ clades perpetuæ cujuſdam triſtitiæ premũt anguſtiis, laxat. Quemadmodum externo aſpectu animum recreat, ita intus adhibitum, ubi viſcera tangit, vim ſuam potiſſimùm exerit. Alia denique morborum genera aliis junctum medicamentis egregiè refellit:

ſæpiùs

ſæpius ſalutis, exitii cauſa nunquam. Corpori aſſiduo doloris cruciatu omnem, omnino cibi uſum reſpuenti, plurimum, ſi modico vino delibutum ſumatur, alimenti ſuppeditat. Atqui ut hoc ægris concedamus, quos & vis morbi ſaturitate quadam adimplet; incolumes triduo (ut in Ieroſolymitana obſidione, aſſeverante Ioſepho, obſervatum eſt) fideliter nutrit. Igitur quod jam dixi, jure repeto: Nihil auro præſtantius, nihil nobilius, nihil emendatius natura expolivit. GERARDVS FOLPARDVS AB ASPEREN.

EXER.

EXERCITATIO XVI.

Damnoſa quid non imminuit dies?

QVOTIDIANO uſu obſervatum eſt, ut uniuſcujuſque ætatem ſua querela proſequatur ſimul, atque deponat. Nobis enim parentes in pretio ſunt, tanquam meliores; cùm & ipſi invicem majores veneratione proſequantur. inque vitium magis efferata poſteritas, mores etiam noſtros in ideam virtutis producit. Planè quaſi virtus paulatim ad ſenium, atque interitum labatur. Si quis enim contemplationem injecerit ſuper initia rerum omnium, ea primùm eſſe optima, deinde paulatim declinare comperiet. Aurea mortalibus ſecula Saturnus induxit: barbatusq; Iupiter ne argentea quidē aſpexit. Surgentem Auroram Muſæ canentes excipiunt: ſuſurros amantium

tium Heſperus occultat, & obſcœna vota. hominis infantiam innocentia dirigit: juventutem pravus animus, aut violentia tuetur. primam ætatem populi Romani virtus exercuit, cum prudenti ſimplicitate: at verò creſcentes anni imperium illud ex juſtiſſimo atque optimo, crudele fecerunt intolerandúmque. Primò enim ambitio atque avaritia, deinde marcentes animos libido paulatim invaſit: atque ita deinceps factum eſt, ut non ſolùm Marte, ſed etiam Venere progenitus videretur dominator iſte populus. Sed,

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Ita eſt profectò: quiſquis enim ſenectutis annos populi Romani conferet cum adoleſcentia; ne minimum quidem in iis avitæ frugalitatis obſervabit exemplum. Quapropter jure Iuvenalis exclamat:

Nona ætas agitur, pejoráque ſecula ferri
Temporibus, quorum ſceleri non invenit

nit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.

Quid autem nunc dicturus, ſi & nos reſpiciat ille Satiricus, in quibus languida quædam veſtigia relicta ſunt priſcæ & Germanicæ virtutis? at ſileo: ne ſi aliena vitia perſequar, ipſe quoque meo telo vulnus inveniam.

NICOLAVS BVRGVNDIVS.

EXER-

EXERCITATIO XVII.

Quod anima in corpore, id Ethica in Philoſophia.

OMNIS ſcientia aut in actione, aut in contemplatione verſatur: Philoſophia verò, quoniam innumeras artes ſuo cōprehendit ambitu, utrumque hunc finem pro partium munerúmque diverſitate ſortitur. Illarum quæ contemplativæ appellantur, ſumma diverſitas eſt: alia enim ratiocinationem inſtruit, alia ſtellas numerat, ſiderum Planetarúmque motus obſervat, alia terram metitur, in muſicis numeris alia verſatur, alia naturam inſpicit, alia denique circa incorporea, ut vocant, entia occupatur. Quæ in actione conſiſtit, unica eſt; quam Græci Ethicam, nos Moralem Philoſophiam nuncupamus; ut uno verbo dicam,

dicam, ſola Philoſophia. Audite Epictetum Philoſophum, & non ex illis cathedrariis, ſed qui vita moribúſque ſapiunt: *uti fabri materia*, ait, *ligna ſunt, ſtatuarij æs: ſic artis vitæ materia, eſt ipſius cujuſque vita.* An obſcurum videtur? dicam clariùs. quiſque artifex illud opus perficit, quod ſub ejus cadit ſciẽtiam: Philoſophus is demum eſt, qui vitam inſtruit, virtutibus ornat, munit Sapientia. Etenim quemadmodum homo à ſupremo rerum molitore Deo conditus duabus potiſſimùm partibus conſtat, corpore & anima; illo cum reliquis brutis communi, hac ſibi ſoli propria: ita Philoſophus, qui reliquas artes cum aliis communes habet, Ethica à cæteris ſeparatur. Quid homo ſine anima? non homo: quid Philoſophus ſine Ethica? non Philoſophus. Niſi fortè eum Philoſophum dicere velitis, qui argutis Sophiſmatibus ſimplicis plebeculæ aures decipit, & ut plauſum mercatur, cæleſtium ſiderum formas in arena mendaci opere deſcribit; aut illum, qui de parente omnium natura, ipſe

natura indignus, de cauſarum connexione, de rerum ortu & occaſu, de principe noſtri parte anima diſſerit, vitam autem ſuam omni ſceletum libidini proſtituit. Philoſophus verò is? experiar. Dic ſodes, Finem ultimum cauſſarum utrùm noviſti? novi; nónne omnia quæ ſuo gremio natura complectitur, ob finem agunt? omnino; an & tu? maximè; quis finis tuus? æterna felicitas; qua ratione ad hanc pervenitur? neſcio; quamobrem? Ethicam ignoro. Videtíſne Philoſophum, qui dum de naturæ fine diſputat, ſuum ignorat? At iterum quæro, De principe tui parte anima unquam audiſti? quidni? immortalem illam eſſe ſcis? ſcio; nec hac fabrica diſſoluta perire; ita verò; quid ergo poſt obitum aget? ignoro. ô Philoſophum! tuné ignoras? Erubeſco rectiùs dixeris, quòd cùm Philoſophus ſim; animæ immortalitatem norim, bonis præmia, malis pœnas rependi ſciam, vitam tamen meam Voluptati ſpecioſo Philoſophiæ pallio tectæ tradiderim;

----*Video*

—Video meliora probóque,
Deteriora ſequor.

Sed audi parumper, pauca adhuc ex te volo: Philoſophum te eſſe dicis, quid Philoſophus ſit ſcire cupio. Sapientiæ amator; ergo & ſectator? omnino; ergo ubi Sapientia, ibi & Philoſophus? planiſſimè; Sapientia Virtutis comes eſt, vitium fugit; ergo & Philoſophus? ſic eſt; túne ergo Philoſophus, qui in adverſam Sapientiæ contendis viam? qui Virtutem deſeris, ſectaris Voluptatem? an non noſti illud Tullii, *Sapiens animus nunquam eſt in vitio, nunquàm turgeſcit, nunquam tumet, nunquam Sapiens iraſcitur?* Sed nempe non in Archimedis Sphæra, aut Stagyritæ Logico organo; non in materia prima, aut meteoris, Virtus latet; Ethica eſt quæ vitam inſtruit, mores format, ad veram iter pandit Sapientiam. Hæc laſcivienti Voluptati Temperantiæ frænos injicit; hæc cæcutientem Ignorantiam, Prudentiæ face illuminat; hæc labentem timiditatem ſolida Fortitudinis columna ſuſtentat; hæc omnia jura hu-

mana divináque æquiſſima lance diſpenſat. Hæc illa eſt vitæ dux, Virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum; hæc omnia quæ cadere in hominem poſſunt ſub ſe habet, eáque deſpiciés, caſus contemnit humanos; hæc denique anima eſt Philoſophiæ. Diſtinguit anima hominem à reliquis brutis; Ethica Philoſophum à non Philoſophis; amplius dicam, à beſtiis. Anima immortalis eſt, ſoláque præmii capax; Ethica, cùm reliquæ ſcientiæ unà cum eo cujus erant evanuerint, ſola manet; manet inquam, vitæ integritate, morum puritate, optimis meritis, fama perenni, præmiúmque ſola capeſſit, quia ſola Virtutis eſt comes. Anima ſi è corpore abſceſſerit, homo eſſe deſinit: Ethica ſi Philoſophus caruerit, Philoſophus non eſt, quia caret Sapientia, caret Virtute. Anima æqualem pauperem Regi facit, nec intereſt utrùm exiguam terræ glebam exerceat, an ampliſſimarum ditionum habenas gubernet: Ethica inopem divite ditiorem facit, nec ei intereſt cum Diogene in anguſto do-

lio

lio habitare, aut in Lycéo Stoávc porticu cum Peripateticis vel Zenone diſputare. Ad animæ acceſſum informis & immobilis terræ maſſa, pulcherrimam humanæ formæ ſpeciem recipit atque movetur; ad Ethicæ præcepta

Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit.

Huic, ſi relicta ſupervacanea reliquarum rerum ſcientia, vitam veſtram conſecraveritis, nomen æternitati inſcribetis, vitam ab omni turbulentarum affectionum tempeſtate ſecuram reddetis, animum denique immortalem, Virtute duce, comite Sapientia, quam utramque Pallas facit, ad Honoris Gloriæq; verticem deducetis.

GEORGIUS OSSOLINSKY DE OSSOLIN.

EXERCITATIO XVIII.

Maternus affectus.

SI oris mei verecunda paupertas ſit enucleando, Maternum affectum lepidâ narratione expediam. Erat vidua quædam, ſtirpis & dignitatis ſplendore facilè præcipua; ſed huic Filius curvæ planè mentis, cujus ad Treſviros non ſemel ob nobile latrocinium nomen pervenerat; ad ſummam, præſtigiæ Lavernalis unicum exemplar. Hunc catenato cœtui adſcriptum Parens ægerrimè ſuſtinebat, & ut è cuſtodia, & pedicarum crepitu ſibi natum vindicaret, tale comminiſcitur facinus. Eſurienti ad meridiem cùm ex more diaria ferret, venenum mero dilutum porrexit. Ille ſiccis & cupientibus faucibus commodùm obſecutus, cœpit incertum obtutum volvere, den-

tes

tes rictu nudare, dubia balbutire, nubilæ potionis gravedine cõfici. Quid multis? terræ exanimis procumbere. Nos murmure, & ululabili plangore, planè infando huic ſchemati congruente, carcerem totum implevimus, donec è Primatibus neſcio quis, clamore ſaucius adcurreret, ut aures ſuas convitiis ulciſceretur, &, Quos nobis, inquit, tumultus ô Daunia pecora? an quia ad viginti pedes ſub humum non depreſſi, aut ſecretiore caveæ incultu minùs circumventi, pulmones vobis pruriunt? Faxo Magiſtratus pronunciet, & rerum capitalium vindex rabidas illas fauces obturet, quominùs tranſeuntium auribus illatretis. Cùm unus noſtrum, acerbo gemitu concuſſus, Meliora verba, Pater: univerſi ætatis tuæ veneranda genua adoramus, ut bilem ſupprimas. Ecce inceſtæ veneficæ, non dicam Genitricis, momentario toxico peremptum pignus. Hîc omnes, ut dicta pondus haberent, tetigimus oculos, & per Genium illius ſanctiſſimè juravimus, temperato aconi-

to (quis innoxios latices crederet?) juvenem concidiſſe. Ille truces palpebras, & iratum caput commovens (timebam ne præteritis triſtiora adjiceret, & nos ſceleris auctores poſtularet, tanquam Adoleſcenti ſpiritum excluſiſſemus) lævorſum abiit. Nec multis interpoſitis horis Lictorum, & miniſtrorum publicorum videmus denſam frequentiam, quæ retortis mulierem lacertis attrahunt. Adhæc puſionum plerique, quibus annorum tenellus impetus laſciviam dictabat, acerrimè atq; æſtuosè cœperunt perſtrepere, prætextæ gremia ſaxis onerare, ut rigida illa tempeſtate indignum crimen expiarent. Inter cætera notavi Feminam non lugubriter ejulare, non trita & horrida palla obſitam, non turbæ venari miſericordiam, aut culpa ſe exonerare: ſed modeſta gravitate per effuſum populum rubore magis quàm lacrymis inundatam incedere; ut facilè appareret ex hac nota, nullis noxiæ conſcientiæ furiis exagitari. Cæterùm dum hæc taliáque admiror, Patres ad carce-

rem

rem conveniunt, ut cauſſæ momentis rectè trutinatis, veritatem eruant. Iam cunctis reſidentibus, inſtar victimæ in proſcenium vidua adducitur: & ut altercationis compendium faceret; priuſquàm liquor clepſydris infunderetur, priuſquàm præco juberet, non dubitat nefas adſeverare, & conſtantiſſimè roborare ſuſpicionem, ſe parricidali ſanguine manus imbuiſſe; & quod erat apprimè mirabile, obteſtari, ſumerent ſupplicium, rota, pice, vel liquida plumbi gravedine. Generis gloriam flagitio cauſſam præbuiſſe, ne ſcilicet Crucis macula affinium candida integritas obliteraretur, neu proavorum manes, & ceræ, pudendo opprobrio violarentur. Hactenus maſcula indole, prorſus ut Thebana Timocleia videretur. Nimis vellem, Lector, adfuiſſes. Sed ſubinde allacrymans, & fletu ad ſcenam compoſito, per publicam miſericordiam, per Iuſtitiæ inculpatam dexteram, poteſtatem ſibi dari poſtulat, ut funus quod ipſa fecerat, proſequeretur, & ſupremo officio mandaret, quem uni-

cum in necem produxerat. Ipſum jacentis corpus in conditorio, ſe extremi ſceleris admoniturum. Hanc pœnam graviſſimam quibuſdam gentibus credi, imò legibus ſancitum, Homicidam circa cadaver debere perpetem diem excubare. Et, ut ſciatis, inquit, Iudices ſanctiſſimi, me fuga benignitatem veſtram non eluſuram, nec ab ullo gratiam molituram, hoc unum flagito, ut implacabili cōſenſu in perniciem meam perduretis. Di Boni, quanta vis lamentabilium queſtuum, & ſingultibus impeditarum precum! etiam à compertæ ſeveritatis hominibus extorquent, quod flagitant. Ecce Patrum Conſcriptorum, & Concionis calor inexſpectato ſermone ictus, ſenſim intepuit, & ad miſericordiam impellitur, liberúmque ſepulturæ tempus facit; hâc tamen conditione, ut manibus ritè conditis, matrona revertatur. Ergò ex arbitrio capacem dolis ſuis occaſionem nacta, non tepido rore corpus lavat, nō ſpirantibus amomis ungit: ſed cariſſimo filio (nihil enim præ-

ter

ter mandragoræ ſoporiferum ſuccum hauſerat) ſoſpitatoris ſomni nebulam deterſit. Ephebus mimico ab orco redux, & adhuc poplites ferro graves animo volutans, fideliſſimam matrem agnoſcit, intelligitq; ſe vitam & libertatem morte inveniſſe. Nec moratus, in tutum per ſacros muros longè relicto capulo, & feralibus pannis, deſperatiſſimus ille devolat. Matrona verò ut fidem exſolveret, ad vadimonium Optimatibus datum ſe ſiſtit. Omnibus tandem ubi factum liquidò innotuit, nemo de Conſularibus, de Equeſtribus nemo, ac ne de ipſa quidem plebe quiſquam, qui non liberandam clamaret, quam priùs diris devoverat. Sic impolluta virtus parricidali velamento ſpoliata, & ſobolis ſuæ egregia præfica condignam factis mercedem tulit. CORNELIVS BREDA.

EXER-

EXERCITATIO XIX.

Ne tentes, aut perfice.

RECTIVS ſiccas pelago carinas
Subtrahes; quàm ſi modò ſæviente
Africo tactus, metuas relictum,
Naufragus æquor.
Sive longinquos aditurus Indos,
Solis ardenti poſitos ſub ortu,
Sive quà currus tremulâ recondit
Phœbus in undâ;
Exitum triſtem patitur repreſſus
Impetus. Pœni furor ingruentis
Fractus, hoſtili patrios Penates
Solvit aratro.
Raptus in cælum Phaêthon rubentem
Dexteram ſenſit Iovis, ut paternum
Geſtiit currum ſtolidus profanâ
Flectere dextrâ.

Icarus

Icarus fictis agitatus alis,
Neſciit penna ſapienter uti,
Et nimis ſerò patrium vocavit
Nomen in undis.
Scilicet prudens, animo imminentes
Lancinat curas: dubióſque fluctus
Cautus horreſcit, malè pollicenti
Credulus auræ.

NICOLAUS BURGUNDIUS.

EXER-

EXERCITATIO XX.

Nullâ victoriâ cupiditatem Alexandri ſatiari.

ET quid agis, aut moliris Alexander? quam animo magnitudinem concipis? Iam te Græcia non capit; quia Macedonia anguſta eſt. Expugna Aſiam, cupiditatem tamen non vinces: orbem ſubjice, & ad plures ſe mundos hic ardor extendet. Cui Græcia parva eſt, anguſtam ille & Aſiam inveniet: quem Aſia non capit, etiam poſt Perſidem quæret quod oppugnet. Victis & oppreſſis omnibus, orbem contemnet. Quid reliquum eſt, niſi ut cælum petas, ſi in terra hoſtes deſint? Vt Deum oppugnes, ſi mortales omnes domueris. Gigantes imitaberis, tandémque ut Deus fias, impius eris. Sed homo es, & miſer es: plus cupis,

cupis, quàm conſequi unquam poſſis: & ne unquam magnus ſis, parva videbuntur omnia, quæcumque invaſeris. Et quid agis Alexander? Te vince, ut magnus ſis; nihil opta, ut omnia habeas. Nactus jam in uno es regno, quo te occupes. Plus eſt regere Græciam, quàm viciſſe. Nondum hoc ſtabilitum eſt imperium, & ferre Darium non potes? Si felix fuiſti, fortunam quoque time: Fallit, cùm blanditur. Ac dubiam ſanè ſubis alcam, Aſiámque niſi tuam facis, Græcia tota excidis, & inops es. Et vaſtis iſtis votis tuis concedamus omnia: ſic tamen vincendus es. In Perſas armis, in te vitia ſævient: cùm victor eris, Fortunam tuam ferre non poteris. Subiges Aſianos, ut voluptatibus ſuccumbas: Vinces hoſtes, & amici te extinguent. Proficiſcere tamen: non hoc bellum, ſed latrocinium vocabit Poſteritas, & quia exitio gentium clarus eris, infamiam incurres. IPSE DIRECTOR.

EX ORA-

EX ORATIONE AVCTORIS, Quam DE PALÆSTRA habuit.

OMnium ore confirmatum eſt, fruſtra addiſci artes, niſi exerceas: ſed Eloquentia, ut artibus omnibus ſufficiat, peculiarem etiam uſum poſcit. Non quicunque docentis mulſo aures implet, mox facundus eſt: expedire linguam ipſe debet, & maturum animi ſenſum elaborato verborum includere ambitu, ut inter Suadæ alumnos nomen ſuum profiteatur. Vt ſcias quàm difficile ſit loqui; hoc ante omnia agimus, & in crepuſculo rationis molimur. Nondum pedem puer figit, aut veſtigia premit, & voces rudi conatu concitat. Vix oſtendit natura hominem, cùm frangere infantiam incipit: ſed ne ſic quidem, cùm ingenium maturuit, ſermo adultus eſt. Totam ætatem profectò, niſi exerceas, balbuties occupat; & niſi loqui puer orſus ſit, etiam in ſenectute infans erit. Totum hoc tamen, quod dico, Eloquentiæ duntaxat rudimentum, & velut limen eſt: arte & exercitatione opus, ut pervadas, ac tandem diſertus ſis. Sed quos limites ſollertia humani pati-

tur

tur ingenij? Poſtquam primum ſive naturæ, ſive induſtriæ miraculum eviluit, ſcribere; tentavit quiſque etiam ſine voce loqui. Linguæ orisq; vices ad manum tranſlatæ ſunt, & ſermonis picturam niveum papyri æquor excepit. Parum erat, indicium animi miniſterio formare vocis, niſi & abſentes poſteriq; audirent. Prorſus imperfectum linguæ ingenium mortales cenſuerũt, niſi & calami uſus accederet. Quàm verò id arduum, loqui, etiam cùm non loquèris; imò quàm laborioſum, niſi longa exercitatione ſcriptionis ager ſubactus ſit, is judicet, qui æternitatis agere negotium conſuevit. Stilus profectò niſi manum exarantis quotidie laſſaverit, tabellamq; literarum impleverit ſulcis, eniteſcere non poteſt. Scribendum eſt, ut ſcribas: & jugi exercitatione opus, ut fructum ingenij colligas. Ab agro nemo exſpectat ſemina, ſed exigit: minimum eſt quod ſeris. Sic arborem plantare ſatis non eſt: rigare debes, putare debes, & pertinaci cultu quidquid ſperas urgere.

SYLLABVS EXERCITATIONVM: QVIBVS

Argumenta præcipua, hactenus tractata, accedunt.

I OMnia promittere Princeps videtur, cùm Imaginem ſuam donat.

II De gradibus ad Eloquentiam.

III Pace potiùs quàm bello clarum fieri licet.

IV. Bellum gerendũ in hoſtili ſolo.

V Amor ingenii neminẽ unquam divitem fecit: *Petronius*: Sed Philoſophus amore ingenii dives eſt.

VI De L. Iunio Bruto, & L. Tarquinio Collatino. Brutus ad populum de Collatino dimittendo.

Pro Collatino in Brutum.

Pro Bruto in Collatinum.

VII Zaleucus, cùm filio adultero unum eruit oculum, ſibi alterum, legi ſuæ

ſuæ non ſatisfecit.

VIII Malè eſt extra legem viventibus: quicquid meruerunt, ſemper exſpectant. *Petronius.*

IX Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie. *Martialis lib. 1. Epigr.* XVI.

X De puella, quę maritum occidit.

XI Mulier imperio apta.

XII Parvi magnis præſtātiores ſunt.

XIII Inter Palladis ornamenta Sclopus eſt.

XIV Hiſtoria Politicæ officina eſt.

XV Damnoſa quid non imminuit dies? *Horatius.*

XVI Nil auro melius.

XVII Quod anima in corpore, id Ethica in Philoſophia.

XVIII Maternus affectus.

XIX Ne tentes, aut perfice.

XX Nulla victoria cupiditatem Alexandri ſatiari.

Deinceps fuerunt:

XXI Quod Senatus olim Severo Imperatori acclamavit; Sereniſſimo Optimóque ſuo Principi ALBERTO Belgarum populi: πάντες πάντα καλῶς ποιοῦσιν, ἐπειδὴ σὺ καλῶς ἄρχεις: *Omnes*

rectè faciunt omnia, quia tu rectè imperas. Xiphilinus.

XXII Σπουδαίως ζῆν ἄριστον. Honeſtè vivere optimum. Epicurus apud Laërtium: Ipſe Auctor Directórque Palæſtræ uſurpat, & Solenne habet.

XXIII Difficilius Romanis fuit, Italiam, quàm reliquum terrarum orbem vincere.

XXIV In Magiſtratibus eligendis, an præter virtutem, genus & nobilitas ſpectanda?

XXV Ἀκόλαστος, ſive Intemperans peior eſt, quàm ἀκρατὴς, ſive Incontinens. *Ariſtoteles lib. 7. Ad Nicomach. cap. 8.*

XXVI Magna Virtutis inſtrumenta Divitiæ ſunt.

XXVII Non immeritò Auguſtus gratulatur ſibi (in epiſtola ad Cajum,) quòd κλιμακτῆρα, *communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum* evaſerit. *Agell. lib. 15. cap. 7.*

XXVIII Mulierem Smyrnæam, quæ virum & filium interemerat, cùm ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priori viro enixa fuerat, occiſum compe-

comperiſſet, ſapienter cum accuſatore poſt centum annos adeſſe Areopagitæ juſſerunt. *Valerius Max. lib. 8. cap. 1. Agell. lib. 12. cap. 7.*

XXIX An domeſtico potiùs quàm mercenario milite in bello uti oporteat?

XXX Doli non doli ſunt, niſi aſtu colas. *Plautus Captivis.*

XXXI Pulchrum eſt bene facere Reipublicæ: etiam bene dicere haud abſurdum eſt. *Salluſt.*

XXXII Majus eſt, regnum faſtidire, quàm accipere. *Curtius lib. 4.*

XXXIII Onerat diſcentem turba, non inſtruit; multóque ſatius eſt, paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos. *Seneca, De Tranquillitate.*

XXXIV Exercitus labore proficit, otio conſeneſcit. *Vegetius lib. 3. cap. 26.*

XXXV Extrema in hoſtem devictũ, Clementia, an Severitate rectiùs utaris?

XXXVI Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior. *P. Syrus.*

XXXVII Regem naſci præſtat, quàm eligi.

XXXVIII Suæ quem paupertatis pudet, is turpiter ferre paupertatem videtur.

XXXIX Suaviſſima juventæ pars eſt, quæ in Academiis agitur.

XL Acerrima proximorum odia ſunt. *Tacit.lib.4.Hiſt.*

XLI Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. *Seneca de Tranquill.*

XLII Pax continua periculoſa.

XLIII In Convivio ipſa ciborum aut vini recuſatio, ſi dextrè fiat & urbanè, non minùs pulchra, quàm obſequium.

XLIV Faciliùs eſt ſecundùm naturam, quàm contra eam vivere. *Quinctilianus lib.12.cap.11.*

XLV Magna fortuna, magna ſervitus eſt.

XLVI Boni principes voto expetendi, qualeſcumque tolerandi. *Tacit. lib.4.hiſtor.*

XLVII Continentior Scipione Africano Alexander fuit, qui ne oculis

lis

lis quidem contingere inclytam captæ mulieris formam voluit.

XLVIII Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat. *Nigidius apud Agell. lib. 11. cap. 11.*

XLIX Iudiciis acerbis civitas magis vaſtatur quàm corrigitur. *Salluſt.*

L Quod in pomis eſt, itidem eſſe ajunt in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitia & jucunda: ſed quæ naſcuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt uvida, non matura mox fiunt, ſed putria. *Accius Poëta apud Agell. lib. 13. cap. 2.*

LI Nobilis non fit, ſed naſcitur: & qui ſic natus, reddere ignobiles poſteros ſuos poteſt, ſe non poteſt.

LII Boni paſtoris eſt tondere pecus, & non deglubere. *Suetonius in Tiberio.*

LIII Non minùs mali quàm boni cives Reipub. ſunt utiles.

LIV Temporis vnius honeſta avaritia eſt. *Seneca, De Brevitate vitæ.*

LV Caſta Dido fuit: Æneam nec vidit unquam, nec cupivit: mortua,

 non

non quia nubere non potuit, ſed quia noluit.

LVI An, negotio tibi dato, & quid omninò faceres definito, contrà quid facere debeas, ſi eo facto videri poſſ[?]res eventura proſperiùs, éxque utilitate ejus, qui id tibi negotium mandavit? *Agell. lib. 1. cap. 13.*

LVII Rectiùs in Republica, civilibúſque functionibus, Vir prudens ducta uxore, quàm non ducta, verſabitur.

LVIII Famâ bella ſtant, & qui recedit fugere creditur. *Curtius lib. 3. & ſæpius.*

LIX Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.

LX Proclivius eſt injuriæ, quàm beneficio vicem exſolvere; quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. *Cornelius Tacit. lib. 4. hiſtor.*

LXI Loca ſacra pulcherrima urbium ornamenta ſunt.

LXII Salubrem Solonis fuiſſe legem arbitramur, quâ cautum erat, *ſi ob diſcordiam diſſenſionémque ſeditio atque diſceſſio populi in duas partes fieret, &*

& ob eam cauſam irritatis animis utrimque arma caperentur, pugnaretúrque, tum qui in eo tempore in eóque caſu civilis diſcordiæ non alterutri parti ſeſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatúſque à communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortuniſque omnibus careto, exul extorriſq́ eſto. Agell. lib. 2. cap. 12.

LIII Virtute decet, non ſanguine (niti.

LXIV Maligna eſt calamitas, & ferè noxius cùm ſuo ſupplicio cruciatur, acquieſcit alieno. *Curtius lib. 6.*

LXV Rectè Alexander Severus cõſiliis pacis & belli litteratos adhibebat, & maximè eos qui Hiſtoriam norant. *Lampridius.*

LXVI Pulchrior eſt miles in prœlio cæſus, quàm in fuga ſalvus. *Livius.*

LXVII Morum cenſura utiliter in Repub. Chriſtiana inſtituatur.

LXVIII Malè imperando ſummum imperium amittitur. *Syrus.*

LXIX Turpius eſſe dicebat Favorinus Philoſophus, exiguè atque frigidè laudari, quàm inſectanter & graviter vituperari. *Agell. lib. 19. cap. 3.*

LXX Præſtantius Litterarum, an

rei Militaris ſtudium? Mercaturæ, an Agriculturæ?

LXXI Honeſtè vivere optimum. *Dictum Epicuri apud Laërtium.*

LXXII Errat longè, mea quidem ſentētia, qui Imperium putat eſſe gravius aut ſtabilius, vi quod fit, quàm quod amicitia adjungitur. *Terent.*

LXXIII Platonica in mercibus emendis & vendendis ἀπιστία cum utilitate Reip. inſtitui poteſt. *E lib. 8. de Legibus.*

LXXIV Maximum vivendi impedimentum eſt, exſpectatio, quæ pendet ex craſtino. *Seneca, De Brevitate vitæ, cap. 9.*

LXXV Neronis vocem, cùm de ſupplicio damnati cujuſdam eſſet ſubſcripturus, *Quàm vellem neſcire litteras!* non rectè, generoſam, magni animi, magnæ lenitatis Seneca pronunciavit, *Lib. 2. de clementia. Suetonius Nerone.*

LXXVI Qui benefacta ſua verbis adornant, non ideò prædicare, quia fecerint; ſed ut prædicarent feciſſe creduntur. *Plinius lib. 1. Epiſt. 8.*

LXXVII Rectène Severus Cæcina vetaverit, Ne quem Magiſtratum, cui provincia obveniſſet, Vxor comitaretur. *Tacit. lib. III. Annal.*

LXXVIII An Iure bono Romulus Gabinas rapuit?

LXXIX Principum ſacroſancta majeſtas eſt, & ne in Tyranno quidem labefactanda.

LXXX Rectè M. Æmilius Scaurus repetundarum reus, propter vetuſtiſſimam nobilitatem, & recentem memoriam patris, abſolutus eſt. *Valer. Max. lib. 109. cap. 1.*

LXXXI Pravè Tiberius continuavit imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem juriſdictionibus habuit. *Tacit. lib. 2. Annal.*

LXXXII Conſiliarii, Principum & oculi, & aures ſunt.

LXXXIII Ingenuas didiciſſe fideliter artes Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. *Ovid. lib. 2. De Ponto Eleg. 6.*

LXXXIV Fœdior ἐπιθυμία, ſive Cupiditas, quàm θυμός, ſive Ira.

LXXXV Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quàm metu.

metu. *Terentius.*

LXXXVI Prudentia indiſerta ſtulta loquacitate melior eſt. *Cicer. apud Agell.*

LXXXVII Rectè Perſæ primum peccatum τὸ ὀφείλειν olim ſtatuêre, ſecundum τὸ ψεύδεσθαι. *Plutarchus,* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. *Herodotus lib. I.*

LXXXVIII Demoſthenes hominis improbi cauſſam ſuſcipiens ac defendens, perperam excuſavit, *Probos & innocentes defenſoribus non egere.*

LXXXIX Silvarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inſpirantes ramis arborum auræ, volucrúmque cantus, & ipſa latè circumſpiciendi libertas, ſcribentis & lucubrantis felicitatem impediunt. *E. Quinctil.*

XC An rectè Friſiorum Legati in Pompeii theatro pronunciaverint, *Nullos mortalium Armis aut Fide antè Germanos eſſe?*

XCI Ilium à Græcis captum non fuit.

XCII Nulla conſilia meliora ſunt, quàm quæ ignoraverit adverſarius antequam facias. *Vegetius lib. III. cap. 26.*

XCIII

XCIII Melius eſt, malum Principem pati qui bonos amicos habet; quàm bonum qui malis utitur.

XCIV Alit Æmulatio ingenia: & nunc invidia, nunc Admiratio incitationem accendit. *Paterc. lib. 1.*

XCV Scandenti circa ima labor eſt: ceterùm quantum proceſſeris, mollietur dives & lætius ſolum. *Quinctilianus lib. 12. cap. 10.*

XCVI Iniqua nunquam regna perpetuò manent. *Seneca Medæa.*

XCVII Difficilius eſt Rempub. depravatam corrigere, quàm novam inſtituere.

XCVIII Ingenia noſtra, ut nobiles & generoſi equi, meliùs facili freno reguntur. *Seneca, lib. 1. De Ira.*

XCIX Viri Philologi & linguarum periti Academiarum lumina ſunt.

C Ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. Vitam elige optimam, dulcem eam conſuetudo efficiet. *Plutarchus.*

ERY-

ERYCI PVTEANI

ALLOCVTIO

FAMILIARIS

AD IVVENTVTEM,

Somnio Scipionis præmiſſa,

In quâ de Palæſtrâ B. M.

STVDIA mea omnia & cogitationes, Nobiliſſimi IVVENES, in hunc potiſſimùm ſcopum dirigi, ut publicè proſim, ne hoſtes quidem Litterarum ignorant. Ipſa quæ dico quotidie & doceo, loquuntur, nunc Philologa, nunc Hiſtorica, nunc Politica, ſimul & uſu neceſſaria, & fructu copioſa. Ac tametſi implere amœniſſimæ profeſſionis munus videor, ſi duntaxat dicam doceámque: non tamen vos amare ſatis,

niſi & ſcribam. Stilum voci jungere adfectus meus cogit: & quaſi ſatis etiam loqui non poſſim, dum audior; legi quoque amo, ut nunquam non loquar. Sic quidem quoties ſilentium hæc ſchola induit, & pulpitum obmuteſcit; vocem in Bibliothecis expedio, & in libris meis doceo; quaſi experiri velim, an & occupari extra Scholæ ſepta Auditores mei ſuſtineant. Et quid ni legere quoque cupiant, quem audiunt? quid ni per otium admittere fructum, quem occupati quærunt? Sed & voluptatem miſceo: quæ bona eſt, quoties ad doctrinam ducit, & Sapientiæ, ut ſic dicam, templa. Scribo igitur, non ut formem tantùm animos omnium, ſed ut ſimul delectem: & quemadmodum ſtellarum ſiderúmque imagines ornant cælum: ita ſoleo ſtili hos labores, facili aliqua eloquii ſirene & amœnitate commendare.
FACVLA, DISTINCTIONVM, & PALÆSTRA BONÆ MENTIS ultimæ ſunt, de quibus dum breviter verba facio, viam ad SOMNIVM SCIPIONIS, hic nunc explicandum aperiam.
Et

Et Diſtinctiones quidem, ipſa neceſſitas utiles facit. Etenim orationis partes ſecernere, & limites figere, quibus ſententia concludatur, magna Eloquentiæ pars eſt. Vtrumque feci, & amœnè feci: Dialogi velut colore rem totam tinxi: &, ut Comœdiæ aliquam imaginem velut repræſentarem, ſoccum indui. Quòd ſi igitur ab hac ſcena lucem omnem removeas; fateri incipiam, moroſam FACVLAM eſſe: ſi omnem à Litterarum ſtudiis fructum; ſterile pariter, quidquid in Eloquentiæ, aut Latinitatis campo molior. Sed nemo, opinor, tam rudis, aut tam iniquus, ut ſic cenſeat: niſi & de Litteris, & de me ſimul malè mereri velit; ideóque velit, quia Litteras promoveam. Et ſanè hoc munus meũ eſt, ut promoveam: cùm prodeſſe ſimul omnibus iis nitar, qui doctrinam in hac Schola tractant. Atque utinam tam in manu mea eſſet, pro votis cuiuſque, Fortunam cuique adſignare; quàm eſt, docere & præcipere, quæ Fortunam mereantur! oſtenderem profectò, quàm ſeriò candidéque amem,

mem, quos doceo: & quanti faciam, qui eruditionis aliqua nota commendantur. Nunc quod licet facio: &, ut res cujuſque poſſim, primùm ſtudia attollo. Interim quoque, ſi elogium ſcribendum, ſi teſtimonium conſignandum, ſi litteræ exarandæ; ignavam profectò operam meam eſſe non ſino. Queror potiùs deeſſe interdum qui petant: qui ſi verecundia retardantur; facilitatem meam velim diſcant: ſi remoram aliam habent; nullùm ego his officiis pretium ſtatuo. Nam ſi quid præſto, debere me profiteor; vos autem exigere jure quodam poteſtis, quodcumque debeo. Sed de ſtudiis potiùs dico: & ingenia Auditorum meorum optimo expolire cultu ſatago; ut eſſe poſſint quos commendem; imò ut eſſe poſſint, qui Reipub. & Religioni, qui Scholæ huic & Profeſſioni apti ſint, ſiquando vacare eam Deus voluerit. In hanc ſpem, diſcere & audire hic aliqui debent, ut quandoque doceant: omnes, ut publico aliquo munere digni evadant. Diſcere nemo

poteſt;

poteſt; niſi exerceri ſimul incipiat, & experiri, quid in publica quandoque lucē poſſit. Ergò, ut magis etiam amorem meum in honeſtarum artium ſtudioſos exprimerem, PALAESTRAM inſtitui, & BONÆ MENTIS indigetavi: quod nemo hactenus ſive cogitavit, ſive curavit, feci: non quaſi amplius præſtare poſſim, quàm ceteri, ſed quòd cupiam. Docuerunt & ſcripſerunt publicè quos audivi: ego hoc ago, ut audiam pariter quos doceo, & legam pariter, quibus ſcribo. Non contineo ampliùs clauſtra, non limina impedio. Quod felix fauſtúmque ſit, Inſtitutum meum ecce vulgo. Ad Bonam Mentem patet aditus. nomen dare, quiſquis volet, poterit; & Diſſerendo, Recitando, Explicando, Diſputando proficere. Hæc enim præcipua Palæſtræ munia ſunt, ut loqui & ſcribere poſſis, cùm occaſio poſtulat; ut Scriptores intelligere, Res judicare, quæ privatim publicæq; utiles ſint, id eſt doctrinam ſive Ethicam, ſive Politicam ſpectant. Omnia cur minutim explico aut perſequor?

ſequor? Leges faciunt quas conſcripſi: & ſupereſſe debet quod ego, atque etiam Arbiter Palæſtræ dicat. Ergò jam oſtendat quiſque, quanti litteras, quanti bonam ipſam Mentem æſtimet: oſtendat, ſe amare artes, quibus PRINCIPI, Patriæq; placeat. Nam & præmia exſpectanda ſunt; exiſtant modò qui velint capere: & hæc via ad Rempublicam & honores aperietur. Quid verbis opus eſt? In ipſa quoque Palæſtra lumen invenies: reſplendere poteris, ut publicos Patriæ illos radios merearis. In umbra & in nocte verſatur, quiſquis adhuc diſcit: qui ſi in Solem repentè venit, percellitur. Noſtram hanc umbram, doctrinæ quædam lumina, & favoris faces mitigant: ferre cælum diémque poterit, ſi quis adſpexerit: & hunc ſuaviſſimi laboris fructum percipiet, ut cùm in forum curiámve venerit, non ſe putet in alium terrarum orbem delatum. Videre in Palæſtra dabitur, fieri quodcumque in Republica ſolet: dicere etiam, quæ in gravi conſeſſu, & ſenili conſilio diſputantur.

Hæc ipſa Reipublicæ quædam umbra eſt, Doctrinæ & Prudentiæ officina, ſtili & ſermonis regula, honoris & famæ ſeminarium: & ut ipſum nomen uſurpem, PALAESTRA Bonæ Mentis. Bonam mentem qui habet, omnia habet: & vel arbitrio ſuo poterit Fortunam omnem temperare. Satis, ut opinor, nunc intelligitis, omnia me veſtra cauſſa velle, Auditores; quibus ut prodeſſem, & favorem adeò conciliarem PRINCIPIS, magna me quietis parte ſpoliavi. Quid repoſco, aut in præmii vicem flagito? quod bonus quiſque etiam debere ſe Doctori publico fateatur: Rogo, ut tractare litteras velitis, ut, quod facitis, mihi porrò favere. Mercedem amorem eſſe cupio: & omnia eum dare arbitrabor, qui amaverit. Thales Mileſius hoc à Prienenſi diſcipulo ſuo exegit, ut doctrinæ quam tradiderat auctor celebraretur. Magnum profectò exegit, etſi meruit; imò exegit, quod negari ſine ſcelere non debuit: ego tamen rationem iſtam nullatenus ſequar. Iterum dico, Amorem

peto,

peto, & unius benevolentiæ facilem mercedem: ingenio ſuo quiſque adſcribat, ſi profecerit: nolo ambitionis macula petitionem meam inficere. Satis igitur, ſi affectum impetrem, ſi mei ſitis quos doceo; cùm & veſter eſſe pari deſiderio cupiam. Veteres *Præceptorem ſancti voluêre parentis Eſſe loco.* Parentem autem quis non amat? pietatis hoc officium eſt, à Natura ipſa juſſum. Naſci nemo poteſt, niſi ut filius ſit: & doceri nemo, niſi ut Diſcipulus. qua ratione etiam qui docet, parentis aliquod jus aſſumit: ſed ſi quos docet, tamquam filios complectitur. Amare debet, ut Amorem exigat. Hoc facio, & hanc velut familiam meam voco, quam voce & doctrina rego: quam alo Philologiæ & Philoſophiæ quodam cibo. Quid igitur? benigni eſte; & ſi amare ſuave honeſtúmque, affectum oſtendite. Oſtendetis autem, ſi audire pergitis, & bonam mihi docenti operam frequentémque datis. Eum etiam nunc libellum aggredior; cujus explicationem auro contrà caram putet, ſiquis

expenderit. SOMNIVM SCIPIONIS eſt, *è libris de Repub. Marci Tullij Cicer.* Somnium profectò non Somnium, quo magnus ille Orator Platonis exemplo complexus eſt, quicquid in regno eruditionis utile, jucundum, honeſtum. Quod ante omnia æſtimari debet, Cicero loquitur, ille

Flos illibatus populi Suadæque medulla:

ſed quantum ingenio valuerit, hîc oſtendit. Hiſtoriam delibat, Rempublicam ingreditur, Orbem terrarum luſtrat, & quaſi altiùs natura hominis & felicitas quærenda, Cælum ſcandit, numen adit, immortalitatem deſcribit. Quid præterea? Iuſtitia & pietate huc iri. Sphæras & Stellas numerat, Muſicam explicat, & in venuſtiſſimo Sapientiæ corpore ſingula membra expendit. De tempore quoque præclara quædam ſunt, &, quæ tempora omnia vincit, de ipſa ANIMA. Gemma hoc ſcriptum eſt, quod prudentiam ſimul & virtutem docet, & meliorem omnem cultum. Gratiæ, Muſæ, Minerva, Mercurius, Apollo hic habitant. Omnis eruditionis pul-

cherri-

cherrimum ſi compendium quæris, hîc invenies. Nam quemadmodum templum olim Agrippa Romæ ſtruxit,quod omnia numina caperet,omniúmque Deorum nomine vocaretur: ita Cicero hunc libellum, qui omnes artes, & vocabulum quoque tale acciperet. Ἐγκυκλοπαιδείαν ejuſmodi vinclum, ſive *Circulum ſcientiarum* ſolemus appellare. In hoc Somnio igitur Ἐγκυκλοπαιδεία, in hoc Somnio *Scientiarum Circulus*; id eſt, quicquid ſciri poteſt, hîc docetur. Sed quo magis ſcriptum iſtud laudo, onus meum augeo, quod ſumpſi: & in uno libello explicanda ea omnia, quæ ne ingentes quidem aliorum libri comprehendere potuerunt. Deinde ſimplex alibi argumentum eſt: hîc quicquid dixeris reperies. In Senectute ſola ætas pertractatur; in Amicitia, animorum conjunctio; in Paradoxis, ſiquid à forenſi uſu alienum. In Somnio, & Senectutem, & Amicitiam, & Paradoxa habes; & quod his omnibus majus eſt. Auſus tamen fui hanc rem aggredi; diffi-

 cilem,

cilem, ſi vires meas expendo; ſed pulchram, & indole ac nobilitatę veſtrą dignam; ſi doctrinæ & eloquii pondus. Favore & benevolentia veſtra fretus, meas ipſius vincam vires, & per expeditum, ut ſic loquar, iter incedam. Navem, quam nec contis nec remis moveas, vela impellunt, venti transferunt, & faventis auræ vis: ita ingenium docentis per vada, ſtagna, remoras adſpirans Auditorum benignitas expedit: & tamquam favor Apollinis adſit, tenebræ omnes fugiunt. Sed mitior etiam in hoc Somnium eſſe volui, quàm alii fortaſſis hactenus fuerunt: exulantem velut è Scholis libellum, & Patrocinio deſtitutum, revoco: Somniare in Trilingui hoc atrio Scipionem fas duco: narrare Ciceronem, ut utrique Interpres ſim. Ita me Deus, quaſi in toto Tullio una hæc pars obſcœna eſſet, latuit; & inter tot libellos velut fratres, hic injuria quadã preſſus, ſilere debuit. Rem dicam; quia difficilimus, & maximè varius, neglectus fuit: & hoc Interpretes egerunt, ne ultra ingenium ſaperent. Id

Id etiam ferè obtinuit, ut quod primo adſpectu abblandiri Auditoribus videtur, id proponatur: quaſi id duntaxat pulchrum, quod apparet. Et fortaſſis tales aliquando litterarum Profeſſio Auditores habuit, quorum morbis conſuli debuerit. Hoc profectò erat, *cum inſanientibus furere*: & pelli fortaſſis ſolitudo peſſimo obſequio debuit. Sed ego mehercle malè de vobis merear, ſi ita judicem. Defertis hunc honorem Doctori veſtro; ut arbitrio is ſuo Scriptorem ſumat, quem explicet: neque ego alium etiam velim, quàm qui maximè placeat: è quo utilem honeſtámque voluptatem capiatis. Nimirum hos jam progreſſus feciſtis in his litteris; ut quæ optima ſunt ametis: & tantum quoque Doctori tribuitis; ut quæ optima ſunt, exiſtimetis eum ſcligere poſſe, & velle explicare. Hujuſmodi hic libellus eſt: quem ut diligenter, ſedulóque audiatis, per Litterarum ego vos honorem rogo. De veſtro hic inprimis fructu agitur, ut boni doctíque ſitis, Virtutis & Do-

ctrinæ præmia cogitetis, quæ inſigni & facunda à Cicerone brevitate deſcribuntur. Ergò ad lubentiam, & ſilentium vos componite; cras in hac ſchola Somniare Scipio incipiet. DIXI.

ERY-

ERYCI PVTEANI

DE SYMBOLO

MONITVM.

RES nuperæ elegantiæ, SYMBOLVM eſt: id definio, *Generoſæ mentis ſignum, & velut Sapientiæ compendium, quo decretum animi per Imaginem ſimulq́; Dictum breviter, eruditè, eleganter explicamus.* Etenim quicumque doctrinæ ac virtutis ſtudio accenſus, cœpit ἀριστεύειν, prodit ſeſe, & tanquam in exemplum, mores ducit. Contrà, latere amant, qui lucem diémq; ferre non poſſunt; imò neſciri amant, qui dulci correpti otio, ſibi ſe natos arbitrantur. Animo profectò boni, aut mali ſumus, ſtrenui, aut ignavi: animum verò qualem quiſ-

quiſque poſſidet, aut Symbolo teſtatur, aut ſilentio agnoſcit. & teſtatur, qui honeſtè occupat. Viri omnes olim magni, aut Scita, aut Signa quædam; nuper illuſtres Symbola ſua habuerunt. partim ut laude digna facinora, conſilia, vota intrepidè aggrederentur, partim ut feliciter præciperent. Inter quos hoc diſcrimen ſtatuo, ut præcipere poſſit, qui aggredi non horruerit; aggredi debeat, qui poſſit præcipere. Sic fama Symbolum, velut fulcrum habet: Scitum, velut ſecundum nomen eſt. Vt quiſque affectus, imaginem uſurpat: alius virtutem aliquam laudat, alius vitium deteſtatur: hic fortunam ſuſtinet, ille injuriam contemnit: hic honeſtam paupertatem amat, ille luxum & voluptatem proſcribit. Vt ſcias in Symbolo omnia eſſe, hoc deſtinamus, vovemus, ſperamus, metuimus, monemus, docemus, probamus, damnamus, & affectum quemcumque animi indicamus. Mentis ſermo Symbolum eſt, ſed Bonæ: & ut nos ſileamus, figuræ iſtæ loquuntur tamen, & muta
facun-

facundia ſtudia cujuſque, & nomina celebrant.

IN Symbolo Imago, & Dictum eſt: quemadmodum hominem corpus & anima conſtituunt. Nec ſatis, figuram eſſe; vita opus eſt, & animari pictura debet.

Ergo & proportione quadam Imagini Dictum aptabitur; ut accedat quod non exprimunt colores, ſed inſinuant. Prorſus videnda imago, non legenda eſt, ut Symbolum habeas. Quotieſcumque in verbis eſt, quod oculos fugerat, venuſto corpori vigor accedet. Scitum ſive Dictum velut ingenium imaginis puta.

Sed Imago ne vilis ſit, cùm Dictum magnificum: nec ſuperba, cùm Dictum ſerpit.

Illa, elegans & amœna eſſe amat, à cælo, aſtris, elementis, arboribus, frugibus, floribus, animalibus, inſtrumentis, machinis. Fruſtra verò & elegans, & amœna eſt, niſi honeſta ſit, & juſtam magnitudinem habeat.

Hoc, Latinum, ſive Græcum eſto, & à Scriptore aliquo antiquo, præſer-

tim

tim Poëta. Item breve eſto; unius, duarum, aut trium vocum. Verſus tamen integer, aut pars ejus poterit uſurpari.

Totum Symbolum modeſtum ſit, & ingenioſum: non vanum, arrogans, procax; non obſcurum, ut Oedypo ſit opus; non ſimplex & obvium, ut myſterio, & eruditione careat. Denique non alienum, fortuitum, commune. Nota enim quædam & teſſera eſſe debet, quâ natura & indoles cujuſque ſcrio indicio diſtinguatur. Miles de armis loquetur, de ſegetibus agricola: *in caſtris*, an mapalibus agas, Symbolum diſtinguat. Sic Rex aut Princeps Diademate cingitur, & ſceptro armatur: civis & ſubditus obſequio, officio, fide bonus eſt: argumenti diſcrimen nunc purpurâ, & aurea majeſtatis inſignia, nunc vilioris fortunæ conditionem aperiet. Dionem Chryſoſtomũ Pruſæum, qui σεμνότητος fuit, ajunt hoc ingenio uſum, ut habitu ipſo oſtentaverit gravitatem, exuvióque Leonis indutus in publicum proceſſerit. Vides Imaginem. Ad ſummam, ut vita, dignitas, fortuna, mores ſunt, & ſtatus,

Sym-

Symbola variantur: ſuum quiſque docta imagine, & illuſtri Scito Genium adumbrat, animũ repræſentat.

Exſtant CLAVDII PARADINI, & GABRIELIS SIMEONIS Symbola Heroica: ſed quæ nec Symbola omnia ſunt, nec Heroica. Eraſmus Roterodamus Terminum effinxerat, cum Dicto, NVLLI CEDO. Pulchrum id ſanè, niſi ſuperbum fuiſſet. Alii alia, rari vera & γνήσια. Optimo Sereniſſimóque PRINCIPI meo inter alia Symbola hoc quoque nuper dederã: à Phidia ſive Praxitele ſimulacrum Alexandri, Bucephalum domantis, cùm Dicto è Claudiano de Mallii conſulatu, PERAGIT TRANQVILLA POTESTAS; & addit Poëta, (*urget Quod violenta nequit, mandataq́; fortius Imperioſa quies.* Mihi nuper imago placebat Ericii, ſive Echini animalis, in ſpinas ſuas erecti; cum Horatiano illo, MEA VIRTVTE ME INVOLVO. Nec placebat tamen, tanquam modeſtia non permitteret, virtutem jactitari, Epicuri auream gnomen æſtimanti: Σπυδαίως ζῆν ἄριςεν.

ERY-

ERYCIVS PVTEANVS
LECTORI S.

IN PALÆSTRA *Bonæ Mentis, iſta & plura quadriennio hoc examinata ſunt: de quibus omnibus, ut exemplo meo excitarem omnes atque dirigerem, ipſe publicè dixi atque diſſerui, id eſt, bene de Iuventute, de Academiâ, de Patriâ mereri conatus ſum. Cogitet Iuventus, & alacriter ſe accingat; agnoſcat Academia, & Iuventutem animet; faveat Patria, & hæc ſtudia, has Litteras dignas Iuventute dignáſque Academia oſtendat.*

CENSVRA.

HANC PALÆSTRAM BONÆ MENTIS aptam cenſeo, qua promptiùs adoleſcant aut ingenia vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio ſolertior: ideoq; dignã eſſe, quæ cum publico juventutis & rei Litterariæ emolumento divulgetur.

Guilielmus Fabricius Noviomagus, Apoſtolicus & Archiducalis librorum Cenſor.

Cum Privilegio Sereniſſ. Belgicæ Principum ad Decennium. 22. Sept. 1611. Signat.

I. Fourdin.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

[illegible] by Google

Digitized by Google

Google